COMPENDIARIA THEOLOGIAE MORALIS EXPLICATIO AD SENSUM...

Jacques : de Saint-Dominique



Cuius Solatio Angelorum Servus accendit

Quicquid traditum accepit

Petrus, Paulus

Ioan. XXII

Opera non absque Dei infusione perfecit. Tot miracula fecit, quot articulos Scripsit

Nunquam qui eius doctrinam tenuit, inuenitur a veritatis tramite deuiasse, et qui eam impugnauerit, semper fuerit de veritate suspectus

Pius V.

Certissima Christianæ regula Doctrinæ

Vobis iniungimus ut B. Thom. Doctrinam tanquam veridicam et Catholicam sectemini eamque Studeatis totis viribus ampliare.

Clemens VIII

Paulus

Doctrinæ tantus est ingens librorum numerus, quos ille in omni fere disciplinarum genere sine ullo prorsus errore conscripsit.

Splendidissimi Catholicæ fidei athletæ Thomæ Aquinatis cuius Scriptorum clypeo Militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit

etenim non mihi Psal. 128.

Et bellabunt


COMPENDIARIA
THEOLOGIÆ
MORALIS
EXPLICATIO

AD SENSUM SANCTORUM PATRUM Augustini, Leonis Papæ, Gregorij Magni, Thomæ & Thomistarum, (quorum omnium hic aguntur vindiciæ) presertim circa doctrinam de Sententia Probabili. Accedet Prævius Dei in omnes Causas secundas Influxus, S. Augustino & eidem D. Thomæ speciali jure assertus, etiam in statu Innocentiæ.

Cum indiculo indigitante : 1°. jure merito Magnum R. Patris de Henao Ventilabrum unco esse suspensum : 2°. Ejusdem Eventilationum Theologicarum pulverem & paleas, in Ipsum Ventilatorem aurâ leni esse remissas. 3°. Elenchum falsitatum nuperi cujusdam libelli, cui Titulus est.

TETRAPLA THEOLOGICA.


Authore R. P. Fr. Iacobo a Sancto Dominico, Exvic. Prov. & Excommiss. Generali Congreg. Reform. in Provincia Franciæ, Fratrum Ordinis Prædicatorum.





PARISIIS,
Apud STEPHANUM MICHALLET, viâ Jacobeâ, prope Fontem S. Severini, sub signo Sancti Pauli.

M. DC. LXXVI.
Cum Privilegio Regis Christianissimi, & Approbatione Doctorum.


VIRTVTIS LAVS ACTIO



EMINENTISSIMO CARDINALI
HOVARDO
NORFOLCIÆ PRINCIPI,
EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM ASSSUMPTO.



UANQUAM hîc ſuſcepti ratio argumenti ſtare ſuâ mole videretur, PRINCEPS EMINENTISSIME, unâque indigere Cœlitum gratiâ & benedictione, quorum apud Deum ambiens patrocinium, cepi Provinciam, illorum tuendi doctrinam, tàm indignè quàm falsò in non paucis labefactatam à quibuſdam Neotericis: attamen à communi lege, quâ ſibi quiſque Patronum aſciſcit in ſimili occaſione, me immunem fore haud exiſtimavi: vel ex eo potiſſimùm quod graviores Moralis Theologiæ difficultates huic negotio incidentes, onus meis impoſuêre humeris adeò impar viribus, ut gigantem obruere ſufficiat, minori quàm Veſtrô deſtitutum Præſidio, & præcipuè ſpectatâ Adverſariorum potentiâ & multitudine, quibus ferè invitus fui coactus reſpondere.

Communem dixi legem, quam fortaſſe neceſſitatem meliùs dixiſſem, quâ ferè omnes ſcriptis ſuis Mecœnates inquirunt, hoc præcipuè intendentes, ut hominum dignitate præſtantium Patrocinio & Authoritate ſuffulti, ſe ſe in apertum campum dare non vereantur: quare hos ſibi deligunt, quorum in omnem ventum contra Obtrectatorum morſus & dicteria, ſibi tuitio ubique præſto ſit. Ergo ne ſolus ego, cunctis aliis magis indigus inveniar in hac palæſtra, hoc communi ſubſidio deſtitutus? Minimè ſanè. Quare Superis circa me proſperè agentibus, diſpoſitum eſſe exiſtimo, ut mihi hæc animo revolventi, adeò opportunè Pariſiis Veſtra occurrerit Eminentia (licet in tranſitu tantùm) cujus famâ jamdudùm occupatus; ſuſpenſus tamen ac omninò diviſus Reverentiâ & Affectu hærebat animus. Quantùm enim affectus admovebat, tantùm Inclytæ ac Regalis Stuartorum Familiæ Splendor me ipſum removebat. Verùm ubi primùm Veſtra mihi de facie Eminentia innotuit, tantâ Benignitate prædita; auſibus meis prorsùs abfuit pudor, veſtrâ hac intercedente ſingulari Humanitate, in quam meam ſic exiſtimationem ac fiduciam auxit, ut

ſpeciali Dei munere mihi datum duxerim in Patronum vindicias agenti Sanctorum, quorum ſcientia & virtutes omnes, quæ in ipſis velut mortuæ litteris tantùm expreſſæ cernebantur: eædem in V. E. tanquam ſpirantes ac vivæ, ad perpetuam omnium admirationem viderentur. Regionem quamdam in Cœlo intuemur jucundiſſimam (Viam vocant Lacteam) magno (ut aiunt) ſtellarum numero reſperſam, quæ quamvis ſint diſtantes ab invicem, mutuo tamen inter ſe uniuntur lumine, quod gratum terræ incolis exhibet aſpectum. Ita ſanè mihi in E. V. videntur unitæ virtutes omnes Chriſtianæ, quæ gratiſſimum in Ea hunc efficiunt Affatum, quo ſibi omnium devincit animos, conciliatque amorem & affectum. Itaque jam non miror, ſi tot hujuſmodi dotes præclariſſimæ inter ſe blandè decertantes ſic illuxerint, ut Angliæ, Belgii ac Galliæ finibus ita cohiberi nequiverint, quin fulgidos gloriæ ſuæ radios in Italiam uſque, ac in ipſam Urbem, ne dicam in totum Orbem longè latéque diffunderent; de quibus fidem facilè abſolvet id quod ſequitur. Etenim ſi nefas ſemper fuit vel dubitare, dignuſne eſſet quem Imperator elegiſſet: non obſcurè meritorum E. V. magnitudinem teſtatus eſt Summus Pontifex, ejus ad Cardinalatum Aſſumptione, nullo mortalium invitante, ſed ſolo virtutum odore: qua in re, Divinæ Providentiæ ſimul & Juſtitiæ munus agnoſco. Hujus quidem, dum Virum effecit tantę Dignitati idoneum, illius verò quæ Clementem X. illexit ſuaviterque impulit, ut inſignem virtutem eminentiſſimo honore cumularet. Demiramur & meritò plures qui in ſimili ſtadio præceſſerunt, & ad ſupremas Eccleſiæ Dignitates olim pervenerunt. Sic divinitùs electi aliàs Ambroſii, repentè inter ipſas turbarum rixantium turmas puero exclamante *Ambroſium Epiſcopum*: Nicolaï, voce Cœlitùs delapſâ, ipſum depoſcente: Baſilii & Gregorii aut fugientes, aut in cavernis latitantes, igneis è Cœlo detecti Columnis vel indiciis deſignati ita manifeſtis, ut de ſua electionę ancipites eſſe nequirent. At Tu, PRINCEPS EMINENTISSIME, forte (ſi hoc nomine uti fas eſt) non minùs mirabili, à Summo Pontifice conquiſitus, ac tandem repertus, dum magis in humili Cœnobio latere ſatageres, in quo ceu alter Hieronymus in Bethleem, reliquum vitæ tempus uni Deo notus tranſigere diſponebas. Certè noſtrum hoc Exemplo indigebat ſæculum, ut omnibus innoteſceret, & quibus ſint debitæ Dignitates Eccleſiaſticæ, & quî ſe ſe non poſſit abſcondere is, quem Deus indicare voluerit. Quam benè res ſe habet, dum id quod naturæ eſt, Gratiæ obſecundat! Apertiùs loquar, & unô verbô dicam: ſi Principum naſci pars ſit fœlicitatis, certè longè præſtantius erit ſemetipſum Heroëm ac Principatu dignum efficere virtutibus, his ſimilibus, quibus Sublimitatis hujus faſtigium promerueris, ac ſubinde novo jure ad Clavum Eccleſiæ perveneris. Quid ergo hic opus eſt, ut aut V. E. ſigillatim efficiam virtutum recenſionem (quæ ingenitæ ejus modeſtiæ tantùm diſpliceret, quantùm benevolentiæ omnium arrideret) aut Suorum Antiquitatem Majorum, peracta eorum pace ac bello præclarè geſta commemorem? Cum utrumque nedum ſatis, ſed & ultra modum innoteſcat ex effectis.

Si ab Achaïa Scotiæ Rege exordiar, hunc ab anno 109. perpetuæ amicitiæ fœdus cum Carolo Magno iniiſſe comperio: in cujus ſignum ac patens monimentum, intermixta ſunt Regum Scotiæ ſtemmatibus Francorum Lilia. Et ab hac Regia ſtirpe pullulavit Inclytum tot Heroum Agmen Stuartorum de

quibus non facilè dixerim, an illi (de quibus statim) tantùm gloriæ ab hac Regia Radice hauserint, quantùm ei unà cum ipsis, E. V. vel sola contulerit. Illinc Alanus Comes de l'Enos: Joannes Secundus nomine, Eques Torquatus, & Regiæ Cohortis in Gallia Tribunus: Beraldus Dux Terræ-novæ, Marchio Gyracæus, Comes Acocyus, perpetuus rei militaris Præfectus ac Prorex Neapolitanus. Robertus Bellimontii Comes, ac Summus Gallorum Castrorum Præpositus. Matthæus Primus nomine, Comes: duo Edmundi, Duces; Ambo Regii in Scotia Thalami successivè Magistri, ac Supremi rerum Maritimarum Præfecti: Jacobus Comes Marchię, &c. Ac denique Georgius Dux Richmondiæ, de quibus sigillatim quid loquar? profectò quid his dignum dicere possim non video. Et sanè tempus me deficeret, nec Epistolâ, sed volumine, isto majore, mihi opus esset. Unô verbô, omnia complectar, quod condignè satis pluribus exprimi non possit, nempè hos fuisse suâ ætate, pro defensione Religionis Christianæ in Gallia, Anglia, Scotia, Hybernia, Italia, quod olim Matthatias ejusque filius Machabæus ac reliqui fratres, pro patria legis antiquæ observantia, multò terribiliores impiis effecti, quàm qui in his eorum stemmatibus depicti sunt leones. Hic præclaras Jacobi Scotiæ itidem Regis, corporis & Animæ dotes non expendam, ut de ipsius Filia Maria Stuarta dicam; cujus pro fide effusus sanguis, ejus quæ in Anglia superest; semen est Religionis. Porrò dum hanc Mariam loquor, illam intueor, veluti primam in fide ac Religione, non tantùm Eminentiæ Vestræ stirpem, sed & totius Inclytæ ac Regalis Stuartorum Familiæ: ex qua itidem non dubito, quin iterùm aliquando progerminet, Deoque aspirante copiosiùs succrescat, semen illud pristinæ hujus Sanctimoniæ, ob quam tota olim major Britannia, non Anglia, sed Sanctorum Insula dicebatur. Hæc Francisco II. Regi Galliæ nupta, & post ejus obitum in Scotiam reversa, alio ex viro Jacobum Sextum suscepit, qui demùm Rex etiam Angliæ, ex legima Matris hæreditate factus, primus omnium ab Orbe condito, universam Majoris Britanniæ Ditionem, sub hujus Imperii fasces redegit. Sed cur ista commemorem? Ut omnibus innotescat hujus Monarchiæ Inclytam esse hæredem, Nobilissimam Stuartorum Prosapiam; qua ex Progenie, PRINCEPS EMINENTISSIME, Nobilissimus es Surculus, ex Vite Dominicana recentior Dignitate separatus, sed affectu semper intimus, quæ summo sibi ducit honori & gloriatur, Te suum aliàs habuisse Alumnum. Faustum ejus olim pro Eminentia Vestra, fœlixque votum; nunc verò longè fœlicior gratulatio, cui nihil deerit, si Ipsi aliquando, quam exoptat, triplex Corona, afflante Divino Numine adveniat, ut Beatissimi Papæ Pii Quinti (de cujus recenti Apotheosi adhuc læta nobis est memoria) non minùs existat Cathedræ Successor, quàm virtutum Imitator.

Hic dicendi finem libentissimè facerem, PRINCEPS EMINENTISSIME, nisi adhuc duo occurrerent, quæ non possunt posteritatis memoriæ non consecrari absque ingratitudinis labe, immò & sine aliquo boni communis detrimento. Primum est Christi Vicarium Clementem X. Regum nostrorum gratitudinem diebus nostris circa Inclytam Stuartorum Familiam fuisse imitatum. Etenim sicut olim Primum ac Gloriosæ memoriæ Principem Joannem Stuartum, perpetuum Scoticę Militię Pręfectum, & Exercitûs Generalem, ob tot præclara facinora, in gratiam Gallorum, propriis etiam stipendiis peracta; Rex Galliæ Carolus VII. Donativis ac Principatu Albiniensi cumulavit: ita

& ætate nostrâ Christi Vicarius, pro sua Bonitate singulari & incomparabili erga Dominicanum Ordinem Benignitate, Te Inclytum ac Generosum Contemptorem terrenorum, Fidei Assertorem, Religionisque dignissimum Sectatorem, pro meritis, ad dignitatum Apicem & Ecclesiæ Principatum provexit: quod probi omnes summoperè approbarunt ceu invictum æquitatis, quæ in Capite Ecclesię est, argumentum.

Est & aliud, nullâ sanè delendum oblivione, typicè, ut arbitror, satis expressum lib. 2. Machab. c. 1. v. 19. ubi sic habet Textus sacer: *Cum in Persidem ducerentur Patres nostri, Sacerdotes qui tunc Dei Cultores erant, acceptum ignem ab Altari, occultè absconderunt in valle ubi erat puteus altus & siccus, &c.* Quis, quęso, hęc & alia quę ibidem leguntur, attentâ mente secum revolvens, non existimet id contigisse in figuram rei, quam ipse, PRINCEPS EMINENTISSIME, ad praxim reduxeris? Aut quid ignis ille materialis, comparatione eorum quę tunc egeris? Paucos latet persecutio, quam passa est ab Hęreticis Religio Christiana in Anglia, & pręsertim Dominicanorum Familia, ubi quadraginta quatuor Conventus, in Hybernia quadraginta tres, & in Scotia quindecim brevissimo tempore vidit funditus ab Hæreticis eversos & solo æquatos, vel in profanos ipsorum usus conversos. Quid ergo, Amice Lector, existimas tunc factum ab hoc eximio Dei Cultore, ut ignem sacrum veræ fidei & sincerum Dominicanæ Religionis cultum conservaret? Duos in Belgio Conventus, propriis sumptibus à fundamentis erexit ac dotavit: unum Religiosorum, qui esset Seminarium, ex quo statutis temporibus sumerentur Operarii in desolatam Angliæ vineam transmittendi pro consolatione Fidelium. Alterum verò sacris Virginibus ejusdem Nationis consecratum. Hi sunt duo Chori, PRINCEPS EMINENTISSIME, in quibus divinæ laudes perpetuò resonabunt; & ubi immortalia Magnificentiæ ac pietatis Monumenta, in ævum sanctum Eminentiæ Vestræ (etiam nobis tacentibus) encomia celebrabuntur. Pergat ergo benefacere toti Reipublicæ Christianæ: pauperes pro fide persecutionem patientes, juvet, Dominicanam foveat Familiam, in cujus Alumnos cùm vivos tùm defunctos, sæviunt Adversarii eò periculosiùs quò occultiùs. Quòd si & meo huic Opusculo pro ipsorum defensione edito, (quod Vestræ offero Eminentiæ) patrocinium, mihi suam impertiri dignetur Benedictionem; hæc vel sola, in sufficientissimum nec minùs efficax erit antidotum adversus omnes maledictiones in eo confutatas, suęque in me Bonitatis monimentum, quod nullâ unquam oblivione deleatur. Ita asserit & perfectam corporis incolumitatem, assidua Gratiarum augmenta, & in utroque perennitatem, voce ac voto Vestrę precatur Eminentię

Cliens obsequentissimus F. JACOBUS A S. DOMINICO,
FF. Ordinis Prædicatorum.

INDEX CAPITUM.

QVÆSTIO PROOEMIALIS,

Quâ in antecessum breviter aperitur necessitas instituendæ hujus Responsionis seu Apologiæ.

LIBRI PRIMI

CAPUT PRIMUM.

Philosophiæ

CAPUT OCTAUUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.

APPENDIX PRIMA.

De reliquis Probabilitatum Cuniculis.

CUNICULUS PRIMUS.

Utrùm prætextu opinionis hinc & inde probabilis, ritè absolvatur quis ab obligatione legis, prætensâ possessione libertatis?

SECUNDUS PROBABILITATIS CUNICULUS.

TERTIUS PROBABILITATIS CUNICULUS.

Falsò prudentiâ usque modo tectus, accedente prætensâ insufficienti legis promulgatione.

QUARTUS PROBABILITATIS CUNICULUS

QUINTUS PROBABILITATIS CUNICULUS.

SEXTUS PROBABILITATIS CUNICULUS.

Quòd facilis sit Probabilitas.

APPENDIX ALTERA.

APOLOGIA COMPENDIARIA



LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT SEPTIMUM.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT NONUM.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT DUODECIMUM.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

APPPENDIX UNICA.

PARS PRIMA HUJUS APPENDICIS.

ALTERA PARS APPENDICIS.

APOLOGIA COMPENDIARIA

LIBER TERTIUS,

PRÆFATIO.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

dari

CAPUT QUARTUM.

CAPUT QUINTUM. ET ULTIMUM.

Finis Indicis Capitulorum & Sectionum.



APPROBATIONES.

NOs infra scripti sacræ Facultatis Parisiensis Doctores Theologi testamur legisse accuratè Librum, cui titulus est, *Compendiaria Theologiæ Moralis explicatio ad sensum SS. Patrum Augustini, Leonis Papæ, Gregorii magni, Doctoris Angelici ac aliorum, præsertim circa sententiam de Doctrina probabili, &c.* à R. Patre Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum editum in quo vera fidei & morum dogmata, inconcussâ stabilitate firmata agnovimus, & errores Adversariorum, qui in Authorem petulantius invecti fuerant, summâ, quæ hominem Christianum decet, modestiâ retusos. Datum Parisiis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto die secundâ Augusti.

T. ROULLAND. DU BOIS.

ALIA APPROBATIO.

COmpendiariam Theologiæ Moralis Explicationem ad sensum Sanctorum Augustini, &c. Authore R. P. JACOBO A S. DOMINICO, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Theologiæ Professore, suis aliis doctrinæ monumentis de Republica litteraria & Theologica optimè merito, attentione accuratâ perlegimus: genuinam ab eo Angelici & communis Magistri doctrinam è limpidissimis Sancti Augustini fontibus derivatam, eâ soliditate, eâque modestiâ defendi animadvertimus, quæ virum eximiâ doctrinæ supellectile, & pari pietate ornatum decent. Multò minùs deprehendere quidquam potuimus quod foret Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ veritati adversum. Datum Parisiis in Conventu Novitiatûs Generalis ejusdem Ordinis, die 12. Augusti anni 1673.

VINCENTIUS BARON, Doctor Theologus, & Inquisitor Tolosanus.

F. MARCUS de DREÜILLE, Doctor Theologus.

V. CONTENSON, Theologiæ Professor, Ordinis FF. Prædicatorum.

ALIA APPROBATIO.

COmpendiariam Theologiæ Moralis Explicationem ad sensum Sanctorum Augustini, &c. Authore R. P. JACOBO A S. DOMINICO, perlegimus; in qua præter soliditatem Doctrinæ quam defendit, securitatem Regularum, quas pro dirigendis moribus statuit, summam ubique lucem, & obscurissimis etiam quæstionibus affundere nobis visus est, ut sanè peculiarem laudem sibi meritò vendicare possit, *Qui legit, intelligit.* Futurum igitur nec tyronibus solùm, sed & doctioribus utilissimum Opus prælo dignum censemus. Parisiis die 16. Julii 1674.

F. JULIANUS A S. JOSEPH, Lector Theologiæ.

F. ANTONINUS MASSOULIE', Theologiæ Professor.

F. PHILIPPUS BORDEREAU, Lector Theologiæ.

ELENCHUS RERUM,

ET MONITIUNCULA LECTORI NECESSARIA.

IMmunitas doctrinæ Sanctorum Augustini, Gregorii-Magni, Leonis Papæ, Doctoris Angelici, aliorumque 24 celeberrimorum Authorum à Novantiqua Probabilitate perperam eis afficta, demonstratur; [a] cujus ortus, usus & abusus Mundo coævi, ac præcipui illius nævi aperiuntur. [b] Sex etiam illius Cuniculi, totidem excipiuntur, dum possessio libertatis convincitur falsitatis, quotiescumque est contra obligationem legis, sicut & Regula Juris, *Melior est conditio possidentis* extra materiam justitiæ. [c] Nupera & hactenùs inaudita Vitalis Neotericorum ignorantia, falsò dicitur invincibilis, ideóque nedùm mortua, sed & mortifera. [d] Opinionum diversitas ex argutiis Probabilitatis adinventa; mera est cavillatio, quæ neminem excuset à peccato aut obligatione legis, prætextu insufficientis promulgationis, quam nequit prætexere opinio probabilis. [e] Reflexio supra Probabilitatem, (quæ in animarum perniciem ipsis favet Hæreticis) si sola sit, conscientiæ illudit. [f] Remissior itidem Probabilitatis licentia pluribus titulis ostenditur cùm Ecclesiæ, tùm Sanctis Patribus injuriosa, proinde meritò impugnata ceu intolerabile malum summopere expugnandum, vel ob solam potentiæ naturalis pro morali substitutionem, & immoderatam prudentiæ Christianæ subversionem; quibus tùm in moribus incauti eò frequentius deciperentur, quò unius quæstionis nomen habens Probabilitas, rebus omnibus effusa immiscetur. [g] Item periculosus ad alienam conscientiam recursus, de industria quæsitus propriâ reclamante conscientiâ, [h] quantùm possumus regenda, juxta æternam Dei legem, pluribus modis sat nobis intimatam in ipsis probabilibus, quæ hìc duodecim Conclusionibus, tanquam securis totidem Regulis reducta, diriguntur. [i] Et hoc operso negotio Theologiæ Moralis ritè hìc exposito, prima moderatæ Probabilitatis exponitur Basis, contra quorumdam Neotericorum cavillos, præcipuum Academicorum ab Augustino debellatorum Dogma restituentium, [k] quibus hunc Aggerem ex doctrina D. Thomæ opponimus, *In moralibus inter æqualia contradictoriè pugnantia, non esse liberam eligendi facultatem.* Quo Angelico Axiomate citato, [l] evidenter concluditur potiori jure, contra scopum cujusdam Moderni Aggressoris, Philosophiæ Magistri, & aliorum Probabilitatis Defensorum; *non esse licitum in moralibus sequi opinionem minus probabilem, faventem libertati, lucro aut voluptati, in concursu probabilioris pro officio, lege, præcepto aut honestate stantis.* Eoque uno, omnes protinùs Probabilitatis tricæ dissolvuntur. [m]

[a] Pag. 77. & seq. 84. & seq. 114. & seq. & 50. & seq.
[b] Pag. 3. & seq. 21. & seq.
[c] Pag. 140. & seq.
[d] Pag. 146. & seq.
[e] Pag. 154. & seq.
[f] Pag. 155. & seq.
[g] Pag. 156.
[h] Pag. 162.
[i] Pag. 36. & seq.
[k] Pag. 82. & seq.
[l] Pag. 99.
[m] p. 97. & seq.

Et cum Dei operatio ac rationalis creaturæ libera cooperatio, sint veluti duo Poli, quibus tota Theologiæ Moralis volvitur disciplina; Prævius Dei in omnes Causas secundas, tàm necessarias quàm liberas, Influxus, hìc quoque Divo Augustino, etiam in statu innocentiæ; & Doctori Angelico, in ipso statu Gloriæ assertus, perfectè vindicatus apparebit, salvâ hìc activâ libertatis creatæ indifferentiâ; illicque nil obstante hâc fœlici necessitate dile-

ctionis necessarię, quam habent Beati, quibus & necessarius est hic Prçvius Dei Influxus, merito jure à Thomistis propugnatus ex Angelico Doctore laudato. [n] Sicque hîc pag. 292. & seq. mirabilem cernes D. Augustini & Doctoris Angelici concordiam, quantùm ad doctrinam à Thomistis hactenùs propugnatam. Quare diù ac multum à pluribus exoptatum circa utramque controversiam, id est, & vagam Probabilitatem profligandam, & Gratiam per se efficacem ritè intellectam, stabiliendam; excipient responsum plures Neoterici, qui hîc aut datâ operâ refutantur, aut ipsis occasione tantùm occurrentibus, quidpiam momentosum respondetur.

n Pag. 294.

Ex his sunt Joan. de Cardenas, Hispanus; *Sain Iu*, Gallus; Fictus Theopistus ignotus; Germanus Philalethes Eupistinus Belga; Terillus Anglus; Josephus à Vita Siculus, &c. Verùm, ne hîc laboret Lector nominum ęquivocatione, sciat duos esse Authores, qui nomina propria dissimulantes, hoc fictitium *Eupistini* assumpsêre. Horum prior esse dicitur ex Religiosa Carmelitarum Familia, cum quo nihil discutiendum habebimus, utpotè nobis consentiente. Alter verò esse creditur ex Inclyta Religione Societatis Jesu; de quo uno nobis erit sermo, cum *Eupistini* nomen hîc legetur, ut ipsi prę cęteris faciamus satis; id toties exigenti, non solùm unâ aut alterâ librorum suorum editione, sed & alterius Authoris, publicę lucis, ab eo facta, quam sibi favere arbitratus est, lucubratione.



QUÆSTIO



QUÆSTIO PROOEMIALIS.

QUA IN ANTECESSUM BREVITER aperitur necessitas instituendæ huius Responsionis seu Apologiæ.

SECTIO PRIMA.

Quòd unicâ propositione jam condemnatâ, & tamen audacter renovatâ & propugnatâ, innumera alia etiam meritò proscripta restituantur, cum remississima probabilitate insontibus falsò adscripta.

Num. 1.  UM vaga nimisque remissa probabilitas hîc expugnatur; non tàm Thomistarum aut doctrinæ Divi Thomæ aliorumque Sanctorum Apologia instituitur, quàm totius generis humani jura propugnantur. Nec opus est ut diutiùs ad hoc persuadendum immoremur, tot jam editis hac de re libris, id ipsum ferè palàm facientibus, in quibus hoc unum videtur desiderandum, ut scilicet præsagâ mente potuissent illorum Authores prævidere futuram cujusdam Neoterici solertiam, qui ferè sopitas nostri ævi controversias videtur excitare sequenti propositione, *Licet etiam in Moralibus sequi opinionem minus probabilem*, Romæ damnatâ 15. Januarii 1664. in libro cui titulus est: *Ioannis Caramuelis Apologema pro antiquissima & universalissima doctrina de Probabilitate:* Rursumque proscriptæ à Facultate Pictaviensi anno 1665. Et non solùm illa, sed & omnes propositiones quibus præfata potissimùm est innixa, sequenti censurâ fuerunt notatæ à Facultate Parisiensi, 23. Februarii 1665. *Doctrina harum propositionum falsa est & temeraria, innumeris novitatibus & corruptelis viam aperiens, & conscientiæ regulas subvertens.*

Hanc tamen propositionem conatur P. S. Ju refundere, non tantùm in Doctorem Angelicum, sed & in alios Ecclesiæ Patres S. Leonem, S. Gregorium Magnum, aliosque quos re ipsâ citat tanquam præfatæ propositionis Authores vel Patronos: Thomistasque oppositum asserentes vocat *obsoletæ Philosophiæ, strictioris quidem doctrinæ sectatores, sed laxioris disciplinæ amatores, qui nihil Græcè, parùm Latinè, & omnia in obliquo accipiant.*

Hæc & similia convitia quibus nos afficit, ceu malæ & desperatæ quam tuetur causæ argumenta, libenti animo spernimus, ut unius veritatis causam agamus.

Si bis, inquit Scriptura, Eccli. 32. 11. *interrogatus fueris, habeat caput tuum responsum.* Atqui nedum unâ vice interrogati pro veritate, sed gravissimè illius causâ pulsati ac lacessiti fuimus semel & iterum; dum non solùm suis thesibus audacter asseruit Philosophiæ Magister, Thomistas esse Authores laxæ hujus Probabilitatis; sed dato etiam rursùm in lucem libello, id ipsum confirmavit dicto contumaci, & aperto insultationis despicatu his verbis, paginâ 5. *Quare si quid sæculo nostro condolendum, primi illi condoleant à quibus primùs malum irrepsit.* Et sigillatim adductô Sanctô Antoninô, & aliis ex doctioribus Thomistis, ait remissam hanc Probabilitatem *esse communem Ordinis nostri doctrinam.* Hisque ad pompam præfecit Sanctum Augustinum & alios supra laudatos sanctos Patres tanquam Probabilitatis hujus Authores vel defensores: nec metuit asserere, pag. 6. *præcipua Ordinum omnium lumina hanc sententiam propugnare.* At hoc falsum esse, totâ hac Responsione ita evidenter constabit, ut miretur Lector qui ausus fuerit vir Religiosus semel & iterùm hæc typis mandare.

Admodum callidè (si tamen de industria) egit P. S. Ju: nullam siquidem nominatim ex illis scandalosis propositionibus, (quæ totam ferè Religionem Christianam perturbarunt) movit: sufficienter enim sunt sparsæ per totum orbem, (quarum habemus apologiam, & hactenùs retractationem desideravimus:) sed præfatam defendit tantùm propositionem scilicet: *Licitum est etiam in moralibus sequi opinionem minus probabilem.* In quâ unâ, omnes propositiones disseminatæ in Casuistis, tanquam probabiles, continentur veluti fruges in semine: sparsis enim per mundum libris Casuistarum asserentium has & illas propositiones (quæ sunt innumeræ) esse probabiles; subindeque tutas, vel solô, ut aiunt, probabilitatis beneficiô: nullâ arte, nulloque alio verborum apparatu opus erat, ut proscriptis propositionibus (saltem apud incautos) vigor restitueretur quàm prædictâ assertione, *Licitum est in moralibus sequi opinionem, etiam minus probabilem.* Quâ vel solâ pacificè receptâ, quidquid hactenùs decretum est à summo Pontifice, & ab Episcopis Galliæ, contra morum laxitatem, quàm facillimè abiret in fumum.

Et ut quilibet hìc esse possit locupletissimus testis & judex; legat ex una parte in vagæ Probabilitatis Defensoribus id quod asserunt sufficere ad conciliandam alicui opinioni Probabilitatem sufficientem pro conscientiæ securitate (quod infra referemus.) Et ex altera parte unum habeat præ oculis Casuistam v. g. Dianam: tria circiter millia opinionum probabilium referentem, quarum major pars stat pro libertate contra legem: sæpé pro lucro & commodo, aut voluptate contra officium aut honestatem, &c. juxta quas si à comparatis (prout Rhetores loquuntur) argumentari voluerit aliquis sagax & subtilis defensor vagæ Probabilitatis: contendo vix esse aliquid ita integrum in Moralibus, quod utramque in partem problematicè non possit agitari.

Hìc diximus: In vagæ Probabilitatis Defensoribus: (nam quandiù erimus sub hac caligine, non poterimus omninò Probabilitatem devitare, ut

infra dicemus duodecim Conclusionibus.) Quales sunt illi qui ad sufficientem Probabilitatem dicunt, *sufficere unum Casuistam, non communiter,* ut loquuntur, *ab omnibus desertum* : vel, *illum ipsum qui sibi suadet, rationem vel autoritatem quâ nititur, esse alicujus ponderis* : unde fit (inquiunt) *ut opinio sit saltem probabiliter probabilis* : quod ipsis plenè sufficit, ex quo non parùm pervertitur ordo rerum, dum quisque in propria causa judex instituitur, immò pro judice reus assumitur; cœcus pro duce; & pro Medico spirituali infirmus admittitur etiam in ipsa Confessione sacramentali, dum dicunt, *Confessorem teneri, etiam sub mortali, sequi probabilem pœnitentis opinionem, quamvis ipse eam judicet falsam esse.*

SECTIO II.

Quod scandalosa sit & injuriosa, hæc, de Probabilitate doctrina, ipsis Sanctis Patribus à Patre S. In citatis, falsò quoque afficta.

Nu. 2. NOn est minùs injuriosa hæc vaga probabilitas sanctis Patribus, quibus (licet falsò) attribuitur. Explicatur. Volens Osée Propheta morum corruptionem, malorumque colluviem, quibus Dei populus inficiebatur, unô verbô exprimere; dixit : *Populus tuus sicut ij qui contradicunt Sacerdoti.* c. 4. v. 4. Et utinam Defensores Probabilitatis solummodò hac in parte, D. Augustino, & Doctori Angelico contradixissent, non verò iisdem, tàm audacter quàm falsò, vagam ac remissam hanc Probabilitatem imposuissent. Ex quo subinde duplex malum non potest non provenire; nimirùm, aut maximus doctrinæ ipsorum (saltem apud incautos) contemptus : aut periculosissimus usus illius, factâ ipsorum doctrinâ *in muscipulam pedibus insipientium* (ut Scriptura loquitur) existimantium nupera, de Probabilitate dogmata, esse ex sanctis illis Patribus deprompta, ac subinde tantis Authoribus satis tuta : cum tamen ipsis omninò adversentur, ut palam Deo favente infra demonstrabimus ex evidentissimis illorum testimoniis.

Sed ut ab omnibus hìc judicemur, *Ambulantes,* ut loquitur Apostolus, *in sola defensione & manifestatione veritatis : contra quam, nihil nos posse; cum ipso in Domino gloriamur.* Nec statum nec personas hìc exagitamus Defensorum Probabilitatis citra absolutam necessitatem, (ne scilicet dicant ipsis à nobis imponi;) sed propositiones, ut in se jacent, expugnabimus : quales sunt illæ, quæ in famoso illo libello, falsoque nomine (cujus Authorem vellemus ignorare) sunt evulgatæ, de quibus doctissima Facultas Parisiensis hæc in sua censura ait : *Hæ propositiones sunt pudendæ, infames, & scandalosæ.* Et tamen in magnum veritatis ac divini honoris præjudicium, necnon in magnam perniciem salutis animarum, renovatæ sunt palam novâ ejusd. lib. editione in fol. falsò Cracoviæ, & in rei veritate, quantùm licet conjicere ex caractere, Lugduni. Atqui omnes illæ propositiones probabilitate donatæ sunt à suo Authore; alio ergo non indigent palliô, ut honorificè semper prodeant in lucem, quàm hac propositione Magistri Philosophiæ, *Omnis propositio, etiam minùs probabilis, & in moralibus, est sufficiens morum regula,* ut passim suadere nititur in suo libello & thesibus.

Si ad ſpecialia deſcendamus : quis patienter ferat propoſitionem judicio ſacræ Facultatis Pariſienſis, *falſam, & caſtis auribus horribilem*, ſancto Pręſuli Antonino adſcribi, ſcilicet, *defeſſum quocumque labore, etiam illicito, v. g. cum fœminis commixtione, liberari à jejunio.* Quod licet ſit falſiſſimum, neque unquanm ſancto Præſuli venerit in mentem ; interim tamen expedit in anteceſſum huic malo promptum ex D. Thoma apponere antidotum, deMalo. q. 16. a. 5. ad 11. *Sicut*, inquit, *ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſideratâ ebrietatis voluntariâ causâ, ſecundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam : ita etiam poteſt intelligi, quod diabolus tenetur converti ad Deum, quamvis hoc ei ſit impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatum ; quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit.* Quis itidem ab illo non abhorreat, qui ſemoto omni pudore, non erubuit Bullam Pii V. ludificari, contra Clericos crimine peſſimo affectos latam : ſubterfugiis excogitatis ita ſtupendis, ut mirum ſit, ab hujus viri calamo effluxiſſe, quæ perditiſſima mulier vix auderet proferre. Mitto alia, quæ non minùs falsò impoſita ſunt Doctori Angelico : v. g. *Quod quis retinere poſſit quæ per ſubverſionem juſtitiæ, turpi lucro acquiſivit.* At ſi ſemel obtineret de Probabilitate quam impugnamus doctrina, uno verbo omnes difficultatis nodos non ſolveret, ſed hoc probabilitatis axiomate diſſecaret, *Authore non caret, ergo probabilis eſt.* Viden, Amice Lector, quò proceſſerit hæc nova Probabilitatis doctrina.

SECTIO III.

Turpia proferuntur exempla, quæ tamen forent juxta probabilitatem excuſanda.

Nu. 3. TE ergo teſte, non contra rectum probabilitatis uſum dimicabimus ; ſed adverſus abuſum illius, quem crudeli quadam benignitate, ratio humana ſupremo Numine inconſulto, & neglectis fidei teſtimoniis, noſtro ævo ſtuduit obtrudere, ex qua itidem proceſſerunt olim inter Paganos tot deliria, & ipſa malorum omnium origo, Idololatria. Nam ut dicitur Sap. 14. v. 16. *Interveniente tempore, invaleſcente iniquâ conſuetudine, hic error (ſcilicet Idolorum cultus) tanquam lex cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio figmenta colebantur.* Illinc inter Derbices & Meſſagetas crudelitates, qui jugulabant ac vorebant ſuos parentes ſenes, exiſtimantes melius eſſe ut à ſeipſis comederentur, quàm à vermibus. Talis eſt apud Indos amentia, apud quos mulieres igne cremantur poſt mortem maritorum. Talis furor apud Carthaginenſes & Gallos, apud quos non ſolùm crebra erant infanticidia, ſed & hominum ſacrificia dæmoniis immolatorum. Ex his, aliiſque innumeris ſimilibus evidentiſſimè infertur, quàm ſit cæca ratio humana, ſibi ſoli derelicta : quam ita corrigere nequivit etiam accuratum ipſius Philoſophiæ ſtudium, quin in nefandiſſimas turpitudines inciderit apud Philoſophos, ipſumque Platonem, apud quem inſtitutæ erant leges de adulteriis perpetrandis, quibus præcipiebatur ut mulieres eſſent communes. At hæc, & ſimilia excuſatione legitimâ non carerent ; nàm *talis erat illis perſuaſio.* Quod ſufficit Defenſoribus vagæ hujus Proba-

bilitatis: immò hæc turpia ac nefanda, erant statuta legibus, & Principum Edictis præcepta. His tamen non obstantibus, ad solius rationis tribunal nos remittere satagit vaga Probabilitas, usurpatâ authoritate definiendi, utrùm Majorum præceptis obedire teneamur: utrùm Ecclesiæ leges sint sufficienter promulgatæ, aut nullæ: ex eo vel solo, quòd aliquandiu non fuerint à nobis observatæ, licet talis nobedientia fuerit injusta.

SECTIO IV.

Majus malum Perpetratur per probabilitatem in subversione legum: sicut & in scandalo Hæreticorum.

Nu. 4. URgeo magis. Malum quidem est & grande, morum corruptionem inducere; aut eam contra leges grassantem, non impedire cum possis: sed longé minus est hoc malum, quàm illas corrumpere: ita ut vitiis, quibus coërcendis fuerant institutæ, favere videantur: nam quandiu leges non pervertuntur, sunt veluti aggeres fortissimi, quibus saltem boni obteguntur, & nonnulli etiam impediuntur mali, ne tam liberè in præceps ruant. At his repagulis semel effractis, cuncti promiscuè tanquam validissimo torrente rapiuntur, nec ulla est spes revocandi transgressores, cum boni ipsi deceptionis fraude, aut falsâ aliquâ ratione excæcati, eò minus possint emendari si ceciderint, quò malum ipsum sub specie boni aut liciti ipsis magis adulatur. Explicatur. Ab omnibus timoratis profligatur hæc Epicurea propositio: *Licet se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, ut possit quis ob solam voluptatem iterùm & iterùm comedere.* At occurrit Probabilitas hâc falsâ ac fucatâ ratione, quæ solvit omnes temperantiæ leges. *Cur,* inquit, *sensus suâ voluptate naturali non fruetur?* Sicque non solum justæ perveruntur regulæ & leges, sed falsæ introducuntur. Talis non immeritò existimatur hæc alia Defensorum Probabilitatis regula, quâ dicitur, *ut tanquam probabilis habeatur omnis opinio, quæ manifestè falsa non fuerit.* Hâc enim plures opiniones falsissimæ & fidei contrariæ. v. g. circa Divini Numinis providentiam, animæ immortalitatem, &c. essent probabiles, aut saltem, ut veriùs loquamur, ex principiis adversariorum existimarentur tales: quod illis sufficit.; verùm hac in parte perniciosum esset silentium nostrum. nam, ut utar verbis magni Yvonis Episcopi Carnutensis, *Infirmitati humanæ consulentes, ea facere non debemus, (immò nec sinere ut fiant, si impedire valeamus) in oculis infirmorum, quibus tanquam argumentis utantur ad velandam suam perversitatem, & infuscandam nostræ serenitatis simplicitatem.*

Dices cum quodam Moderno, non omnes illas propositiones scandalosas ac turpes, Sanctis illis Ecclesiæ Patribus affingi ab Autoribus aut Patronis vagæ probabilitatis.

Respondeo 1. Falsum esse tum ex dictis, tum ex dicendis, cum nonnullæ propositiones etiam turpissimæ obtrudantur & obtegantur illorum authoritate. Respondeo 2. nostrâ, plurimùm (totiusque cœtus Sanctorum interesse, ne saltem à fidei hostibus illæ aut his similes propositiones possint eorum uni vel

apparenter affingi. Verùm semel admissâ Magistri propositione, jam ut diximus, semel & iterum damnatâ, nec propter hoc ab Adversariis emendata: *Licet etiam in Moralibus sequi opinionem minus probabilem*; sintque innumerę propositiones per Orbem sparsę in Casuistarum libris tanquam probabiles: & ut tales ab Apologista Casuistarum propugnatæ, à nullo verò (quem sciamus) revocatæ vel emendatæ. Necessariâ consecutione infertur illas fore admittendas, ex falso dictæ quam impugnamus propositionis principio, *licet*, *&c.* Unde dicendum est quod dixit Caramuel in aliâ occasione, *vel omnia debent transglutire Adversarij, vel à principaliori opinione discedere*: quare & huic Moderno, illud D. Augustini lib. 2. de adult. conju. c. 4. reponam, & ut arbitror non immeritò: *Hoc tu quidem non sentis, sed hoc sequitur illa quæ sentis*: *muta ergo antecedentia, si vis cavere sequentia.*

At non tam curamus quid sentias, quàm quid sentiendum sit, aut sentiri possit ex hac doctrina: non enim possunt omnes discernere, *inter lepram & non lepram*; id est, dijudicare id quod est verè, vel tantùm apparenter, immò & falsò probabile. Dissimulari fortasse posset prædicta propositio, *licet sequi opinionem minùs probabilem*, ut olim, à viris doctis ac timoratis bonâ fide tradita, nondum prospicientibus, quid ex illa educeretur: necdum disseminatâ per Orbem innumera propositionum multitudine pias & castas aures offendentium, palliô tamen probabilitatis tectarum: at jam factum est intolerabile malum quod serpit ut cancer, & quod tamen suos habet patronos.

Nemini igitur mirum esse debet, si & nostram sinceritatem hac in parte contra tot falsa nobis imposita aperiamus; & illorum coram hominibus defensionem suscipiamus, quorum apud Deum exoptamus Patrocinium. Itaque si mihi liceat sequentia Divi Chrysostomi verba usurpare, dicam; *Superseminatis Zizaniis expavimus, metuentes ne zizaniorum gramina ad nostram redirent offensam*: *& licet conscientia nostra hic nihil haberet præter jacturam boni seminis* (quod ad justam quęrimoniam nobis sufficeret) *debemus Domini nostri auditum prævenire ne securi de innocentia, reatum de silentio sustineamus.* Sed ulterius progrediamur. Malum etiam est id, quô tot ac tantis malis patrocinium exhibetur: sed ad cumulum istud accidere judicabitur: quòd non solùm toti Ecclesię sit ignominiosa ac perniciosa, hæc vaga de probabilitate doctrina, sed ipsis Heterodoxis scandalosa, indè arreptâ occasione perseverandi in suo schismate: dùm existimant (licet falsò) talem doctrinam pertinere ad Ecclesiam Romanam, quam ex animo aversatur, ut patet tot censuris. Et ne hic male ominari, aut falsis duci conjecturis videamur, fidem absolvet Molinæi Libellus, cui titulus est, *Traditions Romaines*, ac novissimè alius Minister nomine, *Derelincour*, qui alium edidit Librum, cui & hunc gallicè præfixit titulum latinè redditum, *Licentia quam Casuistæ Communionis Romanæ, dant suis devotis.*

Et quamvis Hæretici extra Christi Ovile & Arcam Noë positi, nihil habeant ex his Casuistarum laxitatibus & libris, unde aut separationis suæ causam excusare possint, sibique adulari: aut Ecclesiæ quidquam valeant improperare, quæ doctrinam hanc, ut dictum est, non approbat, sed Cen-

suris ac Anathematibus improbat, & percutit. Attamen operæ pretium est, eam sic traducere, ut nemo decipiatur: etenim sicuti præscriptum est legibus; *Deceptis subveniendum est, nullatenùs verò favendum deceptoribus.*

In talibus siquidem causis (inquit Cælestinus Papa ad Epis. Galliæ c. 1. apud S. Augustinum in Appendice to. 7.) *Non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret: meritò namque nos causa respicit; si silentiô faveamus errori. Error enim,* inquit D. Gregorius, *cui non resistitur, approbatur.*

SECTIO V.

Quod inutiles sint & tantùm apparentes seu evanidæ Modificationes Defensorum Probabilitatis remissæ.

Nu.5. UNum erat, quod me ab hujus defensionis onere, levare poterat; nempè, quædam Modificatio, à privatis quibusdam Patronis vagæ Probabilitatis facta, & certis Theologiæ Moralis casibus adhibita. *Quod scilicet non omnis quidem Probabilitas sit admittenda, sed illa tantùm quæ gravi Authoritate, aut rationibus magni ponderis suffulta sit.* At, evidenter deprehendi, non nisi fucum ex hoc rebus fieri: nam per gravem Doctorem, quemlibet ex Casuistis (Quos omnes existimat doctos Probabilitatis ille Defensor) intelligit: cui non minorem defert Authoritatem, quàm Stoïci suo Sapienti, quem omnia scire jactabant: ait enim ille (*Homo doctus nunquam sic fallitur, ut ipsi falsum, quasi probabile obrepat.* At quod est probabile (inquiunt) sufficit ad securitatem conscientiæ. Itidem per rationes magni ponderis, non intelligunt rationes veras, legi, officio, aut honestati faventes: sed tantùm verisimiles, quæ tùm suis Authoribus, tùm hominibus in libertatem, lucrum aut voluptatem propensis, semper erunt probabiles: nam quisque suæ imaginationis idolum facillimè colit; & cùm ferè unusquisque judicet prout ipse fuerit affectus; mirum in modum acuet ingenium amor libertatis, lucri & voluptatum ad excogitandas rationes apparentes, quibus incauti decipiantur: quod fusius infra apparebit in Joanne Cardena, cap. ultimo.

Hoc ipsum elegantissimè aperuit, illustrissimus Gandavensis Episcopus, in sua ad Clerum suum Epistola: in qua ait; *Nullum penè jam esse praceptum naturale aut positivum, quod quæstuosis Probabilitatibus obnoxium non sit, & eludatur.* Quod velim prænotatum.

Sed ut meridiana luce evidentius innotescat, omnes Adversariorum modificationes esse prorsus evanidas, inutiles & fucatas: hic non exscribam Escolarium Casuistam; sed alium Modernum qui strictior cæteris haberi voluit: quique nihilominùs non solùm intactam, in tota sua latitudine relinquit Probabilitatem, sed illam plenè restituit, etiam ab aliis castigatam, idque his verbis; *Imprudenter* (inquit) *procederet, qui aliorum opiniones communiter receptas, vel etiam novas, ideò tantùm judicaret improbabiles, quia rationes contra eos, aliquas habet, quas ipse non potest solvere: neque*

putaret ab aliis posse solvi. Quia persuadêre sibi prudens quisque debet; multas sæpè rationes apparere insolubiles, quas facilè alij solvunt. Ideò nemo unquam solo judicio suo aliorum sententias debet judicare improbabiles.

Atqui sparsæ sunt de rebus ferè omnibus in libris Casuistarum opiniones probabiles sine numeris & personis (ut aiunt) id est, infinitæ: quæ præmissò hoc Neotericorum monitô: & aliunde semel admissâ propositione P. S. Ju. *Licitum est sequi in praxi, opinionem minùs probabilem* (ita gratanter (ut accepi) excepta Gratianopoli, ut volentibus ejus falsitatem invictis argumentis ostendere in publicis disputationibus; os fuerit obstructum, altissimumque impositum silentium) integram habent laxissimæ probabilitatis Defensores licentiam, etiam in moralibus; quæ tota, in dicta propositione veluti in radice continetur; eoque periculosiori modo, quô occultiori obtruditur à S. Ju, ac plurimorum (licet falsò) hanc munire suffragio ipse molitur.

At, quid non tentasset vir ille; qui non tantùm extraneis hanc propositionem affingit, sed nobismetipsis etiam reclamantibus eam imponere non erubescit, asserens hanc esse, non solùm propriam D. Thomæ doctrinam, *sed communem omnium Thomistarum sententiam.* Verùm si calumniæ tam apertę adeóque nobis injuriosæ disseminationem impedire nequivimus: rei veritatem, nostræque sinceritatem doctrinæ diutiùs silere, nunc nec possumus, nec debemus, cum hoc nemini denegetur, ceu unicum ac opportunum sparsæ falsitatis remedium. Etenim, ut ait D. Gregorius Magnus: *Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur: nam veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere.* Atqui asserere non vereor vix unam fuisse in Ecclesia hæresim: (ex plusquam trecentis, quas extinxit) quæ aut plura aut majora mala pepererit, quàm ex vagâ probabilitate, sic palliata seu dolô restituta, possent tandem suo tempore dimanare: quæ non unum errorem aut peccatum inducit, sed universim omnia feré flagitia delinit, excusat ac tegit rationibus fucatis, quibus itidem omnibus illudit Dei legibus ac Præpositorum præceptis. Quare non dubito quin obstupescant ac doleant plurimi quòd recens propugnata sit; rursumque libello speciali disseminata hæc doctrina, quâ tanquam ex fermento, tota probitas morum brevi temporis intervallo corrumperetur; ac vanum & inutile efficeretur quidquid à summo Pontifice, & ab omnibus ferè Episcopis Galliæ, tanto labore actum est in profliganda vaga probabilitate: quos nemo existimabit modum excessisse, si apud se voluerit meritum hujus causæ, æqua staterâ ponderare: nam ut optimè advertit quidam Modernus. *Nulla est difficultas qua amplitudine comparari possit cum probabilitate: licet enim unius tantùm quæstionis nomen habeat, innumerabilium tamen, ne dicam omnium aliarum est origo, ex qua illa vel derivanda sint, vel ad eam revocanda: nulla siquidem est materia, ad quam non pertineat, aut cui non se immisceat probabilitatum delectus*: Quare si præfata admittatur doctrina: ad probabilitatis nutum indaganda erunt, & componenda reconditiora synderesis arcana: Ex probabilitate etiam charitatis & prudentiæ depromenda erunt principia: nec non pręcipua vitæ Christianæ & societatis humanæ officia, (quę unâ nituntur pro lege, officio ac fine debito justè consequendo partis tutioris electione;) ad probabilitatis tribunal erunt deducenda: & ipsa probabilitas

bilitas quæ est ignorantiæ filia; constituet regulas ad omne genus rerum pertinentes. Ut ex illis judicare discamus de conscientiæ dictamine: de sufficienti legum promulgatione, valore aut abrogatione: idque non tantùm quando agetur de fortunæ bonis, aut corporis valetudine, sed etiam in rebus maximi ponderis, v.g. de morbis spiritualibus Animæ, de remediis illis convenientibus ac necessariis: de valida Sacramentorum administratione: de ipsius Animæ natura, ejus immortalitate, fœlicitate aut æterna damnatione: seu ut ipsis utar verbis Authorum Probabilitatis; *Cùm de æternitate jacitur alea.* Qui de rebus per Probabilitatem quasi ex joco agere videntur. Et propterea superius dixi in hac vaga probabilitate, cui uni bellum indiximus, recludi causam totius Generis humani, cujus omnis status & conditio ad probabilitatem in suis Officiis confugere possit propter quæstionis amplitudinem, ut dictum est. *Nec perpendunt* (inquit Episcopus Gandavensis supra laudatus) *Supremum judicem Deum, non ex Magistrorum istorum placitis ac commentis, sed ex Christianæ pietatis Regulis sententiam aliquando laturum. Istosque Consultores Tribunali tunc temporis non adfuturos, qui causam agant ac philosophicis ratiocinationibus deffendant reos, quibus relictâ securiori via per minus securam, modò commodam se posse tutò incidere persuaserant.*

SECTIO VI.

Breviter ostenditur quàm insufficiens sit probabilitas, ad excusandum peccatum exemplo Protoparentum: & D. Augustini testimonio, nimia creaturæ arrogantia in propugnanda libertate creata demonstratur.

6. EXistimavi non fore molestum Lectori, si in sequentibus breviter aperirem, jam diù latentem probabilitatem, & in uno Adami & Evæ peccato, totam ferè recludi probabilitatis solertiam: quæ sicut ipsis, nihil omninò profuit ad excusandas excusationes in peccatis: ita & inutilis erit eâ utentibus. Quod sic acceptum velim, non quasi dicam Adamum & Evam aliosque à Mercoro citatos, artem Authorum probabilitatis calluisse, aut eâ usos fuisse (nisi quatenus ipsis jam corrupta per superbiam suggessit natura, in consimiles excusationes satis propensa) Quod nunquam ipsi Mercoro venit in mentem: qui tantùm indicare voluit ex argustiis Defensorum probabilitatis, eorumque doctrina & principiis: facilé excusari potuisse hæc & similia Protoparentum, Saülis & aliorum peccata, quæ tamen æquissimus Judex nec excusata habuit, nec reliquit impunita. Quâ in re advertat Lector, nullam nos gerere hastam, sed clypeum tantùm: nosque Aggressores non esse, sed Defensores: & quidem non tàm D. Thomæ aut Thomistarum doctrinæ, quàm juris Divini & communis causæ totius Religionis Christianæ, ut jam satis patet ex prælibatis, magisque patebit ex dicendis. Nam sicut per probabilitatem (cuncta ferè, ut dictum est, ambientem, rebus fidei nedùm exceptis) creatura nimis extollitur, cui Authoritas tribuitur, quasi Divina, dum asserunt; *Unius Casuistæ calculum, modo rem tractaverit ex professo, sufficere ad securitatem con-*

ſcientiæ. Ita per novum modum explicandi Concurſum Dei, Deum ipſum nimis deprimunt, cui ſingularem agendi pręrogativam & modum, ejus Omnipotentiæ maximè congruentem & proprium denegant; ſibique arrogant: quod non aliunde provenit, quàm ex radice peccati primi hominis: qui (ut ait D. Auguſtinus lib. 2. de Gen. contra Manichæos cap. 17. peccavit, *Quia voluit eſſe par Deo*; *id eſt*, *liber ab ejus Dominio*, *ſicut ille ab omni Dominio liber eſt*, *quoniam ipſe eſt Dominus omnium*. Solus autem Deus ab omni Dominio liber eſt, & ut ait idem S. Pręſul to 3. de ſpirit. & litt. cap. 30. in fin. Maxime allucinantur illi, qui ut ſint *Liberi*, *nec ipſum* (ſc. Deum) *volunt habere Dominum*.

Has duas difficultates ſeu controverſias (Quæ ſunt veluti duo Cardinales ſive Poli Moralis Theologię, & totius doctrinę D. Thomæ) exiſtimabamus ſopitas, vel ſaltem ita ſuſpenſas, ut nunquam de ipſis rediret ſermo. Probabilitatem quidem, nam licet de illa, nullam haberemus retractationem, ſuſpenſione utcumque contenti eramus, haſque ſpernendas non eſſe exiſtimabamus inducias, quibus probabilitatis Defenſores fiunt Neutraliſtę, ut loquitur Cellędeus. *Non curamus* (inquiunt) *nec amplius diſceptamus*, *an verè vel falſæ ſint illæ opiniones*, *quas tot ac tanti viri æſtimaverunt probabiles*. Ex quo, pronus in pacem, & mutata ſententia, id uſurpabam, *Qui non eſt adverſum nos*: *pro nobis eſt*. Luc 9. v. 50. Illudque deffendendum putabam, etiam adverſus eos, quid aliud paris ponderis Matth. 12. v. 30. mihi objeciebant; *Qui non eſt mecum*, *contra me eſt*, & *qui non colligit mecum*, *diſpergit*.

Alteram verò, de Concurſu Dei controverſiam, prorsùs extinctam etiam arbitrabar; datis in lucem à ſex annis, tribus hac de re libris, quibus nulla reſponſio fuerat facta. Verùm in equo Trojano latebant milites; nam circa probabilitatem totum certamen inſtauravit ex una parte Gratianopoli, P. S. Ju Magiſter Philoſophiæ: primò ſuis theſibus, ac rursùm libello ſpeciali diſſeminato: ut ipſo, ſuę vagæ ac ampliſſimæ probabilitatis, totus mundus eſſet particeps. Ex altera verò Regione ſcilicet in Belgio adverſus Prævium Dei concurſum recenter 1673. Claſſicum in me cecinit quidam Anonimus, falſô vocabulô, Germanus Philalethes Eupiſtinus, lepidus in cavillis, in injuriis facundus: quoad veritatem quam aggreſſus eſt impugnandam, non admodum fœlix, ut citò patebit: ſi nomen proprium occultavit, utcumque excuſabilis eſt: cùm non poſſet ſeipſum manifeſtare, ſine aperto ſui dedecore. Quantum verò ad probabilitatem, hęc una primò nos hîc totos detinebit occuptos: cum qua agemus, totâ, quâ poterimus humanitate; quare probabilitatem non vocabimus cum Antonio Merenda: *Commentum diaboli*. Neque tamen aliunde, hac magnâ in illam commiſeratione ac reverentiâ commovebimur cum Cardena, qui in ſua Criſi 1670. edita Lugduni, ait pagina 117. *Dolendum quod multi ſacrum probabilitatis nomen corrumpunt*. At illius dolorem delinire conabimur, etenim probabilitatem quantùm æquitas poſtulaverit, tuebimur: non tanquam aliquid ſacrum, ſed ut quidpiam valde imperfectum, quod certis circumſtantiis & modificationibus corrigere ac emendare conabimur. Nec à medio (quod tenuêre Beati) Deo favente, recedemus.

Hîc unum velim monitum Lectorem benevolum, me ſcilicet nonnulla

integra haud exscripturum ex Patribus testimonia, ne compendiosæ apocrisis metas excedam, & nimium intumescat volumen, quod cupio esse exiguum. Quare accipiam tantùm quæ judicavero necessaria & sufficentia ad rem propositam evincendam: indicabo tamen similibus punctis.... &c. Aliquid superesse, quod non magis detrectem, quàm illud quod expresse & explicitè depromam. Et hoc non silendum putavi, ne arbitrentur aut exprobrent Adversarij id à me dolo aut aliquâ fraude factum fuisse; exemplô eorum qui ubi quidpiam sibi incommodum reperiunt; aut illud corrumpunt, aut non gravatè relinquunt, ut passim data occasione ostendam.



EXPLICATIONIS THEOLOGIÆ MORALIS

LIBER PRIMUS,

CONTRA LIBELLVM A LECTORE PHILOSOPHIÆ Collegij Gratianopolitani nomine *Saint Iuste*, vulgò *S. Iu*, nuper editum.

CAPUT PRIMVM.

SECTIO I.

Quid sit Probabilitas ex mente Divi Thomæ: & quæ illius Radix, unde dicatur opinio magis aut minùs probabilis?

Nu. 1. NE in hac controversia satis obscura sine luce aut sine Duce procedamus; scire expedit ante omnia. Quid sit *Probabilitas*. Quid *Opinio*. Ut in sequentibus palam innotescat; Quid sit *Opinio probabilis*. Et utrum ipsa esse possit aliquando sufficiens Morum Regula. Quod ut aperire possimus, necessarium erit quædam prçmittere, ac præ cæteris Doctorem Angelicum consulere, qui res omnes, tùm speculativas, tùm Morales, mirabili subtilitate ingenij rimari consuevit: nec minori perspicuitate semper explicare.

Primò igitur certum est; Probabilitatem modô valde diversô, exprimi in Scriptura ab eo, quô ut plurimùm utimur. Nam probabilitatis vocabulô (Si tamen verè, pro Probabilitate sit usurpandum) nihil aliud in Scripturis intelligitur, quàm *probata æquitas, seu bonitas irreprehensibilis, sive virtus digna Dei approbatione*. Sic 2. ad Tim 2. v. 15. dicitur; *Sollicitè cura te ipsum Probabilem exhibere Deo*. Et Eccl. 41. v. 8. *Eris eruditus in omnibus, & Probabilis in conspectu omnium viventium*.

At Probabilitas prout à nobis hìc sumitur, est tantùm *verisimilitudo*: seu *quædam imperfecta veritatis imago*: Sive ut alij volunt, *Incerta ac confusa cognitio veritatis*. Quæ subinde latitudinem habere possit, prout res una est alteri magis, aut minùs verisimilis: aut magis, minusve ab uno cognoscitur, quàm ab alio. Per ordinem igitur ad veritatem hæc verisimilitudo consideranda est.

Veritas verò, quæ D. Thoma teste 1. p. q. 16. a. 1. & 8. in adæquatione

intellectus cum reintellecta, essentialiter consistit; indivisibilis est, sicut & numerorum species : nec subinde augeri aut minui potest : bene tamen destrui per mutationem intellectus diversam, de re eodem modo se habente, concipientis æstimationem : vel per mutationem ipsius rei cognitæ, eodem de ipsa, conceptu persistente. Ex quo ut patet, non est major convenientia veritatem inter & Probabilitatem; quàm inter rem vere existentem, & imperfectam ejus imaginem.

Imperfectam dico : quia non minùs falsitatis quàm veritatis susceptiva est opinio, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 57. a. 2. ad 3. A quo hanc ob causam excluditur à virtutum intellectualium consortio, ab eoque hunc in mundum definitur.

2. *Opinio est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.* Ita S. Doctor 1. p. q. 79. a. 9. ad 4, & 2. 2. q 1. a. 4. Itaque opinari nihil aliud erit quàm ex verisimilibus conjecturis & apparentibus argumentis quidpiam judicare cum formidine partis oppositæ. Et opinio probabilis erit, cui verum vel falsum inesse possit, suasque alicujus momenti habeat rationes, quæ falsitatis apertæ revinci nequeant. Seu, ut ait Divus Bernardus 5. de Consid. c. 2. *Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias.* Nam ut ipse præmiserat *Opinio erti nihil habens, verum per verisimilia quærit, potius quam apprehendit.* Quæ omnia ut per se patet, verisimilitudinis rationem minime excedunt.

Et quia nonnullæ sunt rerum similitudines magis aut minùs perfectæ: hinc est quòd inter opiniones, aliquæ etiam dicuntur, magis aut minùs probabiles, quæ vel autoritatibus gravioribus suffultæ videntur, vel verisimilioribus rationibus innituntur. Hoc tamen discrimine, quod proprium & intrinsecum opinionis fundamentum est ratio seu esse rei probabiliter cognitæ : Authoritas verò est extrinsecum & minoris ponderis argumentum, à quo & dicitur opinio Authentica. Porrò, ob hujusmodi argumentum, non magis huic quàm illi credimus opinioni, nisi quia existimamus rem magis perspectam, magisque notam illi quàm alteri. Veritas enim intellectus creati causatur à rebus, & ex eo quod res est vel non est, enuntiatio vel opinio dicitur vera vel falsa. Quare omnis opinio ex propria & intrinseca ratione semper est incerta, utpote argumento convincenti destituta, sed solo medio apparenti & formidoloso innixa. At longè periculosior est illa, quæ præter innatam omni opinioni infirmitatem & inevidentiam; gravibus partis adversæ argumentis impugnatur.

SECTIO II.

Duæ species Probabilitatis assignantur, quieta scilicet & agitata; illarum discrimen : solida D. Thomæ præmittuntur fundamenta pro hac controversia dirimenda, ex diversis modis quibus intellectus movetur.

3. Sic expressâ seu exposita Probabilitate, verisimilitudinis Numcupatione : Probabilitatem comparare possumus rerum imaginibus in aqua re-

ceptis : quæ si quieta fuerit, utcumque sufficiant res repræsentare. Nam ut ait Virgilius *fontibus in liquidis simplex generatur imago*. Si verò turbata aut agitata fuerit aqua; nusquam vere objectorum similitudines referet, ex quibus innotescere possint objecta. Itaque dividenda mihi videtur opinio in quietam seu pacificam : & in agitatam sive turbatam argumentis adversæ partis.

Quietam voco eam, quæ nullo partis adversæ vellicatur argumento : talis est communis æstimatio habita de alicujus probitate, quæ nullo unquam falsæ suspicionis rumore fuit labefactata seu turbata. Opinio verò agitata designatur hominis famâ, quæ in discrimen aliquando vocata, nullo tamen fuit crimine convicta : de qua intelligi potest commune effatum; *Quos liberat justitia, notat.* Vix enim fieri potest, quin ex hac sugillatione, saltem levis aliqua suspicio, quæ animum pulset, suboriatur : ob quam non temerè judicandum, sed sibi cavendum seu cautius incedendum.

Quid autem sit discriminis inter has duas Probabilitatis seu opinionis probabilis species, quietæ scilicet & agitatæ argumentis contrariæ partis dicemus infra Conclusione 2. ubi ostendemus quî possimus quandoque priorem sequi, non verò alteram, in qua, ex contrarietate partis adversæ debet quisque sibi non minus metuere, quàm Columba sibi timeat ex Milui specie, in qua apparente, & maxime ubi est aliquod periculum mortalis culpæ.

4. Hæc præmittere oportuit, ne pluries eadem repetere cogeremur. Verùm quia hìc nostra venditare nolumus, sed tantummodò Angelicum Doctorem auscultare. Dicimus hoc intricatissimum totius Theologiæ Moralis arcanum, mirum in modum fuisse ab ipsomet enucleatum in 3. sent. dist. 23. a. 2. Et de verit. q. 14. a. 1. ubi ostendit, *Credere seu cum assensu judicare ad secundam mentis operationem sicut & opinari, pertinere* Et intellectum possibilem natum moveri à duobus scilicet ab objecto & voluntate, cujus est despotice omnes alias (exceptis duntaxat facultatibus vegetativæ partis) movere potentias : vel saltem politicè, quô motionis beneficio vicissim obstricta intellectui voluntas ipsa, cui intellectus proprium manifestat objectum, ac illi tanquam Consiliarius Regi aperit rationes, quibus ad aliquid agendum moveatur. Et de hoc frequentius Doctor Angelicus, sub communi effato ; *Causæ sunt sibi invicem causæ.* Ita de verit. q. 22. a. ij. ad 5. & art. 12. Item 1. p. q. 82. a. 4. Et 1. 2. q. 12. usque ad 17. inclusive. Ac denique 1. Cont. Gent. cap. 72. rat. 6.

Intellectus ergo movetur & ab Objecto : & à Voluntate. Et quando movetur ab Objecto, id asserit fieri D. Thomas de verit. q. 14. a. 1. Quatuor Modis. Primò enim immediate movetur intellectus ex principiis per se motis, quibus Sapientia comparatur vel absolutè vel secundùm quid & in uno quoque genere. 2. Movetur mediante illatione legitimâ ex primis principiis educta; & sic Conclusionibus demonstrativis habetur Scientia, quæ est evidens & certa.

Præter hos duos motionis modos. Tertiò ita movetur intellectus, ut magis propendeat in unam partem, quàm in oppositam : & hæc est (in-

quit D. Thomas) *dispositio opinantis.* Qui nec evidentiam habet, nec certitudinem. Quartò denique, movetur intellectus, *sed non magis inclinatur ad unam partem quàm ad aliam, propter apparentem æqualitatem eorum quæ movent ad utramque partem; & ista*, inquit, *est dispositio dubitantis.* Idem explicat Sanctus Doctor in 3. Sent. dist. 23 a. 2. omninò legendus.

5. Præfatam distinctionem velim remanere altâ mente repostam: nam ex hac infra, favente Deo, evidenter demonstrabo, non esse licitum, absolutè loquendo, in materia morum sequi opinionem æquè probabilem ac potiori jure, minùs probabilem. Etenim sicut addita numero unitate statim mutatur species illius & ex ternario, v. g. fit quaternarius: ita adveniente opinioni novâ ratione partis oppositæ, opinio facilè desinit in dubium, in quo, ut fatentur omnes, nemo operari potest sine peccato.

Dubium verò definitur ab Isidoro: *Motus intellectûs indifferens ad utramque contradictionis partem.* Seu est, *Motus rationis verum inquirentis, sed prædicta aliquo difficultatis nodo, ac subinde circa utramque contradictionis partem suspensæ ob formidinem se se determinandi ad alterutram, ex eo quod medium illi desit ad veritatem certò, vel saltem probabiliter inveniendam, idoneum.*

Dubium autem (inquit D. Thomas 3. Metaph. lect. 1.) hoc modo se habet ad mentem sicut ad corpus, vinculum corporale, quo quis strictè detinetur, ne ulterius progrediatur. Si stante rationum æqualitate quis operetur, solâ voluntatis temeritate solvitur, quâ reus efficitur secundùm magis aut minùs gravem dubii qualitatem, & maximè secundùm rei de qua agitur gravitatem.

Quando intellectus solô voluntatis imperiô movetur, dicitur moveri ab extrinseco; quia voluntas est potentia realiter ab intellectu distincta: quamvis dicenda non sit simpliciter intellectui extranea, quia est potentia ejusdem Animæ cujus est ipse intellectus.

6. Dixi intellectum moveri aliquando voluntatis imperiô: nam præceptum (quòd particularem respicit personam, sicut lex respicit multitudinem;) licet secundùm vim directivam ad intellectum pertineat: attamen secundum vim impulsivam, spectat ad voluntatem; non quidem primò & directè sicut volitio & nolitio, sed connotativè, ut exposui fusiùs in Tract. *De Legibus*, cap. 1.

Porrò rationem mutui hujus obsequii inter has facultates ab Angelico Doctore 1. p. q. 79. a. 11. ad 2. expressam reperies, ubi ait: *Verum & bonum se invicem includunt: nam verum est quoddam bonum, alioquin non esset appetibile. Et bonum est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile.* Quo ex principio infert sanctus Doctor, 1. 2. q. 13. a. 1. *Nomine electionis importari aliquid pertinens ad intellectum, & aliquid pertinens ad voluntatem: Et ideò electio dicitur Intellectus appetitivus, & Appetitus intellectivus.* Quare non existimes nos contradictionis vitio laborare, si aliquando diximus alibi imperium aut electionem ad intellectum & voluntatem pertinere: sic enim fieri necesse est, ne, aut careat efficaciâ intellectûs directio; aut cæcum sit voluntatis imperium.

Quando ergo intellectus à voluntate movetur, *ascensus non à cogitatione causatur, sed à voluntate: Et ideò quamvis firmissimè creditis fide infusâ assentiatur intellectus, non est ipsi factum satis: & inde est* (inquit D. Thomas

de Verit. q. 14. a. 1. *quòd in credente potest insurgere motus de contrario ejus quod firmissimè tenet.* Quando verò intellectus movetur, ab objecto intelligibili evidenter cognito, nullus insurgit motus contrarius: Nam in his quiescit & ita delectatur animus veritatem cognoscere, sicque refugit à falsitate, inquit D. Augustinus in Enchir. c. 17. *Vt falli nolint etiam quicumque amant fallere.* tom. 3.

Dixi, *evidenter cognito*, Oppositum cujus contingit, non solùm in creditis, sed etiam & ob eandem rationem (scilicet evidentiæ carentiam) in probabiliter tantùm cognitis: quæ si utrinque æqualis sint rationis, sola voluntas pro libito in unam partem potiùs quàm in alteram, intellectum flectere non poterit: quæ si utens vel potiùs abutens potentiâ naturali id fecerit contra præscriptum ab Authore naturæ ordinem, & sine novâ ratione; non magis æquum erit unum alteri præferre, quàm si statera in æquilibrio suspensa; non additione ponderis aut materiæ, quæ emitur; sed sola manus depressione, vi quâdam seu coactione in alteram partem flecteretur.

7. Ideò autem intellectus malè aliquando à voluntate movetur, quia appetitui se se immiscent nonnulli inordinati affectus, v. g. amoris aut odii; qui menti quidpiam pravum suggerere possunt. Ut ergo rectus sit opinionum delectus (etiam secundùm modum, quô intellectus aliquando à voluntate movetur) fieri debet juxta propriam boni ordinationem & bonum ipsius intellectus. Quòd si voluntas movere velit intellectum, vel ad ea, quæ supra se sunt, ejusque facultatem excedunt: vel ad ea, quæ aut ob defectum actualitatis ex se, aut ob carentiam luminis ex parte medii, non possunt perfectè cognosci: idem omninò est, ac si potentiam visivam movere vellet ad intuendum Solem, vel ipsam adigeret ut sub crepusculo aut caligine librum aliquem perfectè legeret.

Ratio est, quia facultas quam habet voluntas movendi alias potentias, non ita est despotica, quin majori ex parte sit politica, utpotè quæ non debeat utcumque, sed juxta uniuscujusque modum & bonum illi conveniens eas movere. Bonum autem intellectus & modus ipsius est, ut cognoscat res secundum quod sunt, ac de illis judicet juxta proprium cujusque meritum: unde testimonia humana, quæ de rebus habentur, sunt tantùm declaratoria valoris quem res habent, quemque hic meliùs quàm ille præsumitur cognoscere; quamobrem ipsi magis debemus credere, dummodò non afferat quidpiam quod sit contrarium legibus. Ex quo licet inferre, quantum nonnulli aberrent à veritate, qui parùm aut nihil curant rerum naturam cognoscere, aut studiosiùs indagare, dummodò de illis extrinsecam habere possint Probabilitatem humano testimonio comparatam.

Per prædicta non negamus, quin nostræ sit potestatis, mentem à dubitandi ratione & intelligendi causis avertere. Quòd si re ipsâ id facimus, vel directè intellectum avertendo, vel indirectè in aliis, imperio voluntatis ipsum occupando: tunc male ac perperam agimus, huic similes, de quo ait Vates Regius, *Noluit intelligere ut benè ageret.* Rationibus ergo, ut dictum est, seu motivis ex æquo pugnantibus; non nobis integrum est opinari ad libitum, vel in quamlibet voluerimus partem pro mero arbitrio nostro intellectum flectere. Nam intellectus rationem sequi natus sibi notam: naturaliter illam prosequitur, At ubi evidentiam fuerit semel

adeptus

adeptus, per eam ita convincitur & determinatur, ut si millies oppositum ei decantetur: v. g. *totum non esse majus suâ parte*, nullo modo moveatur, aut huic assentiatur: quod de voluntate dici non potest, quæ à solo bono increato limitari ac satiari potest. Legendus D. Thomas de verit. q. 27. a. 3. & alibi passim: ut in 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 4. ubi ait: *Invenitur aliquod verum in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest, ut patet in dignitatibus.* Hìc non obiter prætereundum puto, quod breviter suprà dictum est: nimirùm, *credita & probabiliter tantùm cognita*, in hoc convenire, quod utrumque evidentiâ careat. At in creditis fide infusâ, loco evidentiæ, intellectus ad assensum inclinatur ex pio voluntatis affectu orto ex eminenti sanctimonia & securitate Revelationis ab eo factæ, qui nec falli potest, nec fallere.

8. At in obscuris & probabiliter tantùm cognitis, id ipsum efficere conati sunt Probabilitatis Defensores: nam vice Authoritatis Divinæ cui credimus, ipsam Probabilitatem ferè sufficiunt ac obtrudere satagunt, ceu Divinitatem quandam infallibilem. Quare non miror si Cardenas pagina 117. n. 412. quasi illius Apotheosim efficiens, *sacrum dicat Probabilitatis nomen.* A nullo quem legerim Sacratum nisi ab ipso, qui videtur Numam Pompilium imitari. Hic siquidem ut authoritatem suis conferret legibus, finxit se eas à quadam Dea accepisse Sic Cardenas loco illius Faunæ, ut suis resolutionibus valorem compararet aut fidem; perpetuò recurrit ad Probabilitatem ceu Regulam infallibilem, dum eam datâ quâvis occasione prædicat *certam ac securam morum semitam:* modò (inquit) à Probabilitatis finibus minimè quis egrediatur. Qui alio volumine, suo priore adhuc majore, nunquam vel leviter probabit, quod illic tanquam certum supponit, nimirum *Probabilitatem esse sufficientem ad conscientiæ securitatem*, prout centies repetit.

Præfatæ doctrinæ fundamentum reperies apud Doctorem Angelicum 1. 2. qu. 13. art 6. ad 3. ubi fatetur non posse rationabiliter eligi secundùm se, id quod est alteri omninò æquale. *Nihil* (inquit) *prohibet si aliqua duo æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quàm in illud.*

Et quamvis hoc sufficeret ad exclusionem opinionis minùs probabilis, idque ut patet necessariâ illatione: tamen voluit Sanctus Doctor idipsum rursùs exprimere 1. 2. q. 78. a. 1. ubi ait: *Est voluntas inordinata, quando minus bonum magis amat.* Id est, quando illud eligit & apud ipsam præponderat.

Hæc longè meliùs enucleabuntur ex duodecim Conclusionibus infra subjiciendis, & ex Capitibus 9. & 10.



SECTIO III.

Nova aperitur causa hallucinationis in duplici libertate voluntatis : quodnam præsertim bonum respicere debeat vis electiva , ut sit recta. Unde res aliquæ dicantur obscuræ , probabiles , aut dubiæ. Notandum est discrimen inter Scientiam , Imaginationem & Opinionem , quæ facili negotio mutantur in invicem : & signanter qui & quando inter æqualia non sit libera electio.

9. CÆterùm circa voluntatem hìc unum se offert explicandum, quod est causa maximæ hallucinationis pro rebus eligendis; nimirùm in voluntate duplicem esse libertatem seu vim electivam. Prima est naturalis seu physica : altera est moralis. Libertati physicæ seu naturali ultrò conceditur potestas inclinandi mentem in quamcumque opinionem voluerit: sive opiniones illæ inter se pugnantes, sint æquales, sive magis aut minùs probabiles.

Libertas verò moralis est illa quæ sequitur ductum rectæ rationis, ac præscriptum sibi ab Authore naturæ, bonitatis ordinem & gradum. Unde hæc duo maximè differunt, scilicet, *facultas ad assensum cujuscumque opinionis* : *& jus morale eligendi quamcumque opinionem.* Facultatem hanc agnoscimus : jus verò eligen[illegible], pernegamus.

Et in hoc non pauci hallucinantur, à quibus effrænis libertas naturalis obtruditur pro morali, quæ nihil importat, nisi jus ipsum justè & secundùm Deum eligendi. Hæc fusiùs cap. ult. explicabuntur contra Cardenam potentiâ naturali abutentem.

Primus igitur voluntatis (quæ est potentia capax boni & mali, sicut & intellectus veri & falsi) actus ; dicitur velle, seu simplex volitio finis (quæ est tantùm boni, sicut & auditus, soni :) ex cujus intentione, voluntas non minùs movetur ad electionem mediorum, quàm intellectus ad scientiam, ex cognitione principiorum. Et quia voluit Deus Opt. per gratiam reparare id, quod homo perdidit in statu innocentiæ, in quo erat (inquit D. Th. 1. 2. q. 89. a. 3. *infallibilis ordinis firmitas, ut semper inferius sub superiori contineretur* : Ideò Summum bonum voluit Deus cæteris præferri : deinde bonum commune (quod divinum est) particulari. Quod rursùm in tres distinguitur species, & hoc ordine, ut scilicet honestum (quod est homini proprium) præferatur utili : utile verò delectabili seu jucundo, quod est infimum bonum, & *boni* nomine indignum, nisi bono inserviat honesto, ad quod etiam debet tendere bonum utile, quod ex natura sua propter se non appetitur, sed ratione alterius. Hic igitur ordo in omnibus & ubique est observandus ; quia, ut rectè ait D. Cyprianus, *Sacrilegium est quod cum humano favore instituitur, ut dispositio divina violetur.* Non enim voluit Deus, ut minùs rectè ordinata essent, quæ hominis sunt (quem parvum mundum vocant) quàm ea, quæ in mundo majori conspicimus : in quo (inquit D. Thomas) ritè disposita sunt omnia : v. g. terra, propter plantas : plantæ propter animalia : & denique ipsa propter hominem. Ita sanctus Doctor 2. 2. q. 64. a. 1. Et qui prædictam boni dispositionem inverte-

ret : v. g. qui propter lucrum aut voluptatem prætermitteret honestatem, tam injustè ageret, quàm qui equum suum interire sineret, ut fœnum conservaret.

10. Hoc rursùm insinuavit D. Thomas de verit. q. 18. a. 6. his verbis, *Semper contingit inordinatio, quando aliquid movetur à non proprio motivo: sicut si voluntas à delectabili sensus, cum debeat tantummodò moveri ab honesto. Proprium autem motivum intellectus est verum illud, quod habet infallibilem veritatem : unde quandocumque intellectus movetur ab aliquo signo fallibili, est aliqua inordinatio in ipso.* Pondera hoc, sed accuratissimé; & interim adverte hanc ex præcipuis errandi causis in Desertoribus doctrinæ Divi Thomæ esse, quòd ferè totum velint tribuere rationi humanæ, tanquam securo ac sufficienti morum Judici; cæteris, v.g. lege & fine inconsultis, quibus quoque & maximè debent attendere, cum bonum sit ex integra causa; malum verò ex quocumque defectu. Unde merito jure S. Doctor 1. 2. q. 19. a. 6. ad 2. *Lex æterna* (inquit) *errare non potest; sed ratio humana potest errare : & ideò voluntas concordans rationi humanæ, non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ.* Quod velim notatum. Id ergo quod præ cæteris in rebus ponderare debemus, est recta Dei dispositio ac finis ob quam res quælibet est ab eo instituta : nam hæc dispositio nunquam prætermittitur sine manifesto erroris aut peccati periculo : unde ait D. Thomas q. 18. suprà citatâ de verit. art. 6. in *sed contra* : *Quando id quod est superius in anima dominatur inferiori, non potest esse error : quia per id quod est superius in anima, scilicet synderesim & intellectum principiorum, tota cognitio hominis rectificatur.*

Quòd si intellectus sit aliquando æqualiter inter duo suspensus : v. g. utrùm debeat custodire infirmum; vel adire Sacrum; & ad hoc accedat voluntatis determinatio seu suffragium : si ad primum moveat intellectum motivô lucri, aut vitandi laboris gratiâ; sine dubio deficiet, tùm à recta ratione, tùm à Dei ordinatione, quâ cæteris paribus, bonum spirituale cæteris omnibus præferre semper debemus : sic enim Deus totum subdit suis orbem legibus, quarum prima est Lex æterna; (id est, ratio rerum agendarum in mente divina existens) quâ, inquit D. Augustinus, voluit Deus *ut omnia essent ordinatissima.*

11. Hìc fortasse non abs re observabimus, perperam res aliquas dici obscuras, probabiles aut dubias : cum id accipiendum sit, non ex parte rerum, sed ex parte intellectûs, qui dicitur & est obscurus respectu rei, circa quam caret lumine; & probabilis circa eam, de qua nullam habet rationem convincentem, sed tantùm verisimilem. Nam res quælibet suam habet veritatem, sicut & entitatem certam & determinatam, magis aut minùs nobis manifestam. Et sicut non minùs impeditur intellectus in rerum cognitione ob excessum objecti : quàm oculus corporis in visione Solis : ita & per defectum. Sed præcipuè circa duas postremas species objectorum, in quibus intellectus dicitur tantùm probabilis, vel etiam dubius : v. g. in hac propositione probabili, *Mater est, ergo diligit filium.* Nam ex illo Enthymemate, nullâ consecutione certâ possumus veritatem enuntiare; quia pravum est cor humanum & inscrutabile. Et idem dicendum est in hac propositione dubia : *Si Tullius exerceat mercaturam, ditabitur*; quia rerum contingentiam & earum futuritionem non valemus penetrare, aut ominari.

Præterea revocandum eſt id quod ſupra breviter annotavimus; ſcilicet, adæquationem rerum ad intellectum conſiſtere in indiviſibili, non ſecùs ac numerorum ſpecies. Sicut ergo detractâ vel adjectâ unitate mutatur numerus; ita & in rerum cognitione : ſi quis enim opinetur tantum, & accedat aliquod rationis momentum in oppoſitum, eò intellectus fit ſuſpenſus & dubius : & ſi hæc ratio ſit convincens & manifeſta; generabitur ſcientia. Si verò quiſpiam ſibi pro libito efformet aliquam rei ſimilitudinem per imaginationem, quæ ad inſtar Pictoris & Poëtæ omnia poteſt fingere, eique poſtmodum affulgeat aliqua veriſimilis ratio ſuadens rem poſſe de facto ſic ſe habere, tunc ex imaginatione generatur opinio, quæ ſemper aliquam ſupponit rationem, imaginatio verò nullam.

In his omnibus curâ non indiligenti debet quiſque ſibi cavere, ne de rebus ſecundùm affectum & philautiam judicet, per quam nonnulli veluti per vitrum coloratum cuncta intuentur, ex quo fit ut apud ipſos opinio quælibet quantumvis tenuis, vices obtineat ſolidæ demonſtrationis.

12. Quantùm igitur ad præſens ſpectat, nobis ſcire ſufficiat Probabilitatem non excedere Veriſimilitudinis rationem : nam, ut ait D. Bernardus lib. 5. de Conſid. ad Eugen. cap. 2. *Intellectus rationi innititur; fides anthoritati; opinio, ſolâ veriſimilitudine ſe tuetur.*

Denique patet ſatis ex dictis non nobis integrum eſſe opinari ad libitum, cum ad hoc requiratur motivum ſive ex ratione, ſive ex autoritate proveniens : neque itidem liberè ceſſare cum volumus, ab opinione aut ſemel ortâ ſuſpicione; (ſed tantùm opinionis aut ſuſpicionis determinatum ſuſpendere judicium.) Quam ob cauſam dixit Doctor Angel. 2. 2. qu. 60. a. 3. *Suſpicionem (quæ Tullio eſt opinio mali) ad tentationem humanam, ſine qua, hæc vita non ducitur, pertinere.* Quæ ſæpius provenit ex pravitate affectûs, quàm ex caſuum & defectuum experientia, quos tamen quia magis ac pluries experti ſunt ſenes, ipſi ſunt quoque magis ſuſpicionibus agitati, quàm juvenes, qui nondum decepti, ſunt audaciores, ſeu magis temerarii.

Quare hìc non omittenda ſenſibilis differentia, quam aſſignat D. Thomas ex Ariſtotele, lib. 2. de Anima, lect. 4. juxta verſionem Sophiani, inter Opinionem & Phantaſiam : nimirùm, quòd *Opinionem ſtatim ſequatur paſſio in appetitu..... Ad Phantaſiam verò minimè; quia dum aliquid apparet nobis ſecundùm phantaſiam tantùm, nos habemus ac ſi conſideraremus alia terribilia in picturis.*

Hìc unum ſupereſt quod maximè velim prænotatum, utpotè neceſſarium, tum ad rectam hujus Controverſiæ intelligentiam, tum ad vitandos Adverſariorum cavillos : nimirùm in hoc diſſidio opinionum, in quo in anteceſſum diximus, non eſſe licitum minoris boni delectum, majore relicto : neque liberum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem, ſpretâ probabiliore : nos non loqui de bonis ab invicem ſeparatis; (ex quibus amplecti poſſumus etiam quod minus eſt;) neque de opinionibus diſſitis, & à ſe mutuò independentibus : ſed de illis tantùm, in quibus veritas ſeu affirmatio unius, eſt negatio ſeu falſitas alterius : v. g. utrùm liceat aut non liceat aliquem condemnare juxta opinionem minùs probabilem : qua in re ita deperount nonnulli Probabilitatis idolum, ut ſcripſerint non eſſe licitum

reo appellare à Judice, qui eum damnavit juxta opinionem etiam minùs probabilem. Cum tamen, ut infrà dicemus, nulla Probabilitas sufficiat ad alicujus condemnationem, sed probationes, legum præscriptô, esse debeant ipso Sole clariores.

Sic explicatâ Probabilitatis, probabiliumque opinionum naturâ & quidditate, inquirenda est origo Controversiæ circa illas ætate nostrâ tanto æstu agitatæ. Quare sit



CAPVT SECVNDVM.

SECTIO I.

In qua, primò antiquiores asseruntur Probabilitates, quàm vulgò existimantur: & sex Probabilitatis classes assignantur.

Nu. 1. JAm satis aperta ex dictis, Probabilitatis seu opinionis probabilis natura, quæ magna ex parte provenit ex difficultate, quam intellectus humanus in non paucis patitur: & præcipuè circa res, quarum perfectam & evidentem non potest habere notitiam. Attamen paulò fusiùs & operosius exponendum esse hoc negotium existimavimus in gratiam Lectorum, quibus non ingratum fore arbitramur rem ab ovo cognoscere, ob quam tot ætate nostrâ exortæ sunt dissentiones & dissidia, quibus venerabilis Theologiæ Moralis facies adeò labefactata, ut parùm abfuerit quin hac de causa Christianum nomen erubuerit. Et cum debuisset quisque hujus filiæ Sion sordes pro viribus abluere, ejusque formosam reparare imaginem, humili saltem tot exerrationum retractatione: è contra nullum non moverunt lapidem plures Neoterici, ut quidpiam reperirent vel fingerent, quô hujusmodi lapsus excusatos facerent: vel saltem omnem culpam in alios regerere possent. Quam ob causam specialis est mihi ratio conquerendi de P. S. Ju, qui positione tertiâ suæ Moralis Philosophiæ, hæc scripsit: *Quare si quid nostro sæculo condolendum, primi illi condoleant, à quibus primis* (Thomistas intelligit) *malum irrepsit.* Et quia res est de facto, pro quo solis opus est oculis: ac nostri & Adversariorum extant libri; facile erit id convincere falsitatis.

2. Quod ut interim efficere possim, vel potiùs jam ferè ab alio factum indigitare: remitto P. S. Ju ad P. Vincentium Baronium, qui veteri vetante adagio, *Vt ne Hercules ipse contra duos;* unus contra octo novissimè stetit Aggressores Modernos, quos invictis confutavit argumentis in sua Ethica Christiana nuper edita; quam pro communi morum reformatione, decore Religionis Christianæ, & Doctoris Angelici Defensione, exoptarem esse in omnium Peritorum manibus. Ille siquidem indefesso labore, mirabili solertiâ, nec minori sagacitate scrutatus est quidquid ad hujus rei notitiam desiderari posset; & ex antiquorum Philosophorum Pyrrhoniorum, Stoïcorum, Peripateticorum & Academicorum monumentis evidenter ostendit, hac in parte, nihil esse novum sub Sole.



Et ideò Probabilitatem vocat *Novantiquam*: illamque comparat quibusdam fluminibus, quæ ubi primùm ascitâ, cursu, magnâ aquarum copiâ & lato, notoque alueo, plures irrigarunt regiones, repente ab hominum oculis subducuntur, & absorpta terræ visceribus, per longos, cæcosque tractus diù volvuntur, ut inde quasi secundò nota, in lucem prodeant, ac per apertos campos iterùm prorumpant.

Hac comparatione prorsùs appositâ, perspicuè ostendit, quî Probabilitas inter has quatuor antiquorum Philosophorum sectas diutissimè agitata fuerit: ac postmodùm penè disparuerit, adveniente scilicet Evangelij luce. Quæ tamen rursùm, nempè à centum circiter annis, denuò erupit, ac totum fermè orbem Christianum torrentis ad instar rapuit. Fermè dixi, nam semper fuère in Ecclesia, qui securam & arctam veritatis semitam custodierint.

His itaque præsuppositis ceu sufficientibus & indubitatis; hìc mihi aliud quidpiam affulget, quô recreari possit Lectoris animus, inquirendo accuratiùs cum ipso, num forte & huic Probabilitatis negotio quadrare possit id ipsum, pro quo Apostolus ipse ita metuebat Christianis, ut diceret. *Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. 2. Cor. cap. ij. Simplex est* (inquit D. Thom. ibid. lect. 1.) *quod compositione caret.* Simplex autem non erat eorum zelus (quibus metuebat Apostolus) qui unam sectam ex Judaismo & ritu Christiano componebant, legalia Evangelicis permiscendo: à quibus non procul abesse mihi videntur Probabilitatis remissæ Sectatores, apud quos quidpiam intueor, pro quo, si mihi liceret alia ejusdem Apostoli verba, quamvis aliâ de causa, prolata usurpare, idipsum assererem, non solùm alienum esse à Christiana simplicitate sed prorsùs esse, ut ille loquitur ad Rom. 5. *In similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.*

Apertiùs loquor & dico, quosdam Probabilitatis patronos sive Reflexistas, ut loquitur Celladæus, asserentes probabilem ac proinde licitum esse vg: usum restrictionum mentalium, & licitè quempiam jurare posse contrarium ejus, pro quo interrogatur à judice (dummodò aliquid gerat in mente quod verbis juramenti sit conforme) nusquam epulari in azimis sinceritatis & veritatis, sed in fermento veteri, prorsùs expurgando.

3. Non sistendum igitur in præfatorum Philosophorum Scholis de Probabilitate differentium: immò nec in Controversiis à centum circiter annis hac de re, renovatis; sed ulterius proficiscendum usque ad Protoparentum peccatum, in quo (suadente illo, qui non stetit in veritate) tanquam frugem in semine, reperies quidquid hodie dicunt ac tuentur Probabilitatis Defensores: vixque ullam legem aut præceptum invenies, quod delinitum non sit oleo Probabilitatis; ne quidem exceptô mandatorum Maximo diligendi Deum: sed quia nimis prolixum esset per singula discurrere præcepta: rem in abstracto rimari conabimur, quam in sex præcipuas classes partiemur. Nec sine causa, nam ut ait D. August. in Ps. 47. to. 8. *Casus primi hominis, ad experimentum cavendi debet nobis valere.* In prima igitur classe nonnulli videntur collocandi, qui cæteros tanquam igna-

ros aſpernantur : nec dicere erubeſcunt ſe ſuper Senes intellexiſſe, ſeque comparant Nanis : quia (inquiunt) ſicut Nani Gigantum humeris inſidentes longe eminùs proſpiciunt : ita & recentiores Authores qui incipiunt, ubi veteres deſierunt.

Hos (qui aliquid ſupra humanum ſapere videntur) comparare poſſumus majori huic deceptioni Evæ : de qua ait D, Thomas in cap. 3. Gen. *Adam non credidit ſicut Eva (quod ſcilicet futurus eſſet ut Deus) ſed quia id credidit Eva, propterea dicitur 1. ad Tim. 2. Adam non eſt ſeductus, ſed Eva fuit ſeducta.* De qua itidem loquens D. Thomas q. 2. 2. q. 63. a. 4. ad 1. ait ; *Elationem præceſſiſſe in Muliere, quæ excæcavit ejus intellectum, &c. Et forte fuit elata* (inquit) *ex blando & reverenti modo loquendi, quem tenuit Angelus loquendo cum ea.* Vel ut ait idem Doctor Angel. 1. ad Tim. cap. 2. lect. 3. *Statim ad verba ſerpentis fuit elata, eò quod alius eſſet de ea ſollicitus : & ex illa elatione ſeducta eſt.* Hìc ut arbitror non gravate nobis Caramuel ſuffragaretur circa Probabilitatis antiquitatem, quam in ſuo Apologemate de Probabilitatis antiquitate, aſſerit eſſe Mundo coævam.

4. In 2. Claſſe erunt alij, qui ex nimia cupiditate libertatis propugnandæ, Probabilitatem ſpecialiter tuentur, per quam gloriantur à ſe arctam cœli viam eſſe dilatatam ; immò à ſe novas, eaſque ſecuras inventas eſſe ſalutis ſemitas. Et tales ſunt illi omnes, à quibus tanto æſtu ac zelo facultas licite eligendi quamcumque opinionem probabilem propugnatur, & poſſeſſio creatæ libertatis etiam contra jus æternum Divinæ Authoritatis defenditur.

Et hos quoque nemini melius comparare poſſumus quam eidem Evæ : cujus peccatum fuit (inquit D. Auguſt. lib. ij. de Gen. ad litt. cap. 30. to. 3. *amor propriæ poteſtatis, & ſuperba de ſe præſumptio, ex qua credidit à bona atque utili re divinitùs minimè ſe fuiſſe prohibitos.* Quæ ubi primùm fuit interrogata à ſerpente Gen. 3. (Cur vobis præcepit Deus, ut non comederetis de omni ligno ?) ſtatim exerto ore protulit, quod gerebat in mente his verbis : *De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur* ; tanquam dicere voluiſſet, ſe omnem fere licentiam habere ; non enim ut patet ad interrogatum petenti ita reſpondit, quin priùs ſibi pro libertate adularetur : & inde in ſuperbiam elata, in judicium incidit diaboli : *Cujus promiſſioni magis credidit ipſe Adamus* (inquit D. Tho. lect. 4. ad Rom) *quàm comminationi divinæ & ita quodammodo diabolum prætulit Deo.*

In tertia Claſſe collocandos eſſe cenſeo illos, qui ex curioſitate vel quocumque alio prætextu temerario, contra legem, præceptum vel prohibitionem ſibi factam agere præſumunt ; aſſerentes legem non obligare, niſi ejus promulgatio & lex evidentior ſit ipſa luce meridianâ. Quibus ſpecialiter quoque viam ſtravit hæc Virago ; de qua ait D. Auguſt. lib. ij. de Gen. ad litt. cap. 31. to. 3. *Vbi ad tranſgrediendum præceptum audax curioſitas mota eſt, avida experiri latentia, quidnam tacto vetito ſequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata ; probabiliùs æſtimans non eſſe mortem, quam timuerat ſequuturam.* Nota interim ly *Probabiliùs* : Ex quo in anteceſſum velim notatum ; ipſam graviſſime de-

liquiſſe, quamvis tunc operaretur juxta id quod (prætermiſſa prohibitione) probabilius illi eſſe videbatur. Non enim dicere poſſunt Antithomiſtæ, nec ipſe Cardenas ut cap. ult. dicemus, hanc prohibitionem fuiſſe omninò evidentem. Quia quamvis non magis eſſet in ſtatu innocentiæ falſa opinio, ſaltem circa naturalia, ut ait D. Thomas de verit. q. 18. a. 6. quàm corporalis ægritudo: poterat tamen Eva circa multa alia dubitare ſine culpa, ut ait idem D. Thomas in cap. 3. Geneſeos: v. g: *An ſententia illa data eſſet omninò irrevocabiliter.* An eſſet mors corporis, vel Animæ. An naturalis, vel violenta, &c. Seu ut rite philoſophatur S. Auguſtinus lib. ij. de Gen. ad litt. cap. 30. to. 3. *Putare potuit Deum alicujus ſignificationis gratiâ dixiſſe:* (Si manducaveritis, morte moriemini) *Ideo manducavit, & viro ſuo dedit: qui fortaſſe* (inquit ſanctus Præſul) *jam perſuaſione opus non habebat, quando illam eô cibo mortuam non eſſe cernebat.* Lege D. Auguſtinum to. 9. tract. 25. in Joa. c. 6.

Quarta Claſſis illorum omnium erit, qui divinam miſericordiam falsò prætextu ſibi pollicentur: quibus Orig. fuit prævius, circa ęternam damnatorum pœnam, quam tándem aliquando habituram finem falsò exiſtimabat. Ita D. Thomas de malo q. 16. a. 5. Porrò de præſumpta hac miſericordia & mala ſecuritate loquens S. Doctor in Gen. cap. 3. ait: *Cùm vult diabolus introducere peccatum in mentem hominis, conatur abjicere timorem Dei & ſuæ juſtitiæ, vel ſui rigoris: & introducere curat præſumptionem impunitatis & ſecuritatem malam: & tunc aperit oſtia mentis omni iniquitati, malitiæ & vanitati.*

Neque ab hac mala ſecuritate immunes fuère Protoparentes, qui D Auguſtini judicio de Gen. ad litt. cap. 31. lib. ij. to. 3. *magis crediderunt Deum poſſe peccanti facilè ignoſcere, quod patienter tulerint non cognoſcere quidnam eſſet, vel cur eos inde cibum ſumere vetuiſſet.*

In hac Claſſe meritò ſunt collocandi omnes illi, qui tanquam dij averrunci volunt haberi, quia ſi penes illos ulla ſit fides, ab ipſis (ut jactant) omnes avulſæ ſunt Moralis Theologiæ ſentes, ſuntque illarum Authores opinionum, quas vocant *Benignas,* à quibus qui alieni ſunt, quamvis meritiſſime juſtiſque de cauſis; apud ipſos audiunt tanquam conſcientiarum carnifices, ſeu auſteri Directores.

Quintæ Claſſis erunt illi, qui de rebus omnibus judicant ex veriſimilitudine. Ita exponit D. Th. hæc verba Pſal. (In imagine pertranſit homo:) Et tales ſunt, qui parùm aut nihil curant, utrum ſic ſe habeant res à parte rei, nec ne: dummodo ab aliquo Caſuiſta dicantur Probabiles: quia ipſam Probabilitatem ſumunt tanquam ſecuram Morum regulam, quam ſecuritatem fieri aſſerunt judicio reflexo ſupra ipſam Probabilitatem, quam paſſim ôbtrudunt & ad illam recurrunt, ut Numa Pompilius ad ſuam Faunam, ex qua ſuis legibus Authoritatem comparare nitebatur: ſiquidem in hac reflexione, tota eſt aut præcipua Cardenę & aliorum fiducia, ut patebit legenti.

Si S. Auguſtino & Doct. Angel. fidem (ut par eſt) adhibeamus: nullus magis quàm Eva, veriſimilitudine deceptus eſt, ut ex ſequentibus eorum teſtimoniis manifeſte conſtabit *Eva* (inquit D. Thomas in cap. 3. Gen.) *non fuit ita fatua ut ex comeſtione alicujus crederet quod generaretur ſcientiæ habitus: ſed quia probaverat lignum vitæ quaſi modo ſacramentali, habuiſſe*

buisse virtutem præservandi corpus humanum ab omni corruptione : ita etiam, inquit Sanctus Augustinus, *potuit valdè leviter credere propter verisimile quod illud lignum per virtutem divinam sibi assistentem perficeret in cognitione mentes jumentium de illo ligno : diabolus verisimile proposuit & ipsa ex simili experto, statim illi credidit & consensit.*

6. Sexta denique & ultima Classis illorum omnium erit, qui de rebus agendis judicant ex philavtia, seu nimio sui vel proximi amore. Tales sunt qui docent proximas peccati occasiones non esse necessariò fugiendas, ne quis inde tristius aut minùs commodè vivat. Qui hac in re, illum non auscultant Magistrum docentem, abscindendam esse manum, pedem, & eruendum oculum, quo fit scandalum seu occasio peccandi : sed ducem habent Adamum, qui ut loquitur D. August. lib. 14. de Civit. cap. ij. & 13. *inexpertus Divinæ severitatis, æstimavit se in Dei oculis ita charum, quod sententiam de morte non exequeretur super eum, &c.* Et aliunde, *Noluit Evam contristare : unde ex tali causa* (inquit D. Thomas in cap. 3. Gen.) *frequenter fit, quod offenditur Deus ne offendatur Amicus.* Quod confirmat 1. ad Tim. cap. 2. lect. 3. asserens illum in hoc particulari fuisse deceptum, quatenùs *credidit quod uxori mos gerendus esset, ut cum ea comedere deberet.* Legendus etiam August. to. 5. lib. 14. de Civit. cap. 11. Et lib 11. de Genes. cap. 62. Hinc jam facile judicabit prudens Lector, an Probabilitas sit quid Magni aut Novi, ob cujus excellentiam vel inventionem, tantopere gloriari debeant ipsius Authores ; aut ætatis nostræ fœlicitati, sæcula præterita invidere ?

SECTIO II.

Probabilitate decepti sunt non solùm Protoparentes, sed diabolus ipse : Ipsa vim acquirit eundo, ac proficit in pejus : illumque docet modum à Deo reprobatum ingrediendi terram duabus viis, seu perpetuò claudicandi in utramque partem contradictionis.

PAri quoque facilitate innotescet Probabilitatem fuisse causam non solùm lapsus Protoparentum ut patet ex dictis : sed & ruinæ magnæ illius Apostatæ, *qui non stetit in veritate* : quique iniquâ fraude & invidiâ primos Parentes nostros decepit, priùs ipse deceptus, ut asserit D. Anselmus de casu diaboli, dicens *primum Angelum peccasse nescientem, utrum irrevocabiliter damnandus esset.* Nam ut diximus lib. 1. contra Petrum à S. Joseph : peccatum diaboli ex inconsideratione & errore practico processit. Incidit ergo primus illam in foveam quam fecit diabolus, in quam postmodùm impulit Adamum & Evam, suis fallacibus quas suggessit, rationibus, ex Probabilitatis pharetra omninò depromptis, quibus facile persuasum habuêre, prohibitionem sibi factam, non esse pœnæ certò infligendæ : sed pœnalem hanc defensionem esse tantùm commimatoriam & ad terrorem, vel ad summum, ob materiæ levitatem, esse tantùm venialem : ut ait D. Thomas de verit. q. 18. a. 4. ad ij. asserens

Illam falsam opinionem, *quâ*. (Adam) *credidit esse veniale*, *quod erat mortale, in Adam præcessisse mentis elationem sicut & in muliere.* Qui ambo probabiliter crediderunt prohibitionem sibi factam, alium habere sensum, quam illum, quem præ se ferebat tenor verborum : quam ob causam dixit D. Augustinus to. 3. de Genes. ad litt. lib 11. cap. 30. *Arbitror quod putaverit* (scilicet Adamus (*Deum alicujus significationis causâ dixisse* (*Si manducaveritis*, *morte moriemini.* Hac arte utuntur omnes, qui se ab alicujus legis, aut præcepti jugo subducere satagunt., quibus nunquam nisi prorsùs stolidi sint ; deerit beneficium Probabilitatis, quæ in alio sedem non habet nisi in corruptæ naturæ desiderio., & effræni licentia libere & sine scrupulo omnia faciendi, & excutiendi jugum obedientiæ, legi Dei æternæ, aliisque omnibus ab ea derivatis., debitę : idque saltem cum aliquo prætextu seu apparenti specie ob scandalum : & vitandam coram hominibus peccati infamiam : ad quod præstandum uno opus est Probabilitatis pallio. Nam semel stabilita illa Probabilitate amplissima, cujus *tenuissimum asserunt sufficere filum*, jam fere arbitrarius erit cujuscumque opinionis in dies crescentis delectus, nihilque impediet quominùs vir sagax sui amore percitus nullam fere agnoscat legem, præter proprium imaginationis suæ idolum : ad quod efformandum non exigitur à Defensoribus Probabilitatis veritas rerum, sed inauditus hactenùs *conceptus formalis*, cui etiam nullus à parte rei correspondeat objectivus : quasi verò nostra scientia non esset à rebus accepta & causata, in quo singulare est discrimen inter scientiam Dei & scientiam cujuscumque intellectus humani.

Et tamen ruinoso hoc fundamento, tota innititur Probabilitatis ratio, quæ dum inter extrema versatur, evidentem non habet notitiam, quorumque ignorat cum æterna Dei lege consensionem, unde intellectus meritò dubitare debeat, an hæc vera sint nec ne : his nihil moratus ad solum hujus Probabilitatis idolum recurrit : quod si non reperiat jam ab aliquo Casuista factum, statim ipse potest formare, vel ex aliqua authoritate, vel fucata aliqua ratione, quæ sagaci ac audaci Probabilitatis Defensori nunquam deerit ; cum ad vitandum in his casibus peccatum, ut cap. ult. ex Cardena referemus, sufficiat, *sibi firmiter persuadere, nullum esse peccatum.* Et hæc est laxitas, quam tot artibus in Thomistas conatur rejicere P. S. Ju ; qui si in eam prolapsi essent Thomistæ eam libentissime retractarent, malentque Sanctum Augustinum imitari quàm Tullium, qui non sine vanitate scripsit ; *Se nullum unquam verbum protulisse, quod voluisset retractasse.* Sanctus Augustinus verò sincere confessus est, à se nonnulla esse emendata, ut saltem ostenderet se in studio profecisse. Est enim ut dicitur Eccl. 4. v. 25. *quædam confusio*, *quæ adducit gloriam* : Nullusque est sanæ mentis quin probe noscat plus esse infamiæ in superba ac pertinaci obstinatione, quàm dedecoris in humili retractatione ejus quod ex humana fragilitate potest obrepere : quâ tamen emendatione Deo dante non indigebunt Thomistæ, quandiu adhæserint doctrinæ D. Thomæ rectissimæ bonorum morum regulę. Quare huic capiti finem imponamus cum Angelico Doctore, qui præfata Apostoli verba referens, metuentis ; ne ab illa, quæ in Christo est, excidamus simplicitate : citat illud Eccl. 2.


v. 14. *Va peccatori ingredienti terram duabus viis.* Rursumque illud Prov. 2. *Simplicitas justorum diriget eos.* Quorum testimoniorum occasione.

Quæro primò à P. S. Ju, quibusnam melius hoc secundum Scripturæ testimonium conveniat quàm Thomistis (in quos tamen ipse tàm injuste, quàm falsò omnium invidiam excitare ac commune odium derivare satagit) quos una D. Thomæ doctrina à tot seculis in tuto posuit, contra tot errores & lapsus, quos cum commiseratione intuentur Thomistæ, in Probabilitatis Authoribus? Secundo, ejusdem P. S. Ju conscientiam coram Deo obtestor; quinam potiori jure dicendi sint, *Terram ingredi duabus viis*, quam illi, qui latam in ambas contradictionis partes opinionum utrinque probabilium viam docent ac sequuntur: asseruntque judicem vg: posse sententiam ferre, nunc juxta unam opinionem: & ex alia opinione, huic præfatæ, opposita, aliter postmodum judicare, contrariamque sententiam ferre? Et quempiam juridice interrogatum posse non secundùm quod interrogatur jurare, sed juxta id quod ipse gerit in mente.

Quod si tales cavillandi artes apud ullum ex Thomistis reperiantur: hunc ex animo aversamur; nec ipsum jam pro Thomista habemus, sed pro desertore & transfuga doctrinæ D. Thomæ. Verùm cùm nullum nisi falsò assignare possit P. Ju, immeritissime omnibus Thomistis affingere satagit, quod ne quidem in uno invenire quivit. Et hoc est, quod nosmeptipsos cogit, ut huic Aggressori tam injusto respondeamus, ne ut diximus, silentium transeat in consensum, & tales habeamur & audiamus apud omnes, quales ipse perperàm nos esse somniavit: quodque dissimulare non possumus, sine manifesto boni communis detrimento, ac Christianæ Religionis scandalo, quibus ex voto & professione consecrati sumus. Quod si agnita veritate & æquitate doctrinæ D. Thomæ velit P. Ju dexteram manum jungere nobiscum: per nos non stabit, quin unà *legem perficiamus regalem secundùm Scripturas, ut nos Dei nomine monitos voluit D. Iacobus Epist. cano. cap. 2. dicens: Sic loquimini & sic facite.* Et ipsemet aperte cognoscet nequaquam nos à nobis ita diffidere, ut doctrinæ æquitatem verbis profiteamur, quam moribus diffiteamur, ut ille falsò nobis imponit *posit. 6. sua Moralis Philosophia*, in hoc omnibus charitatis legibus admodum oppositæ.

Si uni Philosophiæ Gratianopolitanæ Lectori respondendum esset; hìc sine famæ detrimento possemus sistere, ac spernere quæ infra tam falsò quàm fraudulenter objicit; ipsique probandum incumberet, quod cogitatione, verbo & opere negamus & pernegamus: sed quia alij sunt, qui ex opposito latere nos impetunt, hìc oportet ostendere, *non esse convenientia illorum testimonia.* Et quamvis ex eorum dissidio, satis illucescat doctrinæ Thomisticæ justificatio, majoris tamen perspicuitatis gratiâ, sit.





CAPUT TERTIUM.

SECTIO I.

Qualiter se gerant vagæ Probabilitatis Defensores erga Thomistas; & quàm immeritò omnem ab ipsis profligari Probabilitatem affirment: cujus utilitatem & aliqualem necessitatem ultrò agnoscunt.

Nu. 1. HIc versamur inter duo extrema, sicque saltem in speciem urgemur ab Adversariis, ut quamlibet in partem cadamus, nobis præcipitium sit: vel ut melius & magis ad mentem Antithomistarum loquamur, quidquid eligamus; piacula nobis imminere videantur. Si enim ita loquamur de probabilitate, ut vel ipsius nomen cognoscere testemur; illicò in nos refundunt nonnulli, quidquid ab aliis contra Probabilitatem vitiosam scriptum est; nosque non tantùm hujus Probabilitatis dicunt esse Fautores, sed & primos ejusdem asserunt esse Authores. Si verò ex altera parte quidpiam dicamus adversus Probabilitatem nimiùm remissam: continuè itidem in nos insurgunt alij tanquam e mundo satageremus auferre Solem: per illam enim fere totus apud ipsos regitur Mundus; cujus interminabilem texunt Genealogiam, cui nos dicunt esse infensos. Et ne quis arbitretur me abs re hìc verba profundere; primi hujus asserti fidem faciet totus liber ficti cujusdam Amadæi, quô, nulla arte prætermissa (ut factæ de eo censuræ satis superque testantur) nullo neglecto labore conatur primum evincere, affirmans se suosque de Probabilitate nihil scripsisse, quod à Thomistis non acceperint, quos hac de causa suos vocat Magistros, *In præfat. editionis Valentinæ.* Et ut in ore duorum stet hoc verbum: ad hunc larvatum Authorem novissime accessit præter cæteros Preceptor Philosophiæ Gratianopolitanus, qui ex eo quod apud nonnullos Thomistas quidpiam repererit, quod præ se fert nomen *Probabilitatis*, nulla illius deformitate excepta, totam illius laxitatem in nos derivare satagit, unica propositione quæ omnes alias comprehendit.

2. Unde *si quid nostro sæculo condolendum* (*scilicet propter effrænem opinandi licentiam*) *Primi* (inquit) *illi condoleant* (Thomistas intelligit) *à quibus primis malum irrepsit.* Ita Pater S. Ju in suo libello iterum Gratianopoli edito anno 1672. Sed quàm falsò id scripserit, constabit ex dicendis. Alterius autem assertionis fidem absolvet P. Fabri. Nam ex quo asseruerunt Thomistæ restringendas esse versatilis ac vagæ Probabilitatis habenas, ille statim cum quadam in nos indignatione invehitur, suoque dialogo de opinione probabili de nobis perinde ac si de mundo humanam fidem abrogare, & omnem Religionem (quæ tota fere illius judiciô, non nisi Probabilitate nititur) tollere vellemus: sic loquitur *Quid ab eis, (id est à nobis) probabilia expectes, qui ex Catholicorum Scholis, receptissimam Probabilitatis doctrinam, tanquam multiplicis erroris originem proscribere conantur?* Ex his, ut vides, Amice Lector, ex utraque parte

mala nobis impendent, si illorum dictis commoveamur.

Sed his præmissis, vel potiùs meritò spretis, satis evidenter innotescit, quàm necessariò teneamur circa præsentem Controversiam ita mentem nostram aperire, ut neminem lateat, nos à Medio (quod tenuêre Beati) nusquam recedere; sed solummodò nobis cavere ab extremis, in quibus aut per excessum, aut per defectum, ut plurimùm delinquitur. Per defectum quidem, ut qui in totum Probabilitatem denegaret : per excessum verò qualis cernitur apud eos qui probabilitate omnia ferè ambiunt, soliusque opinionis probabilis prætextu, innumera non solùm licere, sed & ita expedire asserunt, ut nihil vereantur voluptatem, v. g. tueri contra honestum; ùtilitatem & commodum, contra officium aut pietatem, & jus humanæ libertatis propugnare etiam adversus autoritatem & jura legis divinæ. Pro quibus contra eos militant Thomistæ, non Probabilitatum usum denegantes, sed abusum impugnantes, sive effrænem opinandi licentiam in utramque contradictionis partem, quam Antithomistæ dicunt virtute ipsius Probabilitatis esse æqualiter securam : licet ex ambabus unam necessariò esse falsam, & legi Dei repugnantem, juxta regulas propositionum contradictoriarum ipsi admittere cogantur.

3. Et quamvis è diametro his resistamus, conantur tamen Adversarii hanc, immò totam in Thomistas Probabilitatis hujus laxioris deformitatem refundere, tanquam in primos illius Authores. Quod ut facerent, non sufficeret hunc vel illum D. Thomæ discipulum objicere asserentem quidpiam esse vel non esse probabile, quod potest esse verissimum, ut infra videbimus : Sed necessarium foret plures ex Thomistis, vel saltem aliquem, apertè docentem, tutò v. g. posse præferri opinionem legi contrariam, lucro, voluptati & commodo indulgentem; actioni & opinioni huic oppositæ, faventi legibus, honestati, officio & pietati. De his enim tota est controversia. Quòd si aliquem ex nostris ita sentientem reperiunt, hunc nobis palam indicare debent : sed inde non poterunt ex uno conclusionem inferre universalem, quæ non est minùs illegitima quàm si ex Petro v. g. claudo aut monoculo, vellem inferre omnes homines esse claudos & monoculos. At consequutione multò pejore P. S. Ju, *pag. 6. sui libelli*, scribere ausus est, suam quam tuetur de Probabilitate remississima, doctrinam, *esse opinionem totius nostri Ordinis*, cum tamen ne in uno quidem Thomistarum hanc hactenùs reperire potuerit, ut infra patebit ex ipsis quos toto terrarum orbe adduxit. Sed hîc interim est, quod miremur, præsertim qui potuerit P. Fabri cum Asseclis asserere, nos in totum Probabilitatem denegare, quam admittimus cum D. Thoma circa plura in ipso statu innocentiæ, in quo non potuerunt primi Parentes ita penetrare aut dissolvere omnes Probabilitatis nebulas, quin in densissimas peccati & erroris inciderint tenebras : Licet enim de verit. q. 18. a. *6.* dicere videatur S. Doctor illo in statu nullam omninò fuisse opinionem; hoc debet intelligi tantùm de his quæ spectabant ad jus naturæ, cujus perfectam habebat Adamus notitiam, & in quo, ut loquitur ipse Doctor Angelicus, *quidquid cognovisset (Adamus) secundùm certitudinem cognovisset* : sic enim in illo statu naturalia certò cognovisset, ut etiam non dubitaret; plura esse alia, quæ non nisi probabiliter tantùm cognoscere posset : qualia sunt secreta cor-

dium, futura contingentia, & maximè illa quæ ad statum gratiæ & gloriæ spectabant. Porrò sic intelligendum esse Doctorem Angelicum satis evincunt quæ ex ipso, capite præcedenti, retulimus.

Quare suppositâ alicujus Probabilitatis necessitate, quam sufficienter demonstrant duo rerum genera, de quibus cap. 1. satis diximus: immò & ea omnia, de quibus in hac vita, citra fidem, nec certitudinem habemus nec evidentiam, æquum est, ut aliqualem ejus utilitatem agnoscamus. Nam certum est Probabilitatem primum supra imaginationem gradum ad veritatem inveniendam constituere & fieri poterit, Probabilitatem sic crescere, totque argumentis probabilibus mentem muniri, ut nihil sit quod impediat quominùs veritatem consequatur. Ratio est, quia virtus opinandi radicatur in primis principiis (inquit D. Thomas loco supra citato de verit.) quæ sunt *quasi virtutes seminales cognitionis*. Itaque opinio videtur mihi Auroræ comparanda, seu potius crepusculo matutino, quod nihil vetat crescere usque ad perfectum diem, seu manifestam veritatis cognitionem: Est enim Probabilitas quasi quædam radix & inchoamentum veritatis, quod ad certam fidem, scientiam evidentem, ac firmum prudentiæ judicium, atque morum probitatem sensim possit assurgere.

Quod tùm maximè poterit evenire, si opinionibus illis adhæreamus, quæ favent honesto, officiis & legibus, quales sunt illæ quas propugnamus.

4. Itaque non parùm falluntur Antithomistæ, cum in opinionum delectu existimant à nobis exigi impossibile; si tutiorem partem dixerimus eligendam: per hoc enim tantùm petimus (quod non est valdè arduum seu difficile) ut quisque satagat scire ea quæ pro suo statu & conditione sunt necessaria; suamque coram Deo consulat conscientiam, cum necesse fuerit quidpiam agere: nam ex ea, quasi in speculo (si cætera adsint) facilè percipiet an Deum, suæque salutis negotium præcipuè respiciat ac intendat: an verò lucrum aliquod, voluptatem aut commodum, vel quid simile, ex quo possit aliquod erroris aut peccati periculum sibi imminere. Quod nunquam accedere patietur constituta à Deo in cordis specula synderesis, sine interno clamore & remorsu conscientiæ, quæ est proxima actionum nostrarum regula, & censor domesticus, vel potiùs fidelis amicus, qui omni tempore diligit ac nescit amici sui malum dissimulare.

Utilis ergo ei est Probabilitas seu opinio probabilis, quem ipsa impellit, ut innato sciendi desiderio, homini ita proprio ac convenienti, fiat satis; nec unquam sistat, donec veritatem inveniat. At prorsùs inutilis, immò noxia est illi, qui metu laboris, aut neglectu veritatis, requiescit in umbra Probabilitatis; ac promiscuè ita utitur, quamcumque amplexus verisimilitudinem: parùm sollicitus an auricalcum falsitatis recipiat aut obtrudat, pro auro obrizo charitatis & veritatis.

Nec mireris, Amice Lector, si hîc tot præcavenda menemus, totque præludia præmittimus: nam præsens Controversia de Probabilitate, probabiliumque opinionum electione; ex illo rerum genere est, in quibus (ut loquitur D. Augustinus, to. 1. lib. 1. contra Academicos, c. 5. in fine:) *cum mentis nostræ veluti portum notio ipsa reliquerit, & sibi verborum quasi vela tetenderit, occurrunt statim mille calumniarum naufragia.* Quod ipse ego aliàs expertus sum, non paucis scommatibus & cavillis expetitus ab Adver-

fariis, penitùs extra Chorum. Cum enim in Tractatu de Legibus, inter securiores Moralis Theologiæ semitas scripsissem (quod iterùm dico tanquam verissimum) in obscuris ac dubiis tutiorem opinionem esse præferendam urgente agendi necessitate: inde præter prætensam Adversariorum impossibilitatem, inferebant nonnulli prædicandum omni Christiano corpus assiduis macerationibus ac vigiliis esse domandum; quia hæc & similia (inquiebant) sunt ad salutem tutiora: Itidem nos non debere, nisi turmâ Casuistarum circumsepti incedere, ut in agendis, semper peteremus ab ipsis, quidnam videretur eis probabilius, &c. Itidem in omnibus exigendas esse demonstrationes Mathematicas: quæ & id genus alia, etsi nemo prudens excusare possit à nugis, utpotè quæ ad rem nihil spectant; his tamen & similibus nonnulli utuntur, quibus sibi plausum apud vulgum comparent: ac sanam D. Thomæ doctrinam vertant in derisum.

SECTIO II.

Varii expenduntur Certitudinis gradus, quibus ad certitudinem prudentiæ descenditur, quæ legitimum efficit Probabilitatis usum.

5. UT jam nullus cavillis hujusmodi pateat locus, dicimus plures esse gradus certitudinis, seu diversas esse certitudinis species. Est enim certitudo quæ dicitur logica aut metaphysica: ut cum dico certum esse *triangulum habere tres angulos.* Alia dicitur physica, quæ minor est, & sic homo dicitur bipes; & quamvis quandoque possit oppositum contingere: quia tamen rarò id evenit, ideò in his non omninò imprudenter contemnitur periculum erroris. Præter has, aliæ sunt in moralis Certitudinis species seu gradus. Prima & potior, est illa quæ correspondet Certitudini logicæ; & juxta hanc, non potest res aliter se habere: v.g. certum est adulterium esse malum.

Alia est Certitudo moralis ab hac priore deficiens utpote minor, physicæ Certitudini utcumque respondens, quæ saltem in pluribus vera est. Et talis est scriptura Notarii, aut testimonium Curati asserentis puerum die tali fuisse baptizatum; matrimonium fuisse celebratum, &c. Tales enim, ut personæ publicæ, non præsumuntur mentiri in similibus, quamvis atttentâ conditione humanâ, deficere possint & decipere.

At tantam securitatem non exigimus, nec dicimus Notarios semper esse conducendos ad sufficientem certitudinem moralem efficiendam, ad ritè agendum, necessariam: eâ enim minorem libenti animo admittimus, quam facilè poterit quisque sibi comparare per externa media; scilicet Doctorum authoritatem, usum & consuetudinem bonorum, præscriptionem, possessionem, præsumptionem & tolerantiam Superiorum; quia qui in suis negotiis Deum intuetur, ac sincerè debitâ diligentiâ veritatem, juxta rei meritum & exigentiam, scrutatur; facilè invenit illam, secundùm illud Prov. 2. *Si quæsieris sapientiam, tanquam pecuniam, &c. tunc intelliges timorem Domini, & scientiam invenies.*

6. Porrò hæc Certitudo moralis, quæ est prudentiæ, licet non sit tam

abſoluta, quàm Certitudo ſcientiæ, quæ procedit ex neceſſariis; Certitudo verò prudentiæ ex ſingularibus incertis & mutationi obnoxiis: tamen quia hæc ſubjiciuntur neceſſariis; & indubitatis ac cert s innituntur naturæ principiis, v. g. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ſufficientem inde depromunt Certitudinem. Sufficientem dixi: nam quamvis ob eventus, rerumque exitus aliquando incertæ ac timidæ dicantur providentiæ noſtræ, quia conſilia etiam optima, infauſtos aliquando habent ſucceſſus: Attamen ſi de prudentia loquamur, quantùm ad objecta, plura ſunt in quibus certa & indubitata honeſtas reperitur, quæ naſcitur ſaltem remotè ex dictis naturæ principiis, accedentibus pluribus rationibus probabilibus, quibus nihil adverſum deprehenditur: vel ex variis oritur hominum teſtimoniis, quæ licet ſeorſim ſumpta, vel conſiderata communi hominum conditione, ad ſummum probabilia ſint: ſi tamen inter ſe conveniant, vix poſſunt in errorem inducere: Quòd ſi aliquando error interveniat, eſt merè per accidens.

Et hæc eſt certitudo moralis quam exigimus, quæque nobis ſufficit in moralibus, in quibus prudentia petit, ut ea quæ ſunt tantùm convenientia, non ſumantur pro neceſſariis, veriſimilia pro veris, ſeu fallibilia pro his quæ juxta humanæ & Chriſtianæ prudentiæ leges, debent eſſe certæ & indubitatæ bonitatis & veritatis. Unô verbô, ut ea ſemper eligamus, quæ vel certò peccatum, ſaltem moraliter, expellant; vel probabilius errandi & peccandi periculum arceant. Et tales ſunt opiniones faventes officio, & legi, tam communi, quàm privatæ ſeu præcepto; & quæ conveniunt honeſtati & bono communi potiùs quàm privato: quas opiniones contendimus eſſe præferendas opinionibus pro libertate, commodo aut voluptate pugnantibus, quas ſola Probabilitas, ſeu opinio minùs probabilis facere nequit in conſcientia ſecurè. Quod velim notatum

Sed quia ſub his terminis, *probabile & probabilius, tutum & tutius, bonum & melius*, magna latet æquivocatio, quâ Lectoribus illudunt Adverſarii, pro hac aperienda & depellenda ſit



CAPUT QUARTUM.

SECTIO I.

Quid potiſſimùm ſit inſpiciendum in diſcuſſione opinionum magis aut minùs probabilium, pro vitandis æquivocationibus & Adverſariorum ſubterfugiis? Et primò aperitur æquivocatio, reique veritas explicatur familiari exemplô, factâ diſtinctione opinionis tutæ, & opinionis probabilis. Secundò, id magis explicatur Scripturæ teſtimoniis; & indicatur quid maximè ſit inſpiciendum in prædictis terminis.

Nu. 1. HIc dicere poſſumus cum D. Auguſtino, to. 1. lib. 2. contra Academ. cap. 9. *Auferantur de manibus noſtris fabellæ. De Moribus, de Anima noſtra res agitur*, &c. Nam perinde eſt, ac ſi quæreretur

retur, ut verbis utar illius: *Quis veritate comprehensâ, fallacias sit superaturus? Quis de libidinibus triumphaturus? Quis temperantiâ veluti conjuge acceptâ, in sua originis regionem securior sit rediturus?* Auferantur ergo non tantùm fabulæ, sed & æquivocationes omnes, & fallaciarum tricæ, quibus potissimùm hac in parte utuntur nonnulli. Ex eo siquidem, quod *probabile & probabilius, tutum & tutius* à quibusdam permiscentur; adducunt Adversarii absurda, quibus incauti facilè ludificantur; obtenduntque vel consilia præcipi, vel impossibilem esse, quem postulamus, opinionum delectum.

Ut igitur illorum sophismatibus occurramus, sciendum est diversas esse causas Opinionis tutæ, & opinionis probabilis. Nam securitas seu Certitudo opinionis probabilis, petitur à remotione periculi Divinæ aut humanæ offensionis: quod alicui potest opinioni competere, etiamsi sit minimæ Probabilitatis: ut si quis sibi persuadeat se peccare, si accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ non perfectè contritus: vel si post peccatum commissum, differat aliquo momento conteri & confiteri; existimans hæc debere fieri quantociùs, etiam sub pœna novi peccati. Opinio enim quæ citò confitendum suadet, nedum tuta est, sed tutior; non tamen probabilior ob rationes infrà dicendas. Immò nec tutum est credere, sic necessariò faciendum esse, quia nova esset causa multiplicandi peccata, per infinitos scrupulos, quibus plurimi in desperationis foveam inducerentur; vel ob moram quæ inter peccatum & confessionem interveniret; vel ob metum, quo Animæ timoratæ percellerentur, ne sibi perfecta contritio defuisset.

Probabilitas verò petitur, vel ex ratione, vel ex authoritate: unde & opinio dicitur probabilior, quæ verisimilioribus fulcitur rationum momentis: vel quæ graviorum Authorum nititur testimoniis, quibus ad assensum unius partis magis urgetur, quàm ad assensum alterius.

His præmissis, quando dicimus, in obscuris & dubiis *Tutius esse eligendum*; si ly *Tutius* comparativè sumatur, ita ut positivum illius sit *tutum*, sicut & bonum est positivum illius comparativi quod dicitur *Melius*; jam non tenemur ex præcepto eligere *tutius*, sed tantùm ex consilio: v. g. ingredi Religionem, & profiteri.

Si verò *Tutius* adversativè sumatur, ita ut, id quod ei locô positivi correspondet & opponitur, sit malum aliquod; jam ex præcepto tenemur eligere *Tutius*, non minùs quàm sequi id quod est probabilius: si in probabili opposito, seu in *non actione, aut actionis omissione*, apparet aliqua peccati species, vel erroris occasio.

2. Explicatur. Quando Danielis 13. dixit Susanna impudoratis Senibus: *Melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Dei*: Id quod opponitur huic comparativo *Melius*, scilicet peccare, non est bonum, sed malum: ideòque ei absolutè eligendum erat illud *Melius*. Itidem cum 1. Corinth. 7. dicitur: *Melius est nubere quàm uri*; non est sensus, quòd *bonum sit uri*; & *melius nubere*: sed quòd his duobus inter se comparatis, *nubere* sit bonum, & *uri*, malum.

Aliis, sed æquivalentibus terminis usus est Doctor Angelicus, ad exprimendum idipsum. Nam lect. 2. in cap. 2. Epistolæ 2. Divi Petri, loquens de his, qui liberi à coinquinationibus mundi, his rursùm impli-

cati, superantur: ait D. Petrus: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti. &c.* Quod explicans Doctor Angelicus, ait. *Melius erat* ..... id est, minùs malum; cum sit comparatio abusiva, non propria: Propria, quando utrumque extremum comparationis participat æqualitatem in qua fit comparatio. Abusiva, quando alterum tantùm. Magis abusiva, quando neutrum, ut Matth. 29 *Melius ei erat, si natus non fuisset.* Hæc D. Thomas.

Sic in præsentiarum: Quotiescumque ita se habet opinio probabilior, ut in opposita opinione probabili, sit aliquod malum, sive sit peccati, sive erroris periculum; absque ulla tergiversatione, tenemur amplecti id quod judicamus probabilius, & tunc unicè securius grammaticè: theologicè verò securum & tutum, quod sufficere dicimus ad ritè agendum. Itaque, in his omnibus non tam verba sunt ponderanda quàm sensus, qui hìc unus est, ut scilicet vitetur quidquid vergit in Dei offensam, vel in propriæ salutis, aut alienæ, detrimentum. Quare si jam fiat aliqua dissertatio, pro opinione quæ dicitur probabilior, quia stat pro officio, lege, præcepto & honestate: hanc dicimus præferendam opinioni huic oppositæ faventi, voluptati, lucro, libertati, commodo, &c.

Non ergo ut dixi inhærendum indiscriminatim terminis opinionis probabilis aut probabilioris, sed intentioni Dei Legislatoris, de quo ait Psalmista, ps. 118. *Æquitas testimonia tua: & lex tua veritas:* Qui hoc præcipuè intendit, & quidem unicè, nos ab omni periculo peccandi, & ab omni occasione errandi removere. Quod potest fieri aliquando etiam in opinione minùs probabili ritè intellecta, ut statim dicemus, & modo prorsùs opposito intentioni ac præcipuo Adversariorum intento. Quare si aliqua se se offerat opinio, quæ asserat, v. g. licitum esse pecuniam dare per modum motivi pro Beneficio impetrando; & hæc opinio dicatur secura in conscientia, quia probabilis; probabilis verò, quia asserta à tribus aut quatuor Casuistis: his & centum aliis non obstantibus, hanc negamus; & sic de omnibus aliis, in quibus est aliquis vel contemptus, vel neglectus veritatis; aut aliqua temeritatis nota, aut salutis incuria. Et unô verbô, quodcumque sive apertum, sive latens peccati periculum, quod nec sanare, aut excusare potest Probabilitas, sed ad summum fucare seu tegere; vel (ut aiunt) lupum in ovili includere. Ex quo patet in antecessum doctrinam Divi Thomæ & Thomistarum, toto Cœlo differre à novitate Defensorum Probabilitatis, ut manifestum fiet ex duodecim Conclusionibus, quas statim subjiciemus.

3. Positâ hac intentione seu fundamento totius Controversiæ, ut scilicet removeatur omne vel saltem grave errandi aut peccandi periculum: dicimus nos triplici quasi vinculo adstringi, vel ad minùs in pluribus etiam levioribus gratanter invitari ad eligendas opiniones probabiliores, pro lege, officio & honestate stantes: Primò, quòd sint veriores: secundò, quòd magis immunes à peccato: tertiò, quòd ad salutem & incolumitatem efficaciores minùs probabilibus, quæ quamvis possent aliquando excusare à peccato, ut fortasse fieri potest, saltem à tanto, ignorantia invincibili interveniente: non tamen media ad salutem consequendam necessaria suppeditare: qualia offerunt opiniones probabiliores, juxta quas, quùm fa-

faciat creatura quidquid in se est, sine dubio succurret ac perficiet ille *qui semper prait in via justitia.*

SECTIO II.

Tribus motivis ad sectanda probabiliora invitamur: & ostenditur quibus modis profligetur pretensa Adversariorum impossibilitas in probabilioris delectu opinionis.

DEnique quantum ad prætensam Adversariorum impossibilitatem eligendi semper opinionem probabiliorem, seu magis à peccato immunem, dico primò id nedum impossibile esse, sed admodum facile cuicumque viro bene disposito, & maximè si bono privato (ut par est) anteponatur bonum commune: & ut diximus, recta dispositio specierum boni semper præ oculis habeatur; ita ut bonum honestum (quod est homini maximè proprium) utili & jucundo, seu delectabili præferatur: quod sic fieri debere, solo naturali lumine notum est, & ita manifestum, ut vix lateat infantes, quibus primi rationis radii illuxerint, quidpiam agere, quod honestatem lædere videatur, quin statim eos pudeat. Quare hac in re non ad caulas Eremitarum nos remittit Augustinus, sed ad scholas Ethnicorum: ait enim lib. 3. cont. Academ. lib. 7. *Clamat Zeno, totaque illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud, quàm ad honestatem; ipsam suo splendore in se Animos ducere, nullò prorsùs commodo extrinsecùs positò, & quasi lenocinante mercede.*

4. Secundò, adhuc longè faciliùs cognoscet unusquisque quid agendum sit, vel à quo abstinendum, si propriam coram Deo, sine pravo affectu consulat conscientiam: quo in speculo percipiet, an Deum præcipuè, suæque bonum animæ intendat potiùs quàm lucrum, voluptatem, aut aliquod temporale commodum, vel effrænem faciendi quidquid libuerit licentiam: cui viam aperuit vaga Probabilitas, quam libenter dicerem cum D. Petro, Epist. 1. cap. 2. v. 16. non novum quid pro quo huic nostro sæculo sit gratulandum, *sed velamen antiquum magnam in non paucis habens malitia libertatem.*


Tertiò, facili quoque ac nullo ferè negotio percipiet quisque quid debeat secundùm Deum agere, & quæ remedia malis suis expediat adhibere; si jam non serpentem æneum, sed Christum & hunc Crucifixum intueatur; cujus Crux est Cathedra Magistri docentis quid sit discriminis inter ea quæ ab unoquoque nostrûm exigit, tanquam à nova creatura, & illa quæ sunt veteris Adami, quæ Novus jussit deponi, ut eum induamus novum, qui secundùm Deum creatus est in justitia & veritate.

Quo in negotio, & Sanctorum movemur documentis, & illorum trahimur exemplis: unde hoc unum superest, ut Deum Jeremiæ ore, 6. v. 16. loquentem audiamus. *Hæc dicit Dominus: State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, qua sit via bona, & ambulate in ea. Et non declinetis* (ut alibi ait) *neque ad dexteram, neque ad sinistram*: quæ est

propria Probabilitatis solertia sive studium, viam ferè semper aperiens in utramque partem.

Ex hoc satis apparet quantùm aberrent à veritate quidam Moderni, asserentes adeundos audiendosque Sanctos Patres, cum de Fide agitur; non verò quando est sermo de moribus, pro quibus nos remittunt ad Casuistas Neotericos, qui non rarò inconsultis Traditione & Scripturis, & persæpè inauditâ ratione, solâ utuntur Modernorum authoritate, quâ adunantur ut grues simul volantes.

Sed quia nonnullis res fortasse adhuc difficilis videbitur & obscura, illorum gratiâ magis eam aperiemus variis Conclusionibus & exemplis, quibus tùm ipsis fiat satis perfectissimâ rerum evidentiâ; tùm aliis omnibus constet, quàm immeritò dixerit P. Fabri, *A nobis prorsùs excludi, à Catholicorum scholis receptissimam Probabilitatis doctrinam.* Quare sit



CAPUT QUINTUM.

SECTIO I.

In qua dicemus, 1. rectum Probabilitatis usum non impugnari à Thomistis, sed abusum; quem in prima Conclusione regulandum ex recto potissimùm circa finem debitum, appetitu declarabimus.

Nu. 1. HIc non quæritur utrùm aliquando admittendæ sint opiniones probabiles; hoc enim nedum probabile est, sed certum omninò & indubitatum. Tota ergo controversia in eo posita est; quomodò id fieri debeat, & evidenter ostendamus, quibus aut quot modis fiat innoxius opinionum probabilium usus. Quod ut præstemus, supponimus omnem opinionem essentialiter ex semetipsa includere formidinem aliquam, sive ex obscuritate mediorum seu motivorum, quæ non penetrantur, hæc proveniat; sive ex rationum, quibus innititur, infirmitate, quæ non valent mentem convincere, oriatur: sive tandem ex ipsius intellectûs imbecillitate, qui cum non valeat vim demonstrationis percipere, argumentum etiam efficax & demonstrativum, probabiliter tantùm apprehendit. Ita D. Tho. 2. 2. q. 5. a. 3.

Unde hoc est privilegium singulare illius, *cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, & quem conscientiæ secreta non fallunt*, ut probabilia non minùs certò, quàm necessaria cognoscens, non possit probabilibus probabiliter assentiri; id est, modo ancipiti & formidoloso, creaturæ proprio, cum hoc maximam involvat imperfectionem. Sit ergo

PRIMA CONCLUSIO.

Dico primò Probabilitatem illam vagam ac versatilem in utramque contradictionis partem, hederâ infirmiorem, non posse esse morum Regulam, nisi aliquo fulciatur, quo firmetur; & veræ prudentiæ judiciô, licitus &

innoxius fiat usus illius, prout in sequentibus magis declarabitur. Probatur. Morum Regula debet esse certa, saltem moraliter: sed Probabilitas sic sumpta, id est versatilis & vaga, non est certa: Ergo nequit esse morum Regula. Aliàs hoc ex Mercori exemplo sic explicuimus. Rex præcipit Militibus, ut obsessam urbem decimâ noctis horâ aggrediantur; quia scit illos à quibusdam civibus hac horâ paratis fore excipiendos. Et quoniam tempore belli publica horologia silent, fit, ut illi Milites præscriptam horam cognoscere nequeant. Si ergo in eo casu Rex Militibus horologium consignet, quod non minùs horam sextam quàm decimam notaret: Nonne (inquit Mercorus) signum esset evidentissimum Regem illum noluisse hac urbem capi, suosque Milites voluisse deceptioni ac certo vitæ periculo exponere?

At eodem planè modo nobiscum ageret Deus virtutum (quod absit) si nobis in sufficientem morum Regulam daret Probabilitatem, ad bonum & malum, verum & falsum indifferentem; quam ob indifferentiam & indeterminationem ab ipsis Philosophis excluditur opinio à virtutum intellectualium consortio.

2. Confirmatur, magisque explicatur. Idem debet esse judicium de Regula morum ac de Lege; cum ipsa quoque habeat rationem Regulæ morum directivæ: Atqui, ut optimè observat P. Baronius in sua Ethica Christiana, juxta omnes Legis-peritos, *unius legis unus est sensus*, & lex quæ utramque in partem statuit, nihil præcipit: sicut Superior nihil juberet, qui subdito præciperet simul, ut scriberet & non scriberet. Sed talis est Probabilitas quam hìc impugnamus, quæ approbat opiniones de uno & eodem simul contradictoriè oppositas, (ex quibus una est necessariò falsa) quas tamen asserit esse certas ac securas conscientiæ Regulas, quia probabiles: v. g. Talis est opinio quæ asserit esse peccatum mortale, conferre Beneficium digno, relicto digniore: & non esse peccatum mortale; quia (inquiunt) utraque est probabilis. Itidem furtum 20. assium esse peccatum mortale, & non esse peccatum mortale. Et hoc est prodigium illud novum præteritis ignotum sæculis, & hactenùs inauditum; nempe ut id quod falsum est, & æternæ legi Dei contrarium, eâque prædamnatum; sit Deo gratum & acceptum, cui proinde sit parata merces æterna: quasi verò nostra imaginatio, seu, ut cum illis loquar, *firma persuasio* posset rerum naturam immutare, vel maledictionem prohibere in eos latam qui dicunt ***bonum, malum: aut malum, bonum***. Sed relicto hoc Probabilitatis portento.

Dicimus, quòd cum in hujus vitæ tenebris Probabilitatem omninò in pluribus vitare non possimus; sic firmanda est & corrigenda, ut nedùm licitus sit & innoxius, sed & utilis fiat usus illius. Hoc autem præ cæteris fiet, recto circa finem debitum appetitu, quem quisque; sive ut homo est, sive ut Christianus, sive ut Medicus corporis aut Animæ, &c. semper sibi debet proponere.

Explicatur. Intellectus speculativus (qui ex Arist. sola extensione fit practicus) sic dicitur à sola veritatis cognitione in qua per se sistit; & ex qua procedens ad aliquod opus faciendum, practicus denominatur. Et licet non sint duæ potentiæ, in hoc tamen differunt, quòd veritas intellectûs

ſpeculativi deſumitur per ordinem ad res quæ dicuntur veræ, quando ſic ſe habent à parte rei, prout concipiuntur: nam hæc propoſitio, v. g. *Petrus currit*, non eſt vera, niſi Petro currente.

Veritas verò intellectûs practici, qui reſpicit opus, deſumitur per ordinem ad quidpiam aliud per prudentiam regulandum. qua in re ponderandæ ſunt variæ circunſtantiæ, quas ut plurimùm ſimplex ſpeculatio negligit: v. g. Eleemoſina eſt bona: poteſt tamen contingere hîc & nunc, ut non ſit bonum illam facere his vel illis pauperibus, quorum fovebit vanitatem vel otium; vel ſaltem non expediat dare illam in tanta quantitate; quia id ipſum quod erogas, tuis eſt domeſticis debitum, vel tuæ alendæ familiæ neceſſarium. Itidem, bonum eſt ire ad Sacrum (ſcilicet ſpeculativè) vel etiam contemplationi vacare: ſed utrumque deſinit eſſe bonum, & fit malum: ſi tunc temporis inſerviendum ſit infirmo, in ultimo vitæ diſcrimine, conſtituto.

His exemplis manifeſtum fit æquitatem in practicis non naſci ex veritate ſpeculativa, ſed ex recto appetitu circa finem debitum, quem quiſque debet, juxta conditionem, ſtatum & exigentiam rerum ex regulis Chriſtianæ prudentiæ, ſibi proponere. Ex quo innoxius ac rectus fieri poteſt plurium opinionum probabilium uſus, quatenùs unuſquiſque eligit & ſequitur, & maximé urgente agendi neceſſitate, id quod judicat melius & convenientius fini debito quem intendit: v. g. convenientius ad ſalutem Animæ, ſi ſit ſpiritualis Medicus: ad corporis incolumitatem, ſi curam gerat valetudinis corporalis: ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ, ſi authoritatem habeat ſupremi Regiminis, &c. ut magis declarabitur ſequentibus concluſionibus. Sit ergo

---

SECTIO III.

Secundâ hac Concluſione & ſeptem ſequentibus, quando, ubi & quomodo innoxius futurus ſit uſus Probabilitatis, declarabitur.

SECUNDA CONCLUSIO.

3. POteſt quiſpiam aliquando ſequi Probabilitatem, ſi ipſa comitem habuerit tranquillitatem, quâ ejus infirmitas ſic fulciatur, ut in moralem tranſeat ſecuritatem: & maximè ſi ad hanc acceſſerit jus aliquod poſſeſſionis, aut alius juſtus quivis titulus, ut dicemus Concluſione ſequenti. Ad hanc Probabilitatis ſpeciem (quam ſupra diximus, quietam) nullo agitatam diſſidio, nulloque laborantem vitio, niſi carentiâ medii ſeu motivi intellectum evidenter convincentis: (quæ aliunde nullâ ratione partis oppoſitæ vellicatur; nec ullâ authoritate extrinſecâ, ſeu falſo rumore aut malâ famâ laborat) meritò reducitur innocentia viri, nunquam in diſcrimen vocata, & cujus fama nullâ unquam fuit mali ſuſpicione labefactata. Iſque temerarius eſſet & injuſtus, & contra charitatem peccaret, qui de illius viri probitate dubitaret, aut logicam de ea demonſtrationem exigeret.

Et talem Opinionem (quam diximus quietam) non tam probabilem dixeris, quàm moraliter certam. Nam ex ea parte, quâ nihil ei apparet repugnare, censetur consona legi æternæ, & ei sufficienter conformari: non quidem ratione solius Medii probabilis non sufficienter intellectum convincentis, (quod suspicionem naturalem semper relinquit) sed anteactâ vitâ, & unanimi Concivium consensione, cui contradicere alienum esset omninò à charitate, quæ Apostolo teste, *non cogitat malum*.

Talis debet censeri omnis opinio, in qua nullum est erroris aut peccati periculum, sed sola perfectæ & convincentis evidentiæ carentia; & qui hujusmodi opiniones sequi detrectarent, & maximè urgente aliquâ agendi necessitate; similes essent iis, qui in magna peregrinatione peragenda, nollent se se itineri committere, nisi illucescente ipsâ luce meridianâ. Et sic plures eximendi essent ab officio rectè agendi, quia majoris hujus non sunt capaces luminis. At ille qui temperat rerum vices, & unicuique sua partitur talenta, aliquos splendore instruit, tanquam cognitione meridianâ: Alios verò habet sub quadam caligine, quibus nihilominùs ait: *Modicum in vobis lumen est, ambulate;* ne scilicet accrescant ignorantiæ, & alicujus erroris aut peccati tenebræ, in pœnam vecordiæ, vos comprehendant.

Tertia Conclusio.

4. Ad prædictam Probabilitatis quietæ speciem accedit alia haud multùm dissimilis, qualis est illa, juxta quam nihil habet, quid sibi in conscientia timeat is, qui credit se optimo jure hæreditatem possidere, de qua nullus ei litem movit: Et cui in titulos inquirenti nullum unquam exortum est dubium, malâ arte parta fuisse à suis Majoribus, bona sibi relicta; quamvis fortasse hoc potuerit contingere. Sed quia omninò latet, & in his ac similibus non possunt haberi demonstrationes, nullis debet vexari scrupulis.

Quarta Conclusio.

Non tam quieta est nostra Conscientia circa notitiam quam hîc de nostra habemus innocentia: etenim quia illam certò & evidenter non valemus citra revelationem cognoscere; nec scire possumus utrùm simus justi, & in statu gratiæ; terminos Probabilitatis non excedit, aut ad summum Certitudinis moralis, à formidine non omninò immunis, cognitio quam de hoc arcano habemus, urgentibus hinc & inde rationibus, ob quas non nisi in timore & tremore possumus hîc salutem nostram operari, donec aspiret dies & inclinentur umbræ: nam *qui sine timore est, non poterit justificari*. Quia igitur in die septies cadit justus, & in multis offendimus omnes; nullus est quin possit dicere, & potiori jure quàm Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum;* cum de ipso propitiato peccato, esse non debeamus sine metu. Hinc D. Thomas in 1. ad Corinth. 4. explicans hæc verba (Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum) lect. 1. ait: *Non sufficit ad hoc quòd me justum pronuntiem; quia possunt aliqua in me peccata latère, quæ ignoro, secundùm illud Ps. Delicta quis intelligit?* Et in cap. 1. secundæ Epist. Petri in hæc verba, (Satagite

ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis) ait: *Per bona opera quæ homo facit, suæ electionis potest habere certitudinem; non quidem scientiæ, sed conjecturæ; non rei, sed spei.* Rom. 8. Certus sum, quòd neque mors, neque vita..... Sufficit ergo hæc Certitudo, quamvis non omninò perfecta: nam si post accuratam conscientiæ discussionem, non reprehendit nos cor nostrum; fiduciam habere debemus; ac possumus Sacrum facere, & ad sacram Synaxim accedere: immò debemus, præcipuè urgente præceptô Communionis annuæ; timoremque nos inde retrahentem ceu vanum & inimici dolum aspernari: Cujus, inquit D. Cyrillus in Joan. *variæ sunt multiplicesque ad decipiendum insidiæ; quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere*; quia, ut ait D. Gregorius Papa, hom. 36. in Evang. *tantò se ampliùs nostri fastidii morbus exaggerat, quantò se magis ab esu illius dulcedinis animus elongat.*

Quinta Conclusio.

5. Alia est Probabilitatis species quæ favet officio, qualis est filii ergà Patrem; cui non nisi opinione probabili, scilicet Matris testimonio, comperta sunt sua legitima natalia. At, quid de illo filio diceres, qui quòd certam ac evidentem de hoc non posset habere demonstrationem, se se à paterno jure subduceret, nec patri obtemperare, nec eum revereri vellet? *Quæro* (inquit D. August. de utilit. creden. cap. 12. *si quod nescitur, credendum non est; quomodo serviant Parentibus filii?*

Sexta Conclusio.

Non potest non admitti etiam hæc sexta Probabilitatis species fundata in naturali Matrum in filios inclinatione (quâ sagacissimè usus est aliàs Salomon, ut veram agnosceret Matrem;) quæ si aliquando sic deficiat, ut Matrem commutet in Novercam; hoc ferè tam rarum & insolitum habetur in moralibus, quàm in naturalibus, hominem non esse bipedem. Et quamvis major omnium sit inclinatio quam habemus ad vitam, nunquam tamen potest veræ demonstrationis habere vires, sed ad summum moralis tantùm certitudinis. Nam repetti sunt aliquando insontes, convicti per falsos, quibus consenserunt testes, qui vi tormentorum coacti, confessi sunt quod nunquam perpetrarant crimen, vel ex solo vitæ tædio, tot ad eam aliquandiù conservandam mortis speciebus expositæ. Ex quo patet quàm periculosum sit judicandi officium, sicut & incertus tormentorum usus ad veritatem extorquendam.

Septima Conclusio.

Præter prædicta, nonnulla alia sunt quæ dicuntur probabilia tantùm speculativè, seu etiam ad disputandum & exercenda studentium ingenia: v. g. Utrùm astra sint paria? Quis & ubi assignandus sit locus Paradisi terrestris? &c. Quibus accenseri possunt ea quæ dicuntur probabilia quoad assensum,

assensum, (in his dumtaxat in quibus innoxius est assensus) nec ullum est, nisi levissimum erroris periculum. Quid enim interest, utrùm Accipiter (quem cernis arbori insidentem) nullius sit, aut animal domesticum, dummodò ulteriùs non prosequaris ad occidendum vel rapiendum illum ? Quare hîc unum te monitum velim; nimirùm, certitudine majori & accuratiori indagine opus esse in his quæ ad praxim deducenda sunt, quàm in illis quæ in sola speculatione sistunt. In his enim non nisi levis, & aliquando nullus culpabilis error est, ante determinationem Ecclesiæ: in aliis verò semper est re ipsâ, aut valdè anceps peccati periculum: v. g. parùm interest utrum id quod in nemore deprehendit Venator, sit viator itinere fatigatus, in umbra quiescens sub arbore: aut fera sylvestris. At, si sagittam emittere velit ad interficiendum, nulla ei Probabilitas sufficit; sed omninò certus esse debet, non esse hominem, sed feram.

Octava Conclusio.

6. Octavò, admittitur Probabilitas suffulta legibus, & præsertim charitate. Ita D. Th. qui mavult quempiam in aliquem incidere errorem, juxta communem Probabilitatis credulitatem, quàm quòd peccet contra legem Charitatis. Nam 2. 2. q. 60. a. 4. ad 1. sic ait: *Melius est quòd aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quòd rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono; quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Et ibid. ad 2. ait: *Falsum judicium quò (quis) benè judicat de alio, non pertinet ad malum intellectûs ipsius (sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundùm se, cognoscere veritatem singularium contingentium;) sed magis pertinet ad bonum affectum.* Sic dubio procul, jucundum erat Deo dissidium horum duorum Angelorum: (nam Angeli ipsi non sunt à Probabilitate prorsùs immunes, & præcipuè in his quæ pendent ex solo nutu divinæ voluntatis:) Angelus siquidem Judæis præpositus urgebat finem exilii, eorumque discessum à Perside, ne scilicet corrumperentur vitio idololatriæ. Angelus verò Persarum Custos, obnitebatur spe alicujus fructûs, qui fortè ex mora Judæorum longiore inter Persas, veri Dei Cultorem, poterat Persis obvenire. Quod totum ex charitate utrinque pendebat.

Quamvis ex hactenùs dictis sufficienter innotescat quî non vitilitigardum de *Probabili & probabiliori*, sed præcipuè inspiciendum & indagandum, quid sub his lateat terminis; an scilicet aliquod peccati periculum, aut occasio erroris: magis tamen adhuc innotescet istud ex dicendis. Quare sit

Nona Conclusio.

Quando occurrunt duo mala, ad vitandum majus, non solùm admittitur id quod probabile est, sed etiam aliquando illud quod dubium judicatur. Explicatur. Hinc præcipit Religio, reverenter, certò & validè administrari Sacramentum: v. g. instat necessitas conferendi infirmo Sacramentum Pœnitentiæ, & Baptismi puero morienti: Inde urgent prudentia, charitas & justitia, sic se gerere Ministrum Ecclesiæ, ut suo non

desit officio, quô præcipuè tenetur saluti Animarum sic providere; ut nullo modo Animas objiciat periculo salutis æternæ. Et quia minus est malum, irritum fieri Sacramentum, aut minùs decenter administrari, quàm perire Animam, propter quam Sacramentum fuit institutum: Idcircò si contingat infirmum Animam agere cum solis signis contritionis; poterit Sacerdos, immò debebit illum absolvere. Itidem si evidens immineat periculum, ne infantulus sine Baptismo moriatur: & omnis certa desit materia, aut nullo modo formæ consuetæ recordetur Sacramenti Minister, sed tantùm illius, quæ dicitur, *in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque Procedentis*; quæ quamvis speculativè sit probabilissima, practicè tamen est incerta; poterit in illa Sacerdos conferre Baptisma, & omni alia materia deficiente, aqua scilicet naturali: vel aquâ maris, vel lixivio uti, aut aliâ consimili materiâ dubiâ; alioquin & extra casum necessitatis, minùs decenti. Quia melius est his in extremis, hujusmodi mediis probabilibus aut dubiis uti, quibus fortasse Deus Optimus ad salutem Animæ utetur, quàm illa omittere.

His omnibus modis, quibus aliquem innoxiè aliquando opinari contingit: addi potest ille de quo Doctor Angelicus, 2. 2. q. 5. a. 3. ait: *Qui tenet mente aliquam Conclusionem, non cognoscens medium demonstrationis illius; non habet ejus scientiam, sed solùm opinionem.* Ex prædictis inferenda subsequens Resolutio.

SECTIO III.

Hac Conclusione, & sequentibus, evidenter declarabitur nullum inter opiniones æquales constitutum, habere arbitrarium illarum delectum; & quomodo hoc sit intelligendum?

Decima Conclusio.

7. QUando occurrunt duæ opiniones æquè probabiles, non potest quis eligere quam voluerit; sed tenetur sequi, absolutè loquendo, opinionem carentem peccati periculo. Probatur hoc pluribus juribus, quibus statuitur, in dubiis partem tutiorem esse eligendam. Cap. ad audient. de homicidio. Cap. *Si quis*, de Pœnit. & Cap. *Iuvenis*, de Sponsalibus.

Quòd autem in æqualibus non sit electio ad libitum, si rationis ductum sequamur, manifestè declaratur exemplo stateræ, quæ non minùs manet in æquilibrio, quando utrinque est pondus æquale, quàm si nullum. Et ne quis existimet nos abuti exemplo rei inanimatæ; scilicet stateræ tantùm passivè se habentis: meminerit principii D. Thomæ, nimirùm scientiam nostram sic causari à rebus, ut non sit nobis integrum pro libito opinari sicut imaginari. Ex quo constat, stante rationum æqualitate, intellectum manere dubium, ancipitem ac suspensum, ut patet inter litigantes crumenam inventam sibi vendicantes: nam Judex non est minus dubius, si quilibet æqualis fidei testes proferat æquales, quàm si nullos haberet; at si nullos haberet testes, imprudenter omninò & injustè ageret,

si uni potiùs quàm alteri crumenam adjudicaret. Ergo similiter in præsentiarum. Sed fusiùs infrà cap. 9. probabitur

Confirmatur exemplo Salomonis, qui cum non posset inter Matres ex æquo litigantes, negotium dirimere; jussit dividi infantem, ut ex materna compassione, ceu novo rationis pondere, veram matrem agnosceret.

Antequam sequentem Conclusionem statuamus, hîc unum velim prænotatum, à quo pendet totius Controversiæ enucleatio, quæ majori ex parte latet in æquivocatione, qua rem, solo ferè sensu communi notam, tenebris involvunt Ægyptiacis densioribus: nimirùm, nos in hac decima Conclusione loquutos fuisse de rebus secundùm se, nullo ipsis per accidens adjuncto: nam ex aliqua circunstantia fit aliquando, ut non solùm possimus eligere id quod est alteri æquale, sed etiam quandoque debeamus; non quidem ratione sui, sed ratione alterius, quod est prorsùs necessarium ob vitandum aliquod erroris aut peccati periculum. Sed quia res est difficillima, meliùs explicabitur exemplis, quàm solis verborum officiis. Sit ergo

UNDECIMA CONCLUSIO.

8. Dico fieri posse per accidens, ut opinio aliqua minùs probabilis, sit securior, & ab omni specie erroris aut peccati remotior; & tunc illam sequi possumus. Hoc probatur sequentibus exemplis singulariter notandis, ne hac in parte Adversariis consentire videamur.

Primò, certum est Opinionem Hugonis Victorini, de multiplicandis actibus Contritionis, juxta numerum peccatorum; esse minùs probabilem Opinione Divi Thomæ asserentis unicum sufficere actum efficacem contritionis pro omnibus peccatis: tùm quia opinio D. Th. est conformior Scripturæ docenti Deum peccata condonare in quacumque hora ingemuerit peccator; Hugonis verò sæpiùs esset prorsùs impossibilis, cum de singulis, etiam cum maximè volumus, non possimus distinctam & explicitam habere memoriam; quod facilè posset in desperationis foveam inducere: Tùm quia Divo Thomæ suffragatur ratio Theologica: siquidem, quicumque unico actu efficaci Deum super omnia diligit; eodem actu, etiam omnia detestatur, quæ tanquam injuriosa, ei displicent & opponuntur.

Et nihilominùs potest quisque hanc Hugonis opinionem minùs probabilem sequi, quia removet à peccato per se loquendo: & utinam non unum Contritionis actum, sed mille intensissimos perfectissimi amoris actus produxisset unusquisque, & ubi primùm peccavit, & pro quolibet actu peccati.

Secundò, Dubitat quispiam an aliquod peccatum mortale in tali occasione commiserit: vel anceps est, an aliud commissum in Confessione aperuerit; aut illius re ipsa oblitus sit. Et adhibitâ omni diligentiâ, probabilius existimat se non mortaliter peccasse, nec se alterius oblitum esse. Ex utroque tamen est illi cor inquietum, semperque movetur aliquâ suspicione, quæ Probabilitatem non excedit.

Hoc ipso Probabilitatis scrupulo movetur, & utrumque peccatum, saltem ut dubium, iterùm confitetur. Quid ad hæc? Nonne prudentissimè agit, & securâ hac Probabilitate contra remissam Probabilitatem utitur,

hanc sequutus Probabilitatem, quâ maximam salutis sibi comparavit securitatem? Nam bonarum est mentium, inquit D. Gregorius, culpam agnoscere, vel saltem metuere ubi fortasse nulla culpa est.

Videsne, Amice Lector, quî Probabilitatem non aversemur quando adjunctam habet veram securitatem? Veram dixi; nam falsa est quam tuentur Adversarii, qui illam repetunt ac fulciunt fucatis falsæ prudentiæ Regulis, vel solâ supra ipsam Probabilitatem reflexione; quæ, ut in elencho materiæ præmonuimus, manifeste illudit conscientiæ.

Tertiò, Anxius est Judicis animus inter duas opiniones, quarum primâ probabilius existimat Reum commisisse crimen de quo accusatur: Alterâ opinione minùs probabili ob contrarias conjecturas, arbitratur ipsum esse innoxium. Quid opus facto? Hic Judex non solùm potest, sed debet opinionem hanc minùs probabilem sequi, & accusatum dimittere. Ratio est, quia ad damnandum justè aliquem, probationes ex legum præscripto debent esse Sole clariores; & nulla sufficit Probabilitas.

9. Quartò. Opinio quæ asserit Attritionem supernaturalem sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum, quâ quis ex attrito fit contritus; est communior, & saltem post Tridentinum à pluribus probabilior æstimatur. Estque altera ei opposita opinio minus probabilis, (licet tutior) quæ asserit necessariam esse contritionem perfectam, ad veniam peccatorum, etiam cum Confessione & sacramentali Absolutione, consequendam:

At zelo accenditur aliquis, & totis viribus conatur perfectissimam habere contritionem. An audebis damnare Sectatorem opinionis hujus minùs probabilis? Quin immò, omnibus est consulenda.

Quintò. Sub Urbano VIII. Decreto Congregationis cautum est, ne unam Missam pro pluribus stipendiis celebrent Sacerdotes. Si expendantur rationum momenta, opinio Cajetani & quorumdam aliorum asserentium ex Sacrificii valore infinito Missam pro pluribus oblatam, æque prodesse singulis, ac si pro uno solo offerretur; multò probabilior videbitur opinione Bellarmini & aliorum, sic fructum Sacrificii arctantium ad certum & determinatum gradum, ut nullius ulterioris augmenti capax sit amplius.

Attamen quia tutior est opinio Bellarmini, ab omni specie & suspicione avaritiæ remotior, & Animarum saluti vicinior, nec non Sanctionibus Summorum Pontificum conformior; meritò anteferetur, & reipsa est præferenda in hoc opinio Bellarmini. Opinio verò Caietani, quâ abuti possent Sacerdotes Sacrificiorum officia consummantes, ut avaritiæ & pigritiæ consulerent, homines retrahendo à Sacrificiis: (quam ob causam tam severè punivit Deus Sacerdotes Eli filios) non est ad praxim reducenda, quantalibet majori polleat Probabilitate: idque saltem ex fidelitate.

10. Sextò Recogitavit quispiam omnes annos suos in amaritudine Animæ suæ; & quia rem gessit publicam, accuratissimè rimari studuit, num fortè ad aliquam teneretur restitutionem erga aliquem: quô peractô, probabilissimè credit se unicuique quod suum erat reddidisse. Attamen postmodum aliquo levi movetur scrupulo erga quempiam: quem scrupulum libenter vocarem (si mihi liceret uti Adversariorum terminis) *Tenuissimum Probabilitatis filum*: ipse tamen magnâ motus generositate, ceu alter Zachæus,

ait : *Et si hunc defraudavi, reddo quadruplum.* An quia minimam hanc Probabilitatem sequutus est, damnare audebis? Deus est, qui alterum hunc Zachæum Abrahæ filium justificat, & quis est qui condemnet illum?

Ex his apertissimè apparet, quì non ludendum terminis opinionis probabilis aut probabilioris ad illudendum aliis; sed potissimùm esse inspiciendum quid lateat sub illis : an scilicet aliquod peccati aut erroris periculum, à quibus in tuto positus, potest & aliquando debet probabilem sequi opinionem, & potissimùm urgente agendi necessitate, quæ consultis non subjacet legibus; quibus tamen nunquam nisi imprudentissimè derogatur, si sub illis via tuta aut tutior (ut ferè semper contingit) commodi temporalis, voluptatis, aut alterius motivi gratiâ, negligatur : tanquam possit Probabilitas, vel illatum damnum resarcire, vel à peccato excusare: quam qui sequitur, nisi aliunde sit certus quòd non peccet; (ut in prædictis casibus) certissimè peccet; ut ex D. Augustino infra dicemus.

Sed fortasse dicet aliquis nos incidisse in Scyllam, cupientes vitare Carybdim; id est, in laxissimam Probabilitatem, juxta libellum Gratianopolitanum & Amadæum; putantes declinare à Patre Fabri asserente à nobis profligari receptissimam Probabilitatis doctrinam.

At facillimum nobis erit ostendere quantùm ab utroque extremo distent Thomistæ. Quod ut fiat efficacius, seu ut opposita juxta se posita magis elucescant, sequentem subjicimus Conclusionem.

Duodecima Conclusio.

Nunquam per se possumus licitè sequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, emolumento aut voluptati, relictâ probabiliore stante pro officio, lege, præcepto & honestate. Clariùs & unò verbò.

Quotiescumque ex aliqua opinione probabili, probabiliori, immò & probabilissima, aliquod imminet peccati periculum, aut ulla impendet erroris occasio, sive in fide, sive in moribus; nunquam licet talem sequi opinionem. Hæc Conclusio infra Cap. x. probabitur : quod de industria sic facimus, ne aliò divertatur Lectoris animus. Quare hîc una jungemus quid sentiant Probabilitatis Authores, ut neminem lateat nos toto cœlo differre ab his quæ ipsi conantur nobis affingere, circa morum laxitatem, quam in Thomistas, tanquam in primos illius Authores vel Patronos, satagunt regerere. Sit ergo



CAPUT SEXTUM.

Quid sentiant Antithomistæ circa Probabilitatem, ætate nostrâ tanto calore propugnatam?

Nu. I. QUÆ nonnulli fusissimè expendunt, hîc compendiosiùs perstringam : Et ne quis existimet me ulli quidquam imponere; horum omnium quæ hîc dicturus sum, duos aut tres indicabo Fidejussores seu

Authores; ad quos, si quis anceps fuerit, recursum habere possit. Hac præmonitione seu cautelâ hîc incedendum existimavi: etenim quæ modò ac deinceps relaturus sum, communem fidem ita excedunt, ut à nullo absolutum expetam consensum, nisi propriis convicto oculis: quod eò faciliori negotio fieri poterit, quò in promptu sint Authores illi, ad quos ancipitem remitto Lectorem.

Primus erit Fagnanus, qui testimonio Summi Pontificis Clementis X. in Brevi dato 17. Julii 1671. *à sexaginta annis obsequium, suamque operam præstitit summis Pontificibus, nuncque præstat suæ Sanctitati.* Secundus erit Gabriel à S. Vincetio, Carmelita excalceatus. Et tertius, Sinnichius, Professor Lovaniensis celeberrimus.

Porrò hic Tertius summariè referens quid sentiant Probabilitatis Defensores, quos postmodùm egregiè confutat in suo lib. cui titulus est, *Saül Exrex*, in fol. Lovanii 1662. edito, pag. 357. libri 1. ait: *Qui operatur (inquiunt Probabilitatis Defensores) motus opinione probabili, benè & sine peccato operatur, &c. Quod ita certum est, & à Doctoribus comprobatum, ut nostrâ discussione non indigeat, etiam opinione probabiliore relictâ; etiam omissâ tutiore; etiam communi & in articulo mortis: quia dum Probabilitate, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à Probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Nota hoc, Amice Lector.

Si autem quæris quænam sit illa opinio probabilis, quæ tot ac tantis decoratur privilegiis; hanc apud Tamburinum, suis depictam coloribus, reperies, lib. 1. Dial. *Opinio probabilis* (inquit) *est assensus intellectûs de aliqua re; qui nitatur ratione vel Authoritate alicujus momenti; modò pro parte opposita nihil appareat convincens, quamvis adsit nonnulla ejusdem, partis oppositæ formido.*

Et ne tanquam scrupulosus audiat, ait pag. 358. *Ad Probabilitatem sufficere unum Doctorem, etiam contra innumeros: quando idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens.* Neque exigit, ut quidam alii, illud esse certò probabile; sed ipsi sufficit, si sit *probabiliter probabile*; id est, si ratio vel Authoritas, quibus Probabilitas fulcitur, *sit alicujus momenti.*

At quo pacto illudant Lectoribus Adversarii, vocabulô *prudentiæ, aut rationis firmæ seu gravis, nomine*, ex uno Cardena cap. ultimo ostendemus; qui ultimus scripsit, ut aliis strictior appareret; quique unô verbô satis ostendit se alienis non mederi morbis Probabilitatum, quibus tantummodò ingenti suo volumine fucum fecit, ut legenti id quod referemus, satis apparebit.

2. Communem hanc esse Defensorum Probabilitatis doctrinam confirmat supra laudatus Prosper Fagnanus, integro volumine, cui titulus est: *De Opinione probabili Tractatus, &c.* Romæ an. 1665. recusus. Cui suffragatur præfatus P. Gabriel Carmelita, in suo libro in fol. Romæ quoque 1671. edito; in quo agitur de remediis ignorantiæ. Quod confirmat Sinnichius in suo erudito opere, cui hunc præfixit titulum, *Saül Exrex*, Lovanii edito 1662. Qui omnes fusè satis referunt ac refellunt efficacibus argumentis, nimiam Adversariorum laxitatem. Quod certè sufficere posset,

nisi quotitie de novo illi insurgerent vel Probabilitatem defendentes, vel illius excessum & deformitatem in nos, ac Sanctos ipsos, tanquam in primos illius Authores, immeritò refundentes, ut patet ex Neotericis quibus hic respondere cogimur.

Quid tamen sit inter nos & ipsos discriminis, quidve lateat sub cortice doctrinæ hujus supra relatæ, & doctrinam Divi Thomæ laudati cap. præcedenti; nullâ aliâ arte manifestari potest evidentiùs, quàm exemplis & propositionibus infra subjiciendis, quæ palam indicabunt nostram inter & illorum doctrinam, quam hac in parte nobis affingere conantur; nullam esse convenientiam; cum, ut patet ex cap. præced. hoc unum respiciamus, etiam in necessario probabilium usu, ut erroris ac peccandi periculum arceamus. Vaga verò Probabilitas quam tuentur Aduersarii nimis confidenter, spernit occasiones & gravissima peccandi pericula, solo Probabilitatis prætextu, quem asserunt sufficere ad securitatem conscientiæ.

Primum igitur quod in hujus rei fidem profertur testimonium, legitur apud præfatum Patrem Gabrielem, paginâ 374. ubi postquam multas retulit propositiones, *quæ* (inquit) *horrorem causant, & quas nemo sequi potest, licet adhuc nunc condemnatæ non sint;* sic loquitur nu. 12. *Vnam* (inquit) *præterire pessimam opinionem nequeo, quam ponit quidam Modernus, & est: quòd si vir doctus inveniat aliquam opinionem, quam putat esse falsam, & observat falsitatem; & quòd principium cui innititur, est omninò falsum, inane & vanum: adhuc tamen iste vir doctus, qui hæc cognoscit, potest eam sententiam tutâ conscientiâ sequi, gerendo se ut indoctum.* Quid ad hæc? Estne in mundo falsitas magis portentosa inter Christianos?

3. Secunda Propositio legitur apud eundem, pag. 371. *Quando Litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex accipere pecuniam pro sententia ferenda in favorem unius præ alio.* Quid plura? An toleraretur istud apud Turcas?

Tertia Propositio est eorum, qui asserunt, *Iudicem posse sequi opinionem minùs probabilem, contra communem & probabiliorem: nec licitum esse reo, ex sententia minùs probabili damnato, appellare: liberumque esse Iudici secundùm quam maluerit ex probabilibus judicare; immò nunc secundùm unam judicare pro Amico, & secundùm oppositam opinionem pro alio.*

Quarta Propositio est, *licere juramentum rei falsæ, quam jurans putat esse veram, alicui persuadere: quia* (inquiunt) *juramentum quod sine damno proximi, bono animo jurantis fit, etiam de re falsa, actus est studiosus Religionis, quem potest ut finem respicere, qui persuadet juramentum rei falsæ. Subtilis (inquit) ille Author Probabilitatis, alicui videbitur: sed certè vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis (aliàs improbabilis.)* Ergo ne licebit quoque ex eodem principio aliquem inducere de industria ad adorandam hostiam quam tu scis non esse consecratam malitiâ Sacerdotis? Quis hoc ferat? Sed de hoc fortasse redibit sermo in Apendice.

Ex hoc tamen obiter unum velim notatum, quod supra diximus; scilicet, Probabilitatis Authores non curare an vera sit res à parte rei, nec ne: sed ipsis sufficere idolum illud evanidum, seu formalem conceptum, quem sibi proponunt ut objectum, etsi nullus ei correspondeat objectivus à parte rei: quod licet incredibile videatur, vel hoc suspicari de viro qui ipsius

Philosophiæ limina à longè salutaverit : patet tamen ex Adversariorum libris, & evidenter in hac singulari propositione, in qua is sibi ut finem & virtutis actum proponit, non solùm id quod non est, utcumque & solummodò chimericum, sed insuper est scandalosum & Religioni injuriosum.

Quinta sit, *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave aliquod damnum Tertio : v. g. ad domum ejus aut segetem incendendam ; non tenetur ad restitutionem damni illati.*

4. Sexta denique Propositio : *Quamvis Actor nullum jus in rem quam petit, habere videatur ; potest illi Advocatus patrocinari.*

In his ac similibus confutandis Propositionibus (reipsa scandalosis ac intolerabilibus,) hîc non immoror, ne actum agam : nam illæ cum aliis pluribus his similibus, apertæ falsitatis sunt convictæ à pluribus Thomistis. Illas tamen sex leviores retuli propositiones, minùs scandalosas, minúsque piarum aurium offensivas; ut illis sex opponam Casibus Conclusionis nostræ undecimæ, in quibus, ob peccatum vel errorem vitandum, ut ostendimus, aliquando licitum esse diximus opinionem amplecti minùs probabilem. Ex quibus vel solis sufficientissimè innotescit, nihil magis oppositum D. Thomæ & Thomistarum doctrinæ, quàm hanc Probabilitatem, quam Adversarii conantur Mundo obtrudere, nobisque cunctis reclamantibus imponere.

Præfatas propositiones dixi esse leviores : nam quamvis falsæ, leves tamen censeri debent, si conferantur cum aliis, quæ utinam nulli unquam venissent in mentem. Etenim nec tantum scandalum apud Hæreticos induxissent, nec tantô tædio Alexandrum VII. (qui 45 ex illis anathemate percussit) affecissent; nec denique totam Franciam & Flandriam turbassent. Plures enim sunt propositiones tam in ficto Amadæo, quàm in Apologia Casuistarum, ob quas Christianus pudor erubescat.

Et tamen non erubescit Philosophiæ Magister Collegii Gratianopolitani, tales propositiones affingere Thomistis, dum suis thesibus, & libello iterum in lucem editô, Positione tertiâ suæ Moralis Philosophiæ, ait : *Quare si quid sæculo nostro condolendum (scilicet ob effrenem opinandi licentiam) Primi illi* (inquit) *condoleant, à quibus Primis* (Thomistas, quos refert, intelligit) *malum irrepsit.*

Tota ergo difficultas seu Controversia in hoc posita est, utrùm scilicet remissa Probabilitas superiùs expressa, quâ ferè omnia in problemata convertuntur; sit orta, vel saltem propugnata à Thomistis? Ut hoc ita esse suaderet Philosohiæ Magister, terrâ marique (ut sic loquar) Thomistarum libros conquisivit ex una parte : & ex altera Amadæus recenter recusus. Hic octodecim ex nostris designat : Ille verò, id est Amadæus, præter quosdam, quos cum præfato citat, alios etiam obtrudit, quorum Magister non meminit, quibus quoque suo loco faciemus satis. Omnes ergo sigillatim audiendi sunt, ex quibus potest quilibet cum Christo dicere : *Mea doctrina non mea,* sed Divi Thomæ, cujus proinde hîc fiunt vindiciæ, ac instituitur Apologia. Nec dubito quin obstupescant Lectores, suasque nobiscum ac pro nobis, Deo & Angelis offerant expostulationes ob incusationes tam injustas & atroces, adeóque alienas à veritate. Quare sit

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

In quo dirimitur primò curiosa quæstio, an scilicet dicendi sint Authores Probabilitatis, qui de ea quidpiam antiquitùs forte bonâ fide scripserunt; vel qui contra omnes, jam Probabilitatis partes tuentur, ac cunctis reclamantibus, adhuc eam defendunt? Secundò, Singuli Thomistæ citati à Magistro Philosophiæ, ad examen vocantur. ut ipsi ore proprio loquantur contra Probabilitatem pro qua ab Adversariis laudantur.

Nu. 1. UT sine ambagibus huic quæstioni respondeamus, Primum in titulo propositum facili negotiô omnes absolverent; alterum verò condemnarent, omnibus noto discipulorum Origenis exemplo, qui plures sui Magistri propositiones pertinacìter defenderunt, quas ipsemet (ut de tanto viro piè creditur) nunquam scripsisset aut propugnasset; si vel majus ei lumen affulsisset, vel prospicere potuisset præsagâ mente futuram totius Ecclesiæ contradictionem, cui imprudentissimè ac pertinaciter restiterunt Origenistæ.

Ratio fundamentalis est, quia in caligine hujus vitæ non omnia æqualiter manifestata semper fuère ab eo qui lucis diurnæ tempora, immotus in se permanens, successibus determinat. Hinc olim illæ quæstiones & controversiæ etiam inter Sanctos Patres aliquandiù agitatæ, ut de origine Animæ, & aliæ plures, de quibus jam nefas esset vel dubitare.

Hanc, ni fallor, ratione motus, non metuit Doctor Angel. 2. 2. asserere ipsos fidei articulos successu temporis, quoad explicationem, crevisse. Et 1. p. q. 32. a. 4. inquirens utrùm liceat contrarium opinari de notionibus? respondet, *multa nunc reputari hæretica, quæ priùs non reputabantur; propter hoc quod nunc est magis manifestum*. Quid ergo miraculi, si quid novi in Probabilitate modo deprehenderetur, ob quod meritò reprobaretur, quod olim bonâ fide acceptum, in controversiam nec vocabatur, nec agnoscebatur, cum in multis solâ rerum experientiâ edoceamur?

Sed hîc aliud se se offert Antiquitatis Exemplum, quô evidentiùs & magis ad rem proposita quæstio dirimatur: v. g. Contentiones de rebaptizandis in Africa, Agripino Authore, qui Sanctum Cyprianum in Episcopatu Carthaginensi præcessit; totius Ecclesiæ consensu exortæ sunt. Neque tamen propter illas, ullus unquam Sanctum Cyprianum, aut dictum Præsulem Agripinum hæreticos aut errantium fautores appellavit. Sed tantùm Donatum, qui suâ pertinaciâ schismati dedit initium à quo Donatistæ, Anabaptismi Defensores, hæretici dicti sunt. Ita refert D. August. lib. 2. de Bapt. contra Donatist. & Bellarminus de Script. Eccl. pag. 517.

Sic in præsentiarum (salvo discrimine quod agnosco inter præfatos & nostros hac in parte Adversarios, quos ceu Catholicos ac viros Religiosos honori & amori habeo, semperque habui) si quis ex Thomistis, vel ullus alius antiquior ipsis, quidpiam bonâ fide, vel ad removendos scrupulos, vel ad consolandos pusillanimes, unquam scripsisset; quod alii arreptâ oc-

casione sic defendendum suscipiant, ut quod tantummodò pro præfatis, tanquam pro infirmis scriptum est, velint absolutè & pro omnibus usurpare: nonne laudandi essent illi priores, vel omninò ab omni culpa absolvendi; illi verò Defensores pro Authoribus sufficiendi, meritoque corrigendi, quibus mutatâ rerum naturâ, eadem sententia probatur, & à quibus defenditur? Porrò nihil vetaret idem circa Probabilitatem contigisse. At hac excusatione hîc Deo dante non indigebunt Thomistæ, si ritè ac sincerè (ut par est) exponantur; in quos eorum Adversarii tàm frustrà quàm injustè conantur rejicere omnes laxitates Moralis Philosophiæ, quibus palàm adversantur, ut legenti patebit. Quare sit

SECTIO I.

In qua ostenditur fraudulenter & perperam Divum Antoninum, Didacum Alvarez, & Bartholomæum Ledesmam laudatos esse à Magistro Philosophiæ, tanquam primos vagæ Probabilitatis Authores sive Patronos.

1. SI sermo fuisset tantùm de Probabilitate, nullus unquam adversus eam os aperuisset: nam, ut diximus, impossibile est quandiù vixerimus in hujus mundi tenebris & caligine, (ubi tot nobis incerta sunt & obscura) nos penitùs ab illa subducere. Sed cum controversia sit de Excessibus Probabilitatis, nimiâque ejus laxitate, quibus res ferè omnes dubias & quasdam malas conati sunt quidam Moderni probabiles efficere opinionum diversitate, ac subinde ab omni labe peccati, saltem formalis, immunes reddere: tantò potiori jure debemus his obsistere, quantò hanc opinandi licentiam (quæ totam secum trahit morum laxitatem) hactenùs compescere nequiverit Authoritas Ecclesiæ: nec tot editi libri contra Probabilitatem, impedire quominùs persistant in ea propugnanda illius Authores. Et quod pejus est, totam Probabilitatis deformitatem clàm rejiciant, non solùm in Thomistas, sed & in ipsum D. Thomam, aliosque quos falsò quoque obtrudunt, quorum vel solum nomen plurimùm Authoritatis ac ponderis conferre potest cuicumque opinioni quam constiterit hos fuisse sequutos.

Primus ergo qui à præfato Philosophiæ Magistro in suo libello iterùm in lucem edito 1672. pag. 5. adducitur; est D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in Summa, 1. p. tit. 3. cap. 10. sect. 10. ubi ait: *Eligere tutiorem (opinionem) consilii est, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutiùs vivitur.*

Responsio. Jam non miror si in sequentibus toties deliquerit hic Philosophiæ Magister, cum pro basi ac fundamento Controversiæ posuerit id, quod nullus unquam, nisi Hæreticus, in dubium revocavit. Unde factum est, ut quæstionis statum minimè attigerit, quem vel ignoravit, vel dissimulavit. At si parvus error in principio, fit magnus in fine, qualis & quantus futurus sit hic tantus, judicet prudens Lector.

3. Dico igitur primò ipsum confundere *tutum & tutius* cum eo quod dicitur *probabile & probabilius*; cum tamen, ut diximus, sint res omninò differentes, diversaque rei tutæ & rei probabilis principia. Nam libet, sem-

perque fuit licitum amplecti id quod est tutum : v. g. Matrimonium : nec ullus unquam dixit debere omnes vovere, sive cœlibatum amplecti, aut Religionem ingredi ; quod tamen est tutius, & à peccati periculis remotius : aliàs opera consilii essent præcepti, sicque cuncta confunderentur.

Itaque nemo suspicabitur bonâ fida ipsos agere, qui Sanctum Antoninum obtrudunt tanquam asserentem licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, etiam in casibus (de quibus est controversia) ob quos totus orbis Christianus summoperè perturbatur : ex eo nimirùm quòd dixerit sanctus Præsul, *Nos minimè teneri id quod est tutius amplecti*. Quod est verissimum, & à nemine denegatum.

Cum tamen sit difficultas gravissima, *utrùm liceat sequi minus probabile, relicto probabiliori*, nisi in casibus supra expressis ab instituto Defensorum Probabilitatis omninò diversis, ut satis innotuit adductis & collatis illorum propositionibus cum exemplis.

Secundò. Confutatur efficaciùs ille Magister. Si legatur totus Sanctus Antoninus (ut par est) in his quæ ad hanc materiam spectant ; mirabitur sanè Lector, quî ausi sint vel ipse aut cæteri Thomistarum Adversarii sanctum Præsulem advocare in patrocinium suæ causæ.

Explicatur. Ratio fundamentalis ob quam tota ferè insurrexit Ecclesia adversus modernam ac effrænem opinandi licentiam, fuit potissimùm quòd prospexerit non solùm plurima, eaque gravissima (in speciem & falsò) excusari posse vitia, ex hac de Probabilitate doctrina ; sed etiam quòd sensim disponeret in gravissimas ac teterrimas hæreses, quales fuêre Libertinorum & Gnosticorum. Probabilitas enim, præter cætera, videtur artem docere contorquendi voluntatem Dei ad humanam ; ita ut possit quisque jugum divinæ legis excutere, ut pro suo vivat arbitrio. Quod pessimum est ; nam pejus est velle præesse, seu Deum velle quod ipsi nos volumus, quàm nolle ei subesse : multi enim noluerunt v. g. subesse Cæsari, qui ei præesse nunquam tentaverunt : At respectu Dei, hæc duo pro uno habentur.

4. Explicatur magis. Dicebant aliàs Carpocratiani, D. Irenæo teste, *solâ opinione humanâ differre negotia bona & mala* : aliisque quasi in furorem actis, scilicet Manichæis, ut ait D. Augustinus, lib. 4. cont. Julian. cap. 8. commune hoc erat effatum : *Si quis homicidium conscientiâ formidante commiserit, reus est, quia timuit. Si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens ex fide facere quod malè facit, culpam evasit.* Nefarium hunc errorem sequuti sunt Quintinistæ, ac illi, qui antonomasticè dicti sunt Libertini, quique effrænem omnia faciendi licentiam vocabant, teste Lindano, *Libertatem Evangelicam*.

Prospexerunt Vigiles qui custodiunt Civitatem, id est, Ecclesiæ Præsules, hanc in abyssum sensim deducere posse doctrinam illorum, qui contendebant v. g. ad securitatem conscientiæ, *opinionem etiam minùs probabilem sufficere*, nec opus esse multis Authoritatibus vel argumentis pro hac sufficienti Probabilitate comparanda ; sed unum Authorem, etiam contra innumeros, in ipso mortis articulo ; cum (ut aiunt) de ipsa Æternitate jacitur alea, sufficere : immò posse unumquemque tutâ conscientiâ agere, non tantùm id quod certò scit esse probabile ; sed satis esse, si existimaret

illud esse tantùm *probabiliter probabile*; quod tunc tale esset, si ille sibi persuaderet rationem, motivum vel authoritatem se habere, *quæ alicujus esset momenti*. At quis potuisset unquam corruptæ hominum inclinationi & pravis moribus periculosiùs adulari? Et tamen hujus doctrinæ jam innumeri extant libri, illorumque apologiæ per totum fermè orbem resperſæ, in quorum uno, scilicet Dianæ libro, tria circiter opinionum millia reperies, quarum magna pars stát pro libertate contra legem; pro voluptate contra honestatem, &c. Ex quibus si ad alias quæstiones discurrere liceat ex stabilitis Adversariorum principiis, argumento à simili; de tota re morali actum est, ut rectè suum Clerum admonuit Episcopus Gandavensis. *Experimur* (inquit) *quotidie tantâ passim licentiâ novas & laxas in doctrina morali excogitari opiniones & commenta, ut vix quidquam deinceps illicitum futurum sit, si quorumdam placitis acquiescamus : nec ullum penè præceptum naturale aut positivum, quod quæstuosis ipsorum Probabilitatibus obnoxium non sit, & eludatur, &c.*

5. Sed quid tandem dixit D. Antoninus? Rem prorsùs aliam ab eo quod intendebant Adversarii, de quo nullo modo est quæstio : nam ille loquitur, ut patet ex terminis de *Tuto & tutiori*, non verò de minùs probabili.

Secundò. Si quid amplius apud Sanctum Antoninum possit reperiri, ac semel verum sit Aphorisma Medicorum, scilicet *contraria contrariis curari*; hoc quod ille dixit vel legisse, perìnde est ac omnes unô verbô confutasse Probabilitatis Patronos.

Explicatur. Norunt omnes boni conscientiarum Rectores, quàm diversis ac imparibus remediis utendum sit erga pusillanimes & scrupulosos, & circa nimis audaces sive infrunitos & irreverentes, qui aut Majestatem spernunt, aut plus æquo seu temerè de illius misericordia præsumunt.

Quid ergo scripsit S. Antoninus? Remedia quibus pusillanimes & scrupulosos consolaretur, ut legenti patebit 1. p. tit. 3. c. 10. sect. 10. *Dei* (inquit) *& Ecclesiæ præcepta non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, quibus certè tollitur, quando nimis scrupulosè & timidè (homines) præcepta interpretantur.* Pro scrupulosis igitur, ac nimium timidis loquitur sanctus Præsul; non verò pro audacioribus qui fræno indigent ac repagulis. At quæ major collusio quàm res adeò inter se oppositas & pugnantes confundere ac permiscêre, unamque pro altera Lectoribus obtrudere in re tanti momenti?

Itaque qui Sanctum Antoninum adducunt in Authorem vel Patronum eorum qui conscientiæ laxant habenas; seu, ut loquuntur, qui viam cœli (quæ arcta est) se se dilatasse gloriantur : idem omninò agunt ac Medicus qui infirmum senio ac inediâ penè confectum & exanimem tam audacter purgaret, eique venam secaret quàm juveni robustissimo, febre ardentissimâ exusto, assiduis saginato epulis. At quis talem Medicum tam imprudentem & indiscretum sibi eligeret?

6. Sed ne quis de mente sancti Præsulis possit deinceps dubitare, rursùm ipse audiatur. *Si* (inquit) *dubitet quis leviter & per modum scrupuli, sicut dubitat seu formidat habens opinionem de aliquo, qui ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito : sic agendo contra tale dubium, non peccat, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro*

ipsa magis quàm pro opposita opinione. En illustre testimonium, quo truncato aliis illudunt & abutuntur; quod sincerè & ex integro relatum, fert secum condemnationem Antithomistarum: Etenim non poterat sanctus Præsul exprimere evidentius aliquem teneri opinionem probabiliorem amplecti, quàm per hæc verba quæ dissimulant; *& habet rationes probabiles pro ipsa magis quàm pro opposita*. Hactenus pro S. Antonino, & paulò fusius quia ipsum intolerabili importunitate, nec minori audacia semper & ubique illum nobis objiciunt Antithomistæ.

7. Secundus qui à Magistro Philosophiæ adducitur pro secta ida opinione minùs probabili, est Didacus Alvarez etiam Archiepiscopus, in suis Commentariis ad 1. 2. D. Thomæ editis.

Respondeo, iterumque præmoneo non esse ludendum verbis *opinionis magis aut minùs probabilis*; sed inspiciendum esse quid lateat sub hujusmodi terminis: an scilicet ipsis aliquod insit peccati periculum, aut occasio erroris. Nam in hoc solo totus est difficultatis nodus. Siquidem contendunt contra Thomistas Adversarii excusari à peccato & meritorium fieri, solo Probabilitatis beneficio, id quod est minùs probabile, etiamsi stet pro libertate contra legem; & pro utilitate, lucro, delectatione aut commodo, contra officium & honestatem.

Et quia ad Alvarem provocare non metuit Probabilitatum Defensor; hunc ipsum in controversiæ Arbitrum libenti animo admittimus, etiam in loco citato à Magistro, scilicet 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 80. quod certè vix potest exscribi sine verecundia & pudore. *Quando opiniones* (inquit Alvarez) *versantur circa actiones exercendas; si ex eo quod sequatur quis opinionem probabilem, relictâ probabiliori, imminet detrimentum tertiæ personæ, aut periculum honoris divini; non potest homo sequi opinionem probabilem, relictâ opinione quam arbitratur probabiliorem*. Quid clarius aut magis conforme iis quæ diximus? Hîc & Lectoris sinceritatem exposco, & Adversarii obtestor conscientiam, an quidpiam potuisset compendiosius aut efficacius dicere Alvarez ad confutandum id, quod ipsi falsò imponitur ab hoc Philosophiæ Magistro? Et nota, candide Lector, ly *quam arbitratur probabiliorem*, quò innumeris occurritur subterfugiis & difficultatibus.

8. Tertiò. Nobis objicit Magister, Bartholomeum Ledesmam, qui maximâ Auditorum admiratione Theologiam docuit, & Guaxagensem Episcopatum sanctè administravit. Et similem assertionem ponit in tractatu de Pœnit. diff. 14. edit. Salmant. anni 1585. pag. 731.

Sic laudantur nostri à Magistro, & tolluntur in altum, ut lapsu graviore in suam Probabilitatem ruant: sicque in singulari citantur, ut se nihil metuere testetur, cui omnia hac in parte sunt metuenda.

Respondeo igitur, sapientissimè à Curatis Parisiensibus fuisse animadversum, perperam Adversarios prætexuisse, quorumdam Veterum doctrinam Modernorum Casuistarum laxitati viam stravisse; cum plures ex Antiquis nunquam fuissent in lucem editi, quales sunt plurimi in nostra Bibliotheca Carnutensi, & in Parisiensi Sancti Victoris; vel ita rari, ut vix possent reperiri. Ex quorum numero est noster Bartholomæus Ledesma à centum fermè annis, semel tantùm editus in Hispania, pro quo inveniendo, omnes ferè Bibliothecas Parisienses decurri. Qui utinam in omnium

esset manibus, ad coërcendam effrænem quorumdam Casuistarum licentiam; pro qua tamen confirmanda non metuit Philosophiæ Magister ipsum pro Probabilitate reluctantem & invitum ciere. Jure an injuriâ, penes Lectorem eo audito æquum erit judicium.

Inquirit ergo Ledesma, loco citato, utrùm Confessor teneatur probabili Pœnitentis opinioni adhærere?

Cui quæsito ut faciat satis, ait primò, *se supponere opinionem Pœnitentis nec esse ab Ecclesia damnatam, nec fidei Catholicæ aut bonis moribus adversam; quæ pro se graves habeat Doctores, urgentesque rationes; & quam viri timorati in praxi communiter amplecti ac sequi soleant.* At hoc quid jam commune habet cum Probabilitate quam impugnamus?

Secundò vult ut *ex tali opinione probabili Pœnitentis nullum periculum aut inconveniens possit suboriri: v.g. Ex eo (inquit) quod habens votum continentiæ solemniter emissum, dispensationem illius non petat, ut possit matrimonium contrahere; vel petita & obtenta licentia non utatur: nullum inde inconveniens sequitur. At ex opposita opinione magnum (inquit) imminet periculum.* Viden quomodo stet pro obligatione & officio, & dicat eligendum id quod est tutius, & in quo nullum est peccati periculum? Quo uno omnes conatus Antithomistarum profligantur.

Tertiò. Addit aliquem posse etiam mortaliter peccare, non solùm in probabilibus, sed etiam in aliis, si nimirùm operetur vel ex conscientiâ erronea, vel ex dubio practico, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 19. & quodl. 8. a. 13. Quod verissimum est apud omnes.

9. Quartò. Conclusione tertiâ asserit in nonnullis Contractibus & aliis conclusionibus quibusdam à jure naturali ac divino remotioribus, posse aliquando excusari aliquem à peccato ex ignorantia invincibili. v. g. *Quòd Sacerdos habeat evidentiam de falsitate opinionis pœnitentis, tenetur Pœnitentem docere; & rationi illius pœnitens tenetur acquiescere.* Quid verius aut magis oppositum doctrinæ Adversariorum? *Quòd si Pœnitens in sua opinione* (inquit) *sit fultus peritorum ratione, nec aliunde Confessor habeat evidentiam; debet eum absolvere, maximè si Pœnitens* (nota) *pro se habeat legem, ut ait ibid. Conclus. 5. de Iudice, qui sequutus opinionem D. Thomæ, accusatum, & per testes legitimos in judicio sufficienter convictum, contra opinionem Adriani condemnavit.* Fultus hac ratione, quòd sicut Judex non potest hominem denuntiatum aut accusatum tanquam criminosum ac viventem in communem Reip. perniciem, (non tamen per idoneos testes in judicio sufficienter convictum) condemnare, quamvis ut persona privata certò cognosceret ipsum verè esse reum : ita non potest legitimè in judicio convictum absolvere; quamvis privatim nota illi sit ipsius innocentia. Sed ad summum poterit de opposito protestari, & alia Juris adhibere remedia; vel in hoc casu cedere officio, tuncque innocenti, quantùm poterit favere ac patrocinari, ut alii communiter dicunt.

Denique pag. 731. col. 2. Ledesma statuens discrimen inter Judicem sæcularem, & Ecclesiasticum, ait: *Iudex sæcularis secundùm allegata & probata judicare tenetur; ut cum fert sententiam in favorem partis, quæ melius suam intentionem probabit, attentâ qualitate & numero testium neutri parti injuriam inferat. Itaque opinionem magis probabilem, & in dubio in favo-*

rem rei ferre sententiam tenetur. At verò Confessarius cum judicium salutare exerceat, in favorem pœnitentis, & prout ipsi magis salubre & expediens fuerit, judicare tenetur. Ponderanda sunt singula ejus verba. Verùm enimverò, diceresne Confessarium judicare in favorem Pœnitentis, ipsum exponendo damnationis æternæ periculo? Facilè ergo concederet Ledesma id quod supra diximus, mulierem esse absolvendam, probabiliter credentem se debere potiùs marito infirmo assistere, quàm Sacrum adire in festo.

At ex hoc leviori exemplo, non licet universalem inferre conclusionem in gravioribus: unde venerabilis Antistes quasi præsagâ mente occurrens Antithomistarum doctrinæ, eamque prædamnans; loquens de his qui in similibus indigent instructione, pag. 730. ait: *Hi namque cum non teneantur scire, multò faciliùs excusantur saltem à peccato: nam de restitutione secùs est dicendum.* Id est, majori severitate cum illis agendum est, ne alteri damnum inferatur. Nonne igitur æquissimæ erunt expostulationes Ledesmæ adversus Magistrum Philosophiæ & omnes Antithomistas, quòd prætextu Probabilitatis quam ita purè discriminavit, ausi sint ipsum adducere in patronum aut fautorem eorum, qui sub umbra propositionis prædicti Magistri, refundent in ipsum omnes opiniones quas dicunt probabiles: v.g. Pœnitentem posse alium & alium adire Confessarium, donec aliquem inveniat ad placitum, qui suam sequi velit opinionem, & impertiri quam alii meritò denegarunt absolutionem? Item furem potentem statim totum simul restituere, posse tamen per partes restitutionem facere, ut interim aliquod captet emolumentum? &c. Certè debebat Magister Philosophiæ difficultatis 14. ab ipso citatæ saltem conclusionem legere, vel eam non dissimulare, quâ cum Soto Ledesma ipsi os obstruxisset. Discat igitur Magister legere Authores quos citat, aut saltem meliùs consulat suæ famæ & conscientiæ, quæ apud omnes nutant in tam aperta mundi deceptione.

SECTIO II.

In qua tres alii ab eodem Magistro falsò quoque citati, ad examen vocantur; scilicet Sylvester, Angelus, & Viguerius.

10. Quartus qui pro Patrono Probabilitatis objicitur, est Sylvester Prierias, sacri Palatii Magister, Vir (inquit Author libelli) insignis Authoritatis; in Summa, verbô: Opinio nu. 1. & clariùs, verbo, Scrupulus.

Respondeo primò pro Sylvestro idem dicendum esse ac de Sancto Antonino: quod latere non potuit Philosophiæ Magistrum, cum loco ab ipso citato, verbô *scrupulus*, manifestè loquatur Sylvester, non de probabiliori (quam dicit esse præferendam,) sed de tutiori: nam ait ibid. *Aliàs quilibet deberet, relicto sæculo, ingredi Religionem, quod est tutius: unde sufficit eligere tutam (scilicet opinionem) maximè scrupulosis, qui sunt desperationi propinqui.* Nota.

At, quid commune desperationi propinquis, pusillanimibus, ac nimium timidis, cum audacioribus legum contemptoribus?

Respondeo secundò, non alio opus esse Authore quàm Sylvestro, pro evertendis Adversariorum principiis. Ait enim loco citato, *tenendam esse opinionem quæ habet pro se legem vel antiquam, vel probatam consuetudinem: nec ex multitudine Authorum quid melius & æquius judicandum: & in foro conscientiæ eligendam esse opinionem quæ validioribus rationibus firmatur.* Unde videtur Adversarius militasse pro rebus quas susceperat impugnandas, & eorum ipse Apologiam texuisse pro sana D. Thomæ doctrina, in quos totam laxitatis culpam rejicere conabatur.

Quintus, qui inter Probabilistarum fautores annumeratur, est Angelus de Clavesio in Summa, verbo *Opinio*. Pro quo

Respondeo valdè offusas fuisse circa Magistrum Philosophiæ Probabilitatis tenebras, per quas ei non licuit Angelum Minoritam à Dominicano distinguere. Nisi dicere malis ad excusandum hunc Magistrum, infidos habuisse discipulos referendarios, nec quidem propriis vidisse oculis Authorum libros quos undequaque molitus est in Thomistas convocare.

11. Sextus (Magistri judicio) est Joannes Viguerius, qui à Possevino (Societatis Scriptore) Theologus eximius appellatur, cap. 15 v. 2.

Respondeo nos semper fidem desiderare in Adversario, dum sine restrictione aut distinctione loquitur, juxta quas verè intelligendi sunt Authores. Satis omnes periti agnoscunt quàm latum sit discrimen inter legem divinam & naturalem: & inter leges humanas & Ecclesiasticas, de quibus specialiter loquebatur Viguerius, tract. de Legibus, cap. 15. citato, v. 2. ubi ait: *Hoc modo interpretati sunt Magistri præceptum de jejunio, quòd non obligat debiles & infirmos, juvenes & decrepitos, prægnantes, lactantes, aut graviter laborantes. Hæc Magistralis interpretatio* (inquit) *non habet necessitatem: non enim tenetur quilibet assentiri interpretationi, & secundùm eam agere. Habet tamen excusationem, quia in dubiis sequens opinionem rationabilem alicujus Magistri, cum Magister est Doctor & approbatus ut Divus Thomas, qui absque ratione & Authoritate non consuevit loqui; quod est valdè notandum ad sedandos scrupulos conscientiarum.* Quid ad hæc, mi Magister? Laxatne Viguerius conscientiæ habenas, qui vix potest consentire prænominatos esse exemptos à jejunii lege; quam ob causam ait, *nos non teneri assentiri Magistrorum interpretationi, & secundùm eam agere; posse tamen, ad sedandos scrupulos?* At, nulla ne est major difficultas dispensandi aliquem à præcepto diligendi Deum etiam per totam vitam, ut scripserunt quidam Antithomistæ; quàm eximendi infirmos, aliosque ibidem expressos, à lege jejunii? Aut quemlibet Casuistam æquiparabis Angelico Doctori, ut illum tanquam securum Ducem omnibus sequendum præponas? cujus vocem meritò dixerunt *vocem multitudinis, ipsumque communem Doctorem, ac perpetuum sacrarum Scripturarum (sine quibus ferè nunquam loquitur) Interpretem.*

Denique an totus mundus laborat scrupulis, ut doctrinam ceu medicinam pro illis tantummodò traditam, tanquam pro infirmis; omnibus omninò etiam libertinis & effrænibus sequendam proponas? Deus bone, quot interficeret Medicus, si quam satagunt obtrudere methodum in spiritualibus Antithomistæ; observaret ille in corporis infirmitatibus, nullo discrimine facto juvenis ac senis: hominis obesitate (ut loquuntur Medici) vel pleuritide

pleuritide penè ſuffocati : & illius qui exinanitione & inediâ conſumptus, ferè extremos efflaret halitus.

SECTIO III.

In qua Medina, Lopez & Victoria, falsò laudati à Magiſtro, referuntur.

12. SEptimus qui inter primos Probabilitatis Authores annumeratur, eſt Medina, in Commentariis ad 1. 2. q. 19. a. 6. Concl. 3.

Reſpondeo Medinæ ſententiam merito jure ad judicium eſſe revocandam. Quòd ſi in foro externo aliquando concedantur litium reviſiones (ut Cauſidici loquuntur,) certè hac in parte non eſt deneganda Medinæ. Etenim quantùm ſpectat ad ipſum, negare non poſſum, nullum, quem ſciam, meliùs ad praxim reduxiſſe Evangelii conſilium, (quô ſuadetur auferenti tunicam, dandum eſſe & pallium; ſeu aliud fere huic ſimile : nimirùm in via adverſario eſſe conſentiendum;) quàm Patrem Baronium. Adverſariis ſiquidem importunè contendentibus, aliquos ex antiquioribus Thomiſtis Probabilitatem docuiſſe : maluit concedere Medinam aliquando ſtetiſſe pro opinione minùs probabili (ritè intellectâ modo ſupra dicto) quàm cum illis diutiùs contendere. Quid enim refert ad cauſæ ſuſceptæ æquitatem, ſi vel unus inter tot minùs cautè aliquid ſcripſerit, & maximè cum nullus ex Noſtris ſuſcepiſſet patrocinium ipſius?

At non eſt æquum ut in exemplum deducatur omnibus proponendum, quod non niſi ex quadam indolis benignitate & indulgentia à P. Baronio in ſua Ethica Chriſtiana potiùs gratis datum eſt, quàm conceſſum. Sed quid ſi vel uni inter tot aliquid exciderit? Nec enim tantam ſapimus vanitatem, ut quod unus ex Noſtris dixerit; tanquam eſſet infallibilis, omnes id tueri enitamur. Amicus Plato, amicus Ariſtoteles; ſed magis amica Veritas : hoc enim intuemur, non ſolùm ut apertum ſuperbiæ intolerabilis indicium; ſed veluti miſerandum amentiæ deliquium. An quæſo alicui authori magnoperè improperandum, quod Propheta non fuerit? vel quod futurum Probabilitatis abuſum, ab Adverſariis propugnatum prævidere & præcavere præſagâ mente nequiverit?

Ne tamen noſtrâ indulgentiâ, aliqua fiat injuria præfati hujus Authoris innocentiæ; grandem nemini faciam ipſe injuriam, ſi illius cauſam petierim ad judicium revocari; cum idipſum, ut dixi, aliquando non denegetur, etiam in ſupremis Tribunalibus.

Reſpondeo igitur primò Medinam docuiſſe noſtram de ſectanda opinione probabiliori (eo ſcilicet modo, quo jam ſupra diximus, iterumque dicemus, nimirùm ad vitandum peccati vel erroris periculum) ſententiam; & dixiſſe eam eſſe in conſcientia ſecuriorem : & argumenta quibus ſtabilitur, *eſſe optima.* Doctrinam verò huic oppoſitam pro opinione minùs probabili ſtantem, non niſi perfunctoriè & per tranſennam retuliſſe : unde & ait (quod & Philoſophiæ Magiſter non debuit diſſimulare, nec potuit ignorare ex ipſo loquendi modo, *Mihi videtur, &c.*

13. Dico ſecundò, ſatis apparere quàm immanè diſtet propria Medinæ

ſententia à nimis remiſſa Neotericorum morali doctrina ; idque vel ex ſola quam format Medina, opinionis verè probabilis definitione, quæ in nullo (ut legenti patebit) differt à certitudine morali, quâ ſemper cavetur non ſolùm Dei offenſa, ſed & omnis læſio proximi & injuria : unde 1. 2. q. 19. a. 6. ad ultimum (quod etiam non debebat Adverſarius diſſimulare) ait : *Quando altera pars litigantium affert pro ſe probabiliora teſtimonia, non dicitur (ſcilicet contraria) opinio probabilis.* Ergo falſum eſt quòd Medina fuerit primus Probabilitatis hujus remiſſæ Author aut ſignifer, ut ipſi falsò imponunt quidam Neoterici, aſſerentes tenuiſſimum Probabilitatis filum ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ, & opinionem minùs probabilem, ſuam retinere Probabilitatem, etiam opinione probabiliori accedente : quod manifeſtè negat Medina, ut patet ex ſupradictis ; quodque eſt invictum doctrinæ D. Thomæ principium, quo paſſim probat ſcientiam, fidem & opinionem non poſſe in uno eodemque intellectu eſſe ſimul de eodem objecto & eodem tempore.

Tertiò. Quidquid poteſt afferri ex Medina in ſpeciem favens Probabilitati ; totum intelligi poteſt dictum pro timoratis conſcientiis, ut de Sancto Antonino diximus; quibus jugum eſſet graviſſimum hos ſemper eſſe ſollicitos, utrùm ſententiam probabiliorem ſequuti fuiſſent. Nec hoc ex alio, quàm ex ipſomet Medina ominamur ibid dicente : *Oppoſita ſententia* (ſcilicet probabilior) *cruciat animos timoratos.* Quare in gratiam ipſius Medinæ, recurrunt omnia quæ pro S. Antonino diximus. Neque potuit iſtud quoque Adverſarium latere : nam loco ab ipſo citato, pag. 466. ait Medina : *Si loquamur de ſcrupulis primi generis, non eſt agendum contra ſcrupulum : patet hoc in exemplo dicto, de his qui habent plura beneficia.* Non ergo remiſſus jam habebitur Medina, ſed nimis ſtrictus judicio Adverſariorum.

Volvant igitur, millieſque revolvant Medinam Adverſarii, nunquam apud ipſum ſuam reperient doctrinam ; ſed tantùm communem Thomiſtarum, Conciliorum ac Sanctorum Patrum ſententiam, juxta quam, ut diximus, non licet permiſcere ſeu confundere perfectum & perfectius, tutum & tutius, cum eo quod dicitur probabile & probabilius; ut ipſe Medina loco citato teſtatur. *Nemo*, inquit, *obligatur ad id quod melius & perfectius eſt; ſed perfectius eſt eſſe virginem, quàm eſſe uxoratum, &c.*

14. Quartò denique inquirens ibid. *Utrùm teneamur ſequi opinionem probabiliorem?* pag. 464. reſpondet Medina : *Hanc quæſtionem difficilem explicat doctiſſimus Soto, lib. 3. de juſt. a. 6. q. 5. ad 4. in hunc modum : Dicit enim quòd licet in ſpeculativis & in Gymnaſio, licitum ſit aliquando ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliori : cæterùm in moralibus, & in rebus quæ pertinent ad jus tertii, non eſſe licitum ſequi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori. Sentiunt* (inquit) *idem Sylveſter verbo* Opinio, *ſect. 2. Conradus, lib. de contrac. c. ult. Et quod magis movet, Dominus Caietanus in Summ. verbo* Opinio.

Dixi à Medina opinionem probabilem longè ſtrictiori modo definiri, quàm ſit ab Antithomiſtis uſurpata; ex quo proinde nihil verè poſſunt inferre in patrocinium ſuæ cauſæ : unde loco citato 1. 2. q. 19. a. 6. *Opinio non dicitur probabilis* (inquit) *ex eo quod in ejus favorem adducantur rationes apparentes, & quod habeat aſſertores & defenſores : nam iſto pacto*

omnes errores essent opiniones probabiles : sed ea opinio probabilis est, quam asserunt viri sapientes, & confirmant optima argumenta. Huic non quadrat Adversariorum doctrina sic loquentium : *Hac opinio Authore non caret: ergo probabilis est, ac subinde secura morum regula.* Contra quos ait Medina ex D. Thoma, col. 462. *Sequitur evidentissimè peccare, qui sequuntur opiniones quas agnoscunt, vel agnoscere debent esse omnino improbabiles, ut qui habent plura beneficia.....* Quod si apud eundem Medinam obtineat in aliquo, distinctio juris à facto, semper tamen ritè concludit pag. 465. *At vero quando adducuntur de facto testimonia probabiliora, secundùm ea pronuntiandum est.* Et col. 460. *Quando* (inquit) *pro una parte sunt rationes urgentiores..... in illam partem propendendum est, quæ majoribus argumentis confirmatur.* Idem repetit col. 458. Quod si minùs cautè concesserit judicari posse juxta hanc vel alteram opinionem, quando opiniones sunt omninò æquales : continuò ipse occurrit periculis *scandali, avaritiæ, aut affectûs particularis* contra eos qui in similibus dicunt : *Nota casum pro Amico:* aut existimant accipi posse pecuniam, ut ferat sententiam Judex in favorem hujus partis quam pro libito præferre voluerit. Affirmatque pag. 464. *Ministrum Sacramentorum extra necessitatem formas aut materias adhibentem juxta opiniones probabiles, peccare mortaliter.* Quòd si prævidere potuisset Medina laxitates & excessus, qui sparsi sunt in Casuistarum libris ab anno 1618, quo scripsit; non dubito quin rem hanc accuratiùs rimari studuisset. Verùm, eritne reus quicumque nescierit ominari, aut spiritu prophetiæ non fuerit à Deo donatus? Jam certum est, & apud omnes indubitatum, dubium constitui quoties sunt hinc & inde opiniones æqualiter probabiles, ut manifestis evincemus exemplis & rationibus, tàm in jure, quàm in factis; & potiori ratione quando una pars est probabilior, & stat pro lege : quo in casu ait Medina pag. 458. *In dubiis tutiorem partem esse eligendam.* Dubito (inquit) an contractus sit usurarius : *Teneor non celebrare contractum : nam in non celebrando nullum est periculum.* Lege Conclusionem quartam sequentem, ne cogamur exscribere totum hunc Authorem.

En candide Lector, Medinam hunc, quem pro se nexibus ac nodis indissolubilibus revinctum se se detinere jactabant Antithomistæ, quem nemo invisere possit sincerè, quin apud ipsum continuò conqueratur, & meritò, sibi tam falsa ab Adversariis fuisse imposita.

15. Octavus est Ludovicus Lopez, Vir (inquit Philosophiæ Magister) eximiæ sanctitatis & eruditionis, part. 1. Instruct. consc. cap. 20. concl. 2. (debebat dicere, cap. 120.)

Resp. Sanctitas & eruditio quas hoc in Authore agnoscit Magister Philosophiæ, sufficere poterant, ut ipsum ab omni suspicione corruptæ moralis disciplinæ, immunem ipsum haberet. Et tamen ille conatus est suâ citatione ipsum efficere suspectum.

At ipsemet Lopez sufficientem sibimet ipsi paravit justificationem, etiam loco citato, ubi ait : *Scio communem esse sententiam Soti, Corduba, Caietani, Conradi, Navarri, tenentium non sat esse probabilem opinionem sequi, sed probabiliorem esse sectandam, &c. At Ibannez cordatè satis tenet, &c. ubi scilicet nullum est periculum. At in rebus* (inquit) *magni ponderis & salvationis, non licet sequi opinionem probabilem, quia hic probabilior est eli-*

genda. Atqui nihil est magis oppositum laxitati Adversariorum asserentium licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, *etiam in articulo mortis:* & ut loquuntur, *cum de æternitate jacitur alea.*

Nonus qui à Philosophiæ Magistro refertur inter Sectatores laxæ Probabilitatis, est Franciscus à Victoria, quem ille dicit *virum nunquam satis laudatum*, in Summa de Confess. nu. 177.

Resp. Jam satis præmonuimus nos non negare, quominùs Thomistæ, & nominatim Victoria loquuti sint de Probabilitate, quæ in rebus tùm humanis, tùm divinis, hac in vita est quandoque inevitabilis: sed tota controversia est, an sint primi Authores laxæ ac nimis remissæ Probabilitatis, quam supra retulimus.

Atqui Franciscum à Victoria, Primarium Salmanticæ Cathedraticum, fuisse alienissimum à doctrina Antithomistarum hac in parte ostendo. Primò, quòd loco citato edit. Rothom. ann. 1642. loquatur de opinione, in qua utraque pars stat pro lege, ut indicat Soto ejus discipulus, & ipse declarat exemplo Judicis, qui juxta leges condemnavit convictum per testes in judicio, quem scientia privata scit esse innocentem. Qua de re supra.

Alienissimum dixi: nam hoc quod maximè tuentur Thomistæ est, quòd non liceat sequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, commodo aut voluptati, contra oppositam stantem pro officio, lege, præcepto & honestate.

Secundò. Si faveret Victoria laxitatibus Adversariorum, non revocaret in dubium, utrùm absolvi posset qui plura habet Beneficia: Atqui de hoc ita dubitat, ut de hac opinione dicat: *Si opinio (scilicet de possidendis pluribus Beneficiis) non sit probabilis, sicut forsitan non est, clarum est quod non debeo eum absolvere.* Verùm, certum est opinionem minùs probabilem non retinere suam probabilitatem adveniente probabiliore, neque vim ullam ampliùs habere ad movendum intellectum, sicut ferrum calidum ut quatuor, non potest calorem in aqua augere, seu aquam ut quinque calidam, movere ad intensiorem calorem.

16. Tertiò. Quia eumdem Franciscum à Victoria citare ausi sunt Antithomistæ, pro scandalosa propositione, quòd scilicet liceat calumniatorem occidere privatâ authoritate; quàm falsò id ipsi adscribant, judicabit Lector ex ipsomet Lugduni impresso anno LXXXVII. Relect. X. de homicidio, pag. 369. ubi sic ait: *Nonò. Dico quòd ex intentione occidere hominem semper est prohibitum homini privato, nisi in casu præmisso; scilicet propter finem, quem si posset occidens aliter consequi, non occideret: sicut cum quis in defensionem sui, vel etiam Reipublicæ, occidit invasorem, quem non occideret, si aliter posset se defendere.* Ergo enormiter ipsum offendunt, qui ei hanc imponunt propositionem: *Rationem naturalem satis ostendere quando liceat inimicum occidere; & quempiam posse illum, à quo alapam recepit, sagittâ configere fugientem, ad honorem suum recuperandum.* cum præfatus Author asserat oppositum; vel tùm maximè quod antea dixisset loco citato circa homicidium, *consulendas esse Scripturas.* At quid dicunt Scripturæ? *Si quis te percusserit in una maxilla, præbe illi & alteram.*

SECTIO IV.

In qua referuntur Mercado, Nazarius & Bannez.

17. DEcimus qui ab Adversario objicitur, tanquam unus ex primis remississimæ Probabilitatis Authoribus, est Thomas Mercado, Vir (inquit P. S. Ju) in Morali Theologia versatissimus, in libro erudito de Contractibus, Hispanicè scripto, lib. 2. cap. 5.

Responsio. Vellem ut saltem hac vice, sequentia Ciceronis verba pacificè ac libenti animo admitteret Philosophiæ Magister, magnus Probabilitatis Patronus. *Nos qui probabilia sequimur* (inquiebat Tullius) *refelli sine iracundia possumus.* Nam ad refellendum hunc Magistrum, nihil opus est ut plura inquiramus; sed tantùm ut dicamus nedùm probabile, sed probabilissimum esse, ab ipso nunquam visum fuisse librum Thomæ Mercado, quem refert. Primò, quia illum citat libro 2. At in illo nulla est librorum, sed tantùm tractatuum & capitulorum distinctio.

Secundò. Quia constat contra præcipuum Magistri intentum, hunc Authorem post D. Thomam strictissimum fuisse, nominatim adversus dolos Mercatorum: & ubicumque agitur de laxandis Probabilitatum habenis, ut sequenti exemplo declarabitur.

Norunt omnes quô zelô plures Antithomistæ tueantur Contractum jocô dictum *Mohatra*, quem tanquam legitimum illi defendunt: qui talis est. Tullius pauper pecuniâ indiget: adit ille Socratem Mercatorem, à quo petit sibi venundari quantitatem panni, cujus ulnam 25 librarum (ut aiunt) pretio, id est summo, accipit. Hoc peractô, fatetur pauper Tullius se non habere pecuniam ad solvendum: & ideò rogat Socratem Mercatorem ut pannum recipiat seu emat, & quamlibet ulnam reddit ipsi Mercatori pro decem librarum pretio, id est, infimo. Sicque tertiò conveniunt quasi novo contractu, priore tamen subsistente: numerat Socrates pecuniam Tullio, juxta secundum contractum, id est, decem libras pro qualibet ulna; suumque chyrographum Tullius tradit Socrati, quô fatetur Tullius se talem debere Socrati pecuniæ summam, juxta pretium 25 librarum pro qualibet ulna sibi pretiô rigorosô vendita: quod pretium potest Socrates exigere à Tullio, anni vel trium mensium elapso spatio. Atqui præfatum contractum vocat Mercado, cap. ult. de abusu Contractuum, *rem diabolicam*, pag. 1. *La Mohatra es asar en maragnada y diabolica.* In edit. Salmant. an. 1569.

Legat qui voluerit D. Thomam, 2. 2. q. 77. per totam, & dicat: Væ Mercatoribus qui res suas non administrant juxta ejus doctrinam, cui ita adhæsit Mercado, ut ejus ore loquutus fuisse videatur, in damnandis Mercatorum vitiis, ac præcipuè in illa corrupta *vili emendi, & charè vendendi* aviditate, quam ait D. Thomas ibid. a. 1. ad 2. non esse naturalem, sed vitiosum desiderium, iis tantùm commune (inquit) *qui per latam vitiorum viam incedunt.*

Nec minùs contrarius est Mercado iis, qui Confessarium ex officio, spiritualem pœnitentis Judicem & Medicum, quodammodo reum & infir-

mum efficiunt, dum asserunt illum teneri judicium pœnitentis sequi: cum ipse Mercado suadeat semper quærendum esse Confessarium doctum, penes cujus judicium semper ferenda sit sententia; non verò juxta corruptum Mercatoris judicium. Ita cap. 5. de aliquibus documentis utilibus & necessariis. De algunos documentos utiles y necessarios: *Todo este que tengo dicho à de estar al arbitrio del Confessor y Theologo, &c.*

18. Undecimus falsò quoque citatus inter Probabilitatis Authores, est Joannes Paulus Nazarius, opusc. 1. de statu & obligat. Religiosorum.

Resp. Non poterat magis infœliciter Philosophiæ Magister aliquos Authores advocare in Patronos Probabilitatis remissæ, quàm Nazarium, qui loco ab ipso citato, pag. 204. edit. in 4. Bononiæ, ann. 1633. *asserit in dubio facti circa irregularitatem, tutiorem partem esse eligendam.* Et ibid. ante pag. 89. postquam dixit esse probabilem aliquorum opinionem asserentium esse in potestate Prælati ex justa causa subdito suo, viro gravi licentiam dare habendi in sua potestate moderatum peculium, ad illud expendendum in necessarios & honestos usus statui Religioso convenientes: ita tamen ut possit Prælatus, quando placuerit, licentiam revocare, & peculium illud usui Communitatis applicare.

Statim viam arctissimæ paupertatis Religiosæ, atque strictioris opinionis ac sententiæ severioris semitam sequutus, ait: Tertiò. *Dico sententiam negantem licere Prælatis concedere suis subditis bona stabilia, per ipsos tanquam Officiales, in proprias, honestas & Religiosas utilitates administranda, absque magna & urgenti ac evidenti necessitate, gravissimorum Doctorum judicio comprobata, esse valdè probabilem, tutissimam, & in praxi ab omnibus Religiosæ perfectionis, suæque ac proximorum salutis amatoribus observandam.* An plura aut strictiora à Beato Francisco Assisii in Umbria posses exigere, altissimæ paupertatis amatore?

19. Duodecimus est Dominicus Bannez, Doctor illustris (inquit Adversarius) in 1. 2. (in quam nunquam scripsit Bannez: ideò dicere debebat hic Magister, 2. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. concl. 4. *Dicimus ergo* (inquit Bannez citatus, loquens de actionibus exercendis) *posse hominem sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori.* Ita loquitur Bannez ore Magistri. Sed quid proprio?

Resp. Si propriam famam ejurasset Philosophiæ Magister, non potuisset id efficaciùs efficere, quàm Bannesium pro se hac in parte ciere. Et ad hoc probandum, meminisse sufficiet ejus quod jam toties diximus; scilicet Thomistas nusquam adversari opinioni minùs probabili, stanti pro lege, officio & honestate, seu eximenti ab omni erroris aut peccati periculo. Nam tunc non tantùm possumus, sed & aliquando debemus sequi opinionem minùs probabilem, ut in casibus Conclusione undecima expressis, è diametro oppositis Antithomistarum placitis.

Audiamus ergo Bannesium, non quidem passim, ne Lectorem benevolum frustrà gravemus; sed in ipsissimo loco infideliter citato ab hoc Magistro.

Si Gentili (inquit Bannez) *prædicetur Evangelium, & ostendatur magis credibile quàm omnis alia Religio circa cultum veri Dei, tenebitur credere: quod si non credat, peccat infidelitatis peccato, &c.* Et *Probatur*, inquit, *quia in re tanti momenti, qualis est non errare in cultu veri Dei, tenetur homo*

ſequi quod probabiliſſimum eſt omnium dogmatum. Nota iſtud , *Probabiliſſimum.*

Quod ſi aliquis reſpondeat (inquit) *licitum eſſe homini ſequi opinionem probabilem, etiamſi ſit minùs probabilis;* Reſpondet Bannez , *opiniones eſſe in duplici differentia : quadam enim verſantur circa aliquam actionem exercendam, an aliquis Contractus ſit licitus vel illicitus. Quadam verò verſantur circa res , an ſcilicet aliquid ſit, vel non ſit ; an domus ſit propria, vel aliena. Dicimus ergo quod de opinionibus prioris generis , verum eſt hominem poſſe ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori.* Audi quæ ſequuntur.

Sed cur ita ? *Quia* , inquit, *contingere poteſt ut opinio qua ſuadet faciendum eſſe contractum , vel qua aſſerit hominem eſſe plectendum tanquam reum ; ſit probabilior. Opinio verò huic oppoſita, qua ſtat pro non actione , ſit quidem minùs probabilis, ſed omninò ſecura & immunis à peccato. Ratio eſt*, quia apud omnes indubitatum eſt, me nullo modo peccare hunc contractum non celebrando, à quo poſſum abſtinere : vel non puniendo reum accuſatum, quem juxta leges, punire non poſſum, niſi habeam probationes luce clariores, quibus ſemper caret opinio quantumvis probabilis; quia vel ex eo ſolo quod ſit opinio, ſemper aliquid habet caliginis, & eſt incerta.

Caterùm de opinionibus ſecundi generis , (inquit Bannez) *non eſt univerſaliter verum quòd poſſit homo ſequi opinionem minùs probabilem, maximè quando poteſt ſequi aliquod periculum contra honorem Dei aut utilitatem proximi. Vt ſi ſint rationes quadam probabiles quòd Petrus occidit Ioannem: ſed ſunt alia probabiliores , quòd non occidit : tunc non debeo credere quod ille occiderit :* (nota hoc diligenter.) *Quin imò contingit aliquando quod ad exercendam aliquam actionem moralem , teneatur homo ſe conformare opinioni minùs probabili circa rem : ut ſi à longè video animal, de quo dubito aliquo modo ; an ſit homo ; ſed magis probabile eſt non eſſe hominem , ſed feram : tunc non debeo jaculari ad interficiendum illud animal, propter periculum quod ibi ſubeſt occidendi hominem. Sic igitur in propoſito dicimus, quoniam eſt maximum periculum errandi circa finem ultimum, teneri hominem illam ſectam acceptare, qua maximè probabilis eſt.*

Quid clariùs? & quæ major fraus quàm illa quæ excerpit quædam verba alicujus Authoris contra expreſſam ejus intentionem ?

20. Sed non minùs injuſtè ſequentem Franciſci Amici propoſitionem to. 5. curſ. Theol. diſp. 36. ſect. 7. nu. 118. in eundem Banneſium, tanquam in primum illius Authorem, nonnulli Antithomiſtæ conantur refundere : quam ut falſam, & toti humano generi pernicioſam damnavit Facultas Lovanienſis, ann. 1649. 6. Sept. Porrò hæc propoſitio ſic habet.

Licet Clerico vel Religioſo calumniatorem gravia crimina de ſe , vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non ſuppetit : uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus ea , vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni, publicè ac coram graviſſimis viris imponere, niſi occidatur. Ubi velim perpendas hæc Amici verba, *ſpargere minantem*; ut ex ſolis, quibus utitur Bannez , exemplis, quæ ſtatim ſubjiciam; videas ejus doctrinam ab omnibus receptiſſimam, à præfata Amici doctrina toto cœlo differentem ; cum, ut ipſe teſtatur pag. 186. loquatur de præventione

quæ talis est, *tantùm secundùm quid*, & simpliciter est justa defensio : ex qua doctrina non sequitur inconveniens; sed, ut ipse loquitur, *ex malitia hominum, qui non prudenter examinant circunstantias in quibus licitum est.* Non potest meliùs veritas aperiri, quàm Authore in medium adductô. Bannez igitur Duaci 1615. editus, de jure & just. q. 64. de homicidio, a. 7. pag. 184. & seq. inquirens utrùm liceat se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Negat primò, licitum esse aggressorem occidere, quando ex morte aggressoris sequitur notabile damnum Reipublicæ : *Tunc enim*, inquit, *tenetur homo potiùs pati mortem, quàm occidere invasorem.*

Secundò, loquens de marito volente propriam uxorem in adulterio deprehensam occidere ; illo eam ligante, jamque venenum aut gladium paratum habente : ait Bannez uxorem posse maritum sic furentem, se defendendo occidere : *Quia* (inquit) *per culpam non amisit jus naturale defendendi vitam; & tunc maximè major est illi ratio defendendi donec doleat, quod non est ita facile in illo conflictu & perturbatione animi.* Quòd si maritus ille concitatur passione, rationis usum absorbente; *potest illa uxor* (inquit Bannez) *se ab illo defendere sicut à fera.* Idem docet Bannez de illo, qui jam dedit ictum, quem si iterare permittam, & alium expectem ictum, sine dubio interficiet me. Itidem Cæsar vult occidere Tullium ; & quia non potest Cæsar solus prævalere in illum, potest Tullius ipsum Cæsarem interficere antequam occurrat servus aut alius sicarius, quem vocat Cæsar ad interficiendum Tullium. Item, currit Cæsar, ut canem vel leonem solvat, qui devoret Tullium : potest (inquit Bannez) ipsum prævenire Tullius antequam eos solvat, eumque interficere. Ratio ejus est, quia ad vim vi repellendam, solo naturæ jure licitum. *Non debet expectare quoadusque jam nullum sit remedium.* At, quis sanæ mentis unquam oppositum dixit? Extollant igitur honorem quantùm voluerint, semper unum superest, propter quod vita & honos (per se loquendo) in una statera non sunt appendenda : nam detrimentum vitæ semel extinctæ est irreparabile ; at fama amissa reparari potest, & quandoque cum multo fœnore.

Fundamentalem D. Thomæ rationem non omisit ibid. Bannez : quia (inquit) *occisio hominis nunquam est medium licitum personæ privatæ ad conservationem vitæ*, sed tantùm justa defensio.

Et ut videat Lector quàm alienus sit Bannez ex omni parte, à doctrina Antithomistarum asserentium, Tullium v. g. posse, ad honorem recuperandum, insequi Socratem, à quo accepit alapam; eumque ense aut sagittâ configere : Idipsum expresse negat Bannez, dicens ex D. Petro, Epist. 1. cap. 2. *Non reddendum malum pro malo* : asserens per repercussionem, *non nisi secundùm leges Diaboli, honorem recuperari.* Eum ergo dictis & factis imitentur quem verborum officiis suum vocant Magistrum ; nec deinceps ipsi imponant.



SECTIO

SECTIO V.

In qua Nugnus, Martinez & Petrus Ledesma referuntur.

21. DEcimus-tertius ex Thomistis à Probabilitatum Patrono relatus, est Didacus Nugnus Cabezudo, Hispanus Doctor, & Primarius Regens Vallisoletanus, in Addit. ad 3. partem D. Thomæ, quæst. 8. art. 5. dubio 3,

Respondeo præfatum Authorem in nullo degenerem fuisse à doctrina D. Thomæ: etenim loco supra citato, postquam stabilivit differentiam inter dubium & opinionem, ait: *Tota igitur difficultas est de opinione probabili; an scilicet administrare liceat Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione tantùm probabili?* Et quia in hac opinione quantumvis probabili, semper est aliquod periculum peccati, hanc graviter impugnat his verbis:

In his, inquit, *quæ pertinent ad necessitatem & existentiam Sacramentorum, non licet sequi opinionem minùs probabilem, quando est possibile sequi sententiam certam. Sed jurisdictio est de necessitate Sacramenti: Ergo non licet circa illam, sequi opinionem probabilem.* Quod confirmat his verbis: *Propter hoc enim est mortale peccatum, conficere Sacramentum Eucharistiæ in tipha, quando possibile est conficere in pane triticeo.*

Et postquam retulit Nugnus tricas quibus nonnulli conati sunt prædictum infringere argumentum; & rationes quibus Probabilitatem corroborare nitebantur; ait: *Mihi autem omninò non placet ista (scilicet Suaris) sententia. Sed dico non tantùm admonendum esse, sed necessariò dicendum, ut nullus sequatur opinionem probabilem, dum sequi potest sententiam certam, nisi urgeat aliqua causa gravis; quia argumentum à principio factum, est fortissimum; neque solutiones sunt validæ, ut statim videbimus.*

Et postquam Adversariorum subterfugia confutavit Nugnus, sic concludit: *Hæc omnia confirmantur, quia tunc quæcumque opinio probabilis sufficeret ad eligendum quemcumque Confessarium dubium, ex quo magna inconvenientia sequerentur in Ecclesia.* Unde, ut vides, ejus ratio est quoque ratio fundamentalis Divi Thomæ & omnium Thomistarum; scilicet, necessitas vitandi periculum peccati: ad quod effugiendum contendunt semper eligendum id quod est tutius, modo supra explicato; id est, quod caret peccati periculo: Antithomistæ verò nituntur persuadere Probabilitatem ex se vim quandam habere sufficientem ad peccatum amovendum, aut saltem ad illud excusandum: quod hactenùs non probarunt, neque imposterum unquam probabunt.

Gregorius Martinez Primarius Regens Vallisoletanus, cum Maximis (inquit Philosophiæ Magister) comparandus, tom. 1. in 1. 2. quæst. 19. art. 6:

22. Resp. Quò ulteriùs progredimur, semper magis miramur quî ausus sit Magister Philosophiæ, pro Probabilitate remissa laudare Thomistas, quorum vel unus sufficere posset, ut huic grassanti malo mederemur: opus probemus in Martinez ab ipso citato, Valiss. edito ann. 1616.

Primò igitur, Notabili 4 distinxit, id quod est probabile & probabilius tantùm speculativè; qualis est opinio Caietani de Bapt. in nomine Genitoris, &c. Et illud quod est omninò certum practicè; qualis est forma Baptismi, quâ utitur Ecclesia; scilicet in nomine Patris, &c.

Secundò, pag. 1067. monet distinguendum inter personam publicam: v. g. Judicem: & personam particularem suis in particularibus negotiis. *Persona enim particularis*, inquit, *nulli facit injuriam, si sibi eligat commodiora, dum probabilia sint: sicut infirmus pro suo libito potest sequi in sui curatione opinionem probabilem, relictâ probabiliori. Id tamen* (inquit) *Medico non licet; sed tenetur applicare securiorem medicinam. Et ita de Iudice.*

Et specialem antea de Judice rationem assignaverat: *Quia* (inquit) *cum Iudex positus sit tanquam lex & aequitas viva inter actorem & reum, ut ex justitia reddat aequale: non debet constituere victum eum, qui vicit: quod faceret si sequeretur opinionem minùs probabilem: qui autem pro sua parte habet probabiliorem sententiam, vincens est.*

Cum ergo Martinez dixit in secunda Conclusione, aliquando licitum esse sequi opinionem minùs probabilem: vel intelligendus est in speculativis in quibus nulla esse possit in Deum irreverentia, vel offensa in proximum: aut de persona particulari, ut in praefato de medicina probabili exemplo; idque propter vitandos conscientiae remorsus & scrupulos, ut ipsemet ait his verbis: *Nam aliàs essent infiniti scrupuli fidelium: utrùm fecissent secundùm probabiliorem, vel minùs probabilem opinionem.*

Deinde relictâ hac sententiâ, & reprobatâ etiam tertiâ, ut nimis laxa contra Vasquesium docentem, *posse Iudicem inferiorem ferre sententiam juxta opinionem minùs probabilem;*

Quartam ponit conclusionem, ut veram & propriam sententiam: & factâ distinctione juris circa intelligentiam legis & facti: ex parte testium & instrumentorum atque litigantium probatione: quod idem est ac speculativè & practicè, ut supra dictum est, sic definit: *Quando est inaequalitas, & altera probatio est major, tenetur Iudex sequi talem partem, quia pro illa est major dignitas, &c.* Et inde asserit Advocatum non posse patrocinari, cum agitur de vita aut fama, *nisi sit opinio tuta vel probabilior: quia id* (inquit) *omnia jura clamant.* Idem dicit de Medico, nisi in extremo vitae periculo.: cum ex duobus malis, minus est eligendum.

Conclusione quintâ asserit Regem non posse alteri pacifico Regi bellum indicere ex opinione probabili, immò neque ex probabiliori; sed ipsum debere esse moraliter certum: idque probat egregiè: *Quia Rex*, inquit, *in propria causa est sui Iudex ad reos puniendos: sed ad punitionem rei, non sufficit Probabilitas delicti; sed requiritur certitudo, maximè in causa mortis: per bellum autem, mala innumera, non mors una, sed multa sequuntur.*

23. Sextâ Conclusione ait Confessarium posse aliquando sequi probabilem poenitentis opinionem, relictâ propriâ etiam probabiliori: quod non aegrè caeteri admittent Thomistae, ubi nullum est salutis propriae aut alienae periculum, nullumque tertiae personae damnum, ut supra diximus de muliere, quae probabiliter credit se potiùs debere marito suo infirmo inservire, quàm Sacrum adire; licet oppositum probabilius existimet Confessarius. Idem dicendum est cum Poenitens probabiliter existimat se habere infirmitatem sufficientem ad non jejunandum.

At quis major abusus, quàm ex uno casu particulari omnes omninò inferre in tanto rerum discrimine? Quid convenientiæ habent, v. g. prædicti casus cum hac propositione damnata, tanquam probabili disseminata, & Probabilitatis pallio diù cooperta, *Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere?* Quis major salutis neglectus, aut magis crassa animæ immortalis incuria?

Denique ut nemo intueatur verum hunc Divi Thomæ discipulum, nisi tanquam vagæ Probabilitatis Adversarium; præ oculis habeat quæ ibid. ipse dixit: *Si habeamus certum ac securum quid sit faciendum, non licet sequi oppositum regulariter loquendo, & nullâ stante necessitate: & tunc Probabilitas oppositi judicanda est speculativa & non practica, &c. v. g. non licet in praxi* (inquit) *consecrare in pane confecto ex tisa, licet probabilissimum & ferè certum sit esse materiam sufficientem.* Quid clarius?

Et pag 1072 ait: *Notandum hoc quod diximus de sequenda parte certa, & non tantùm probabili; strictius debere servari in Sacramentis de necessitate salutis, &c. Ex quo sequitur* (inquit) *quòd in tali casu, quando quis Sacramentum conficit sequendo partem probabilem, relictâ certâ in casu irreparabilis damni, vel aliàs* (nota) *non tantùm peccat contra charitatem recipientis Sacramentum, sed etiam peccato irreligionis contra præceptum Divinum de integritate Sacramenti: & hoc dixerim* (inquit) *contra Vasquez.*

Et ut de sua mente nullum relinquat Martinez dubitandi locum corrolario 2. sic ait: *Idem dicendum est, de his quæ immediatè pertinent ad ipsam substantiam vitæ spiritualis; nimirùm, quòd (quisque) teneatur sequi partem certam, & non possit sequi probabilem, &c.* Quid ad hæc, Amice Lector? Nonne injustè traducitur hic Doctor tanquam Probabilitatis Author?

Decimus-quintus qui in gratiam Probabilitatis à Magistro laudatur, est Petrus Ledesma, publicâ (inquit) quadraginta annorum Theologiæ professione nobilis; in Summa Hispanicè edita, part. 2. tract. 8. cap. 22. ante duodecimam Conclusionem, asserit *etiam Judici licere probabilem sequi opinionem, relictâ probabiliori.*

24. Fateor me plurimùm insudasse ut præfati Authoris Summam, in duos tomos distinctam, idiomate Hispanico scriptos, reperirem: quod cum non possem, me non prorsùs spe ac desiderio cecidisse existimavi; quòd prima ipsius pars mihi incidisset in manus: ratus enim sum me in ipsa reperturum quidpiam, quod ad aperiendam mentem Authoris sufficere posset. Etenim quamvis ex Hispanico in Latinum traducta à quodam Raymundo; magno tamen in pretio est apud omnes, de cujus versione hæc ait Ardennas:

Quem Ledesma negat, dedit hunc Raymundus honorem;
Dicaris toto dignus ut Orbe legi:
Nam licet Hispanus totum ferè occupet Orbem;
Roma tamen latio longiùs ore patet.

Primam hanc igitur partem totâ, quâ potui, diligentiâ revolvi, nec in ea quidquam reperi quod veram Divi Thomæ doctrinam apprimè non confirmaret, ut legenti patebit. Nam pag. 669. & 700. *inquirens utrùm*

is qui bonâ fide, ante tempus constitutum, sacris Ordinibus fuit initiatus, possit illorum actum exercere antequam ad requisitam ætatem pervenerit?

Duas ibid. refert sententias, ex quibus prima asserit quòd exercere non possit: altera verò, quòd possit. Et utraque sententiâ simul collatâ, sic concludit: *Prima sententia valdè probabilis est & communior, ac proinde securior.* Quam ob causam pag. 701. ait, *hanc sententiam practicè esse sequendam.*

Sed quia dicere posset Adversarius à se relatæ authoritati minimè satisfieri, reperta est tandem altera pars Summæ Hispanicæ, in quâ jure meritò sistemus, cum ad hanc provocaverit Adversarius. Qui si duodecim revolvens conclusiones Petri Ledesmæ, diversasque aliorum opiniones cum distinctionibus juris & facti, de quibus ne quidem hiscit Philosophiæ Magister; (cum tamen id necessarium foret ad perfectam controversiæ intelligentiam) si, inquam, voluisset paulò ulteriùs prosequi, vel solùm decimam-tertiam legere Conclusionem sequentem, juxta illam potuisset æquissimam ferre sententiam de mente Petri Ledesmæ; neque unquam ausus fuisset illum nobis objicere tanquam Probabilitatis Authorem.

Audi igitur, Candide Lector, ipsum Ledesmam, ut scias cuinam deinceps debeas adhibere fidem.

25. Decima-tertia Conclusio. Judex tenetur judicare & sententiam ferre secundùm leges scriptas. Ita D. Thomas & omnes ejus discipuli, omnes Doctores hoc ipsum docent. Ratio est, quia omnes tenentur servare leges: & ipse Judex est lex animata: Tenetur igitur efficere ut leges observentur, & juxta illas judicare & sententiam ferre. Atqui omnes leges vetant, omniaque clamant jura neminem condemnandum, nisi legitimè convictum, & *probationes sint ipso Sole clariores*: At quando tales sunt probationes, nullus superest locus opinioni minùs probabili, aut probabiliori, sed soli Certitudini.

Imponunt igitur Petro Ledesmæ, qui dicunt juxta ejus doctrinam, Judicem posse sententiam ferre secundùm opinionem minùs probabilem: cum nec hoc possit etiam juxta probabiliorem, legibus indispensabiliter certitudinem exigentibus. Ausculta ipsum Authorem vernaculâ linguâ loquentem.

Tertia-decima Conclusion. El Iuez tiene obligacion de juzgar y sententiar segun las leyes escriptas. Esta ensegna Santo Tomas y todos sus discipulos, y todos los Doctores. La razon es, porque todos estan obligados a guardar las leyes: y el Iuez es la ley animada. Luego obligacion tienne a hazer guardar les sales leyes, y juzgar, y sentenciar conforme a ellas.

SECTIO VI.

In qua referuntur tres ultimi Thomistæ, scilicet Ildefonsus, Paulus de Blanchis, & Hacquetus, laudati à Magistro Philosophiæ.

26. SI pronus mihi esset animus ad excusandas excusationes in peccatis integrum hîc mihi esset, suum dare locum R. P. Vincentio Candido

quem facili quoque negotio non solùm facerem excusatum, sed & ipsum ad legitimum sensum reducerem, ostendendo nimirùm Probabilitatem non fuisse ab ipso receptam, nisi quando nullum esset erroris aut peccati periculum. Neque verbum huic explicationi contrarium, tanquam ex ipsius mente proveniens, facilè posset quisquam nobis indicare. Sed displicet hic modus regerendi culpam in alios, more Protoparentum: est enim prudentiæ Authoris ad limam vocare non solùm quæ ait ceu ex proprio Marte, sed etiam illud quod ab aliis mutuatur.

Demus ergo gloriam Deo, (ne contra Spiritûs Sancti monitum esse velimus nimium justi) ac sincerè fateamur in quibusdam casibus Candidum fuisse nimis remissum.

Unum tamen hîc mihi adest argumentum in ejus gratiam, Achillem Adversarii, seu ejus præcipuum destruens intentum, quô totam laxitatum culpam conabatur in Thomistas, tanquam in primos ipsius Authores, regerere. Nam vir mitissimus juxta & modestissimus, qui tantùm à 30 circiter annis passus est sua opera fieri publicæ lucis Lugduni, dum ipse degeret Romæ occupatus intricatissimis Ecclesiæ negotiis, tanquam Magister sacri Palatii; non potuit facem ferre Antithomistis, aut viam sternere iis qui à sexaginta & ampliùs annis ante ipsum scripserant. Desinat igitur Magister Philosophiæ Candidum accensere iis à quibus malum Probabilitatis primò irrepsisse asserit, cum ipse nihil habeat probabile, nisi id quod ex aliis exscripsit referendo; quibus persæpè contradicit, licet non eâ quâ par erat generositate, in re quæ Dei Electos ferè possit in deceptionis fraudem impellere.

Sed ad alios progrediamur. Nam una hirundo non facit ver: mihi enim sufficit ostendisse falsò quoque laudatum à Magistro Philosophiæ, tanquam Probabilitatis Authorem.

Decimus-sextus qui ab Adversario in altum tollitur, ut in remissæ Probabilitatis abyssum lapsu graviore ruat; est Joannes Baptista Ildephonsus Cæsar-Augustanus, suis in Commentariis in 1. 2. D. Thomæ.

27. Respondeo nullis Commentariis indigere Ildephonsi Commentaria, ut palam fiat omnibus hac in parte ejus innocentia. Primò enim Modernorum doctrinam ceu temerariam ac præsumptuosam refellit, asserentium unius Authoris placitum, probabilem efficere opinionem. Ita disp. 208. dub. 1. pag. 433. *Quòd si* (inquit) *viri docti dividantur, sequamur quod magis docti, versati & periti. Vnde sequitur quod cum soli probi & justi versati sint in moralibus: ideò qui tales sunt vitâ & moribus, majorem conciliant sententiæ Probabilitatem, ut Sancti canonizati in Ecclesia.*

Et pag. 434. *In Antiquis* (inquit) *præsumitur sapientia, & longitudo temporis in quo reprobati non sunt, id testificatur, secundùm illud Iobi 12. 12.* (In Antiquis est sapientia.) Secundò. Quæ tradunt Antiqui præsumuntur accepta à Patribus, juxta illud Eccl. 8. v. 11. *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis.*

Tertiò. Loquens Ildephonsus de opinione probabili & probabiliori, ait quidem disp. 208. frag. 5. ad 4. *Hominem posse adhærere cui voluerit, licet perfectius faciat adhærendo probabiliori.* At ibid. non loquitur de opinionibus probabilibus, in quibus potest esse aliquod peccatum, vel contra reveren-

tiam & amorem Dei: vel contra debitam proximo justitiam, ut ibid. ait ad 5. quod fusè prosequitur, & quod non debuit dissimulare Adversarius cum in hoc tota posita sit controversia.

28. Quartò. Quatuor refert Authorum Opiniones, & juxta secundam asserit *neminem teneri ad sequendam in praxi opinionem probabiliorem.* Sed ad quos spectat hæc sententia? Judicabit prudens Lector ex Authoribus, qui ab Ildephonso pro illa referuntur; ex quibus præter extraneos numerantur undecim ex Societate Jesu scelicet Suarez. Vasquez. Salas. Valentia. Azor. Tannerus. Filiucius. Lessius. Emanuel. Sanchez. Sanctarellus. Et hoc cautè dissimulavit Magister, ut posset doctrinam ab Ildephonso tantummodò relatam, ipsi ac subinde toti nostro Ordini tribuere, ex quo hactenùs ne quidem unum potuit sibi vendicare.

Audi igitur Amice Lector ipsius Ildephonsi, & si vis firmam Thomistarum doctrinam, *Dixi* (inquit dist. 208. dub. X.) *in superioribus neminem posse in praxi semper sequi opinionem minùs probabilem & minus tutam: immò aliquando neque magis probabilem, quando sc. ex sequela talis opinionis redundat aliquid, quod vitare tenemur ex justitia & charitate Dei vel proximi: & quia casus particulares sunt, & circa materias varias, variè est definiendum.* Cur igitur in eo referendo omnia confundit Magister, nec ulla utitur distinctione?

Quintò. Fatetur quidem Ildephonsus disp. 208. dub. 6. *Probabile esse aliquando rationabile Principium intellectus determinativum* sed non debent Adversarii sequentia Ildephonsi verba resecare. *Nec datur probabilior, cui intellectus & voluntas adhareant.* Itidem non debent permiscere id quod dixi de opinione tantùm speculativè probabili: cum eo, quod debet fieri practicè. Nam ut ibid. ait Concl. 5. pag. 465. *Quando opiniones versantur circa res, seu circa factum, tunc tenetur homo praferre probabiliorem opinionem minus probabili, & juxta probabiliorem operari.* Quid clarius?

Denique nemo dubitat, quominùs susceptum onus juventutis erudiendæ, sit obsequium gravis momenti & charitatis eximiæ: ex qua semper in decursu vitæ aliquid remanet: nam quod nova testa capit, inveterata sapit: seu quo semel imbuta recens servabit odorem testa diu. Quare debebat Magister Philosophiæ paulò accuratiùs Ildephonsum rimari & auscultare pag. 498. nu. 873. ubi ait; *in speculativis alicuius momenti, qui docet, tenetur quantùm potest docere probabiliorem (opinionem) quia tenetur mentem discipuli luce veritatis illustrare, ejusque notitiâ informare.* Si in speculativis hoc dixit Ildephonsus; longe potiori jure in iis, quæ ad praxim debent deduci, in quibus ob rerum gravitatem, non caligine probabilitatis, sed perfecta indigemus Luce veritatis.

Decimus-septimus est Paulus de Blanchis in discept. de difficilioribus materiis casuum pag. 182. in edit. Venet. an. 1630.

29. Respondeo nos eâdem fiducia & charitate præfatum Authorem ac omnes alios supra laudatos amplecti: ex quo ne tenuissimum quidem probabilitatis remissæ filum potest Adversarius deducere. Ait enim loco citato, *Si autem opinio pœnitentis est probabilis apud doctos & prudentes in tali materia, tunc Sacerdos sive ordinarius, sive delegatus debet eum absolvere.* At, quis hoc unquam negavit? Et maximè si habeat pro se legem, ut habet ille in casu de quo loquitur.

Sed quid melius dici potest, quàm quod ipse addidit pag. 182. *In his* (inquit) *multa prudentia est necessaria, &c. Si pœnitens est doctus & creditur non bona fide, tali opinioni adhærere, non est absolvendus.* An existimat Magister hoc quadrare cum illorum doctrina qui dicunt pœnitentem posse ab uno ad alium & alium ire Confessarium, donec aliquem reperiat qui ei sapiat?

Object. 18. Ultimus à Magistro adductus est Joan. Bapt. Hacquetus Hybernus in Controversiis Theologiæ tract. de Consc. controv. 14 pag. 145. edit. Rom, an. 1654. ubi inquirit *utrum liceat sequi opinionem minùs probabilem, etiam relictâ probabiliori ac magis tutâ?*

30. Resp. Non poterant magis infaustum habere exitum tot excursus & labores Adversariorum, totque vigiliæ Magistri Philosophiæ in inquirendis & evolvendis ferè ex toto orbe Authoribus nostris, quàm illum, quem habent in Hacqueto, qui os aperire non potuit, quin illud obstruxerit omnibus Adversariis.

Neminem latet nostram & Adversariorum controversiam esse de rebus maximi ponderis & momenti, quibus ipsa tota Religio Christiana commovetur, totaque Respublica perturbatur, uti claruit Apologiâ Casuistarum; quos quùm excusare non possent, aliquem fucum rebus facere moliti sunt: ideò pulvere excusso ab omnibus Bibliothecis fere totius Europæ, ut aliquos ex Nostris reperirent: præfatos tandem produxerunt, quos audacter asseruerunt esse primos Authores Laxitatum totius Theologiæ Moralis, in quos subinde deberent omnes totum Probabilitatis remissæ reatum reiicere. Sed quàm falsò ac immeritò satis patet ex dictis: cùm nequidem unus sit ex iis omnibus quos hactenùs adduxêre, qui recta ipsis norma esse non possit: à quibus nec Hacquetum ipsum excipiemus, cujus textum non retulit Philosophiæ Magister, quia probè novit se non posse id efficere, nisi in proprium, causæ (quam susceperat propugnandam) excidium: Etenim Author ille ab ipso limine protestatur se non loqui de rebus quæ in controversiam adducuntur (quales sunt illæ de quibus agimus) sed de quibusdam levioribus Grammaticorum aut Logicorum quæstiunculis exercendi aut recreandi animi gratiâ fieri solitis: in quibus tamen si modum non teneant, potest esse peccatum (inquit) saltem veniale.

Ipsummet audiamus loco suprà citato *Nota* (inquit) *difficultatem non procedere de his, quæ ad fidem & ad bonos mores pertinent, sed ad alias materias merè Speculativas & Metaphysicas: immò etiam ad Morales non practicè, sed speculativè sumptas. Nàm in his licet unicuique per se loquendo eligere & defendere opinionem quam maluerit, etiam minùs probabilem, & unusquisque in suo sensu abundare poterit: immò etiam, si res sit levioris momenti ut Grammatica & Logica: nullum, aut veniale tantum peccatum erit falsas etiam opiniones sequi adhuc non præcedente sufficienti diligentia & examine. Dixi tamen per se loquendo, quia per accidens ratione scandali aut periculi aut negligentiæ, si non præcesserit diligens ponderatio rationum, poterit esse peccatum defendere opinionem minùs probabilem.*

31. Exhaustâ hac Pharetrâ, multas alias habet sagittas Adversarius: idest, præfatis Authoribus tam falsò citatis à Magistro; ipsi non desunt alii, si

penes ipsum potest tot falsitates, nonnulla supersit fides.

Quis non crederet post exitum adeò infaustum ac falsitatis toties convictum Philosophiæ Magistrum, præ pudore saltem taciturum? At tantùm abest, nam eo quô cœperat animo perseverat: & tanquam aliquid obtinuerit ex prædictis; evanido suo triumpho finem, hunc in modum imponit; *Et alii multi, quos citari longum esset.* Atqui & ipsos citari, summoperè exoptamus, ut eos quoque habeamus cum prædictis censores Catonianos vagæ probabilitatis. Nemo enim facile sibi suadebit, ob jejunam hanc Rhetoricæ figuram, vel unum superesse ex Thomistis, qui Magistri causæ posset prodesse, de industia ab ipso relictum fuisse: tot aliis ex omni parte tàm accuratè conquisitis, tanto studio, communi conspiratione, tantoque impetu coactis, ut non vacaverit Dominicanos distinguere à Minoritis: Ex quibus tamen nihil potuit inferre nisi apertum negotii, pro quo militabat, excidium: & defensionem Doctrinæ Thomisticæ quam susceperat expugnandam.

Ne tamen me existimet Benevolus Lector quidquam hîc dissimulasse fateor præter præfatos, adhuc alios ex Nostris fuisse ab Adversariis Laudatos tanquam Probabilitatis Authores vel Patronos: scilicet Niderum: Serram, Petrum de Tapia, Fumum Placentinum vulgò Armillam Auream. Caietanum, Innocentium V. Sanctum Raymundum. Hos igitur quoque audiamus.

32. Quantum ad Niderum Romæ anno 1604. editum: certum est non Probabilitatum favisse laxitati, sed cum S. Antonino Scrupulosorum providisse infirmitati, quibus septem tradidit Regulas deponendi conscientiam: quod satis indicabat vel solus Operis titulus scilicet *Consolatorium Animæ timoratæ* in quo præter cætera ait: *Sequendam esse partem, quæ habet nobiliores Doctores, dummodò ex contrarietate opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam seu fidem sibi formet & de probabiliori.*

At, impossibile est, ut quis non inducatur in dubitationem ex opinionum contrarietate, & maximè relictâ probabiliori opinione: quod adeò clarum est ut fictus Amadæus omnium ferè laxissimus ingenuè fateatur quam difficile sit hunc nodum dissecare, posito articulo 13. quodl. 8. Divi Thomæ.

33. Sequitur Petrus de Tapia Episcopus Hispalensis, in Sanctitatis opinione mortuus. Porrò cum hic scripserit tantùm anno 1654. non potuit dux esse eorum (quod intendebat Magister) qui ante ipsum tot annis scripserant. Qui utinam dux fuisset: nam solus potuisset mederi Probabilitatum laxitatibus ob quas omnes probi meritò ingemiscunt. Ait enim lib. 1. de actibus Moralib. q. 8. a. 11. *Plura esse inspicienda in his quæ spectant ad rem Moralem: Primò legem seu jus commune & etiam proprium; Regni vel Reip. statuta: consuetudinem, possessionem: necessitatem urgentem: pericula imminentia, ut si mors immineat, &c.* Quibus ratè perpensis, Probabilitas remissa procul citò exulabit.

34. Quantùm ad Serram, cujus opera vix à 16 annis prodierunt in lucem: discipulus esset quoque Antithomistarum non Magister: apud quem si semoveas (ut par est) aliorum, quas refert opiniones, ipsumque seorsim auscultes

auſcultes juxta proprium ſenſum loquentem; cum judicabis non Probabiliſtam, ſed verum D. Thomæ Diſcipulum. Ait enim pag. 427. ad 1. pro Regula generali *medicum debere ſemper in favorem ægroti tutiorem partem eligere*: Idque omnium hominum uſu, conſuetudine, ſoloque jure gentium. Quod potiori jure eſt ſentiendum pro ſalute animæ, ſicut reipſa ſatis ipſe indicat dubio ſeq. aſſerens *Conſcientiam dubiam circa bonitatem & malitiam operis exercendi debere tutiorem partem eligere.* Et id ex inconcuſſo D. Thomæ fundamento opuſc. ſupra citato: quo ſatis demonſtrat impoſſibile eſſe, ut in dubitationem non inducatur, qui relictâ (cæteris paribus) probabiliori opinione, minus probabilem ſequitur.

35. Hic pro vigeſimo ſecundo audiendus eſt Bartholomæus Fumus, vulgò Armilla: in Summa, verbô *Opinio*, ubi ſicut & cæteri D. Thomæ diſcipuli, ritè diſtinguens inter *bonum & melius*: *atque inter probabile & probabilius*, ait: *Licet aliquando una opinio ſit melior alterâ; tamen non tenemur facere quod melius eſt, ſed quod bonum eſt.* At, quis unquam oppoſitum aſſeruit?

Cum verò ibidem loquitur Armilla de opinionum eligendarum diverſitate, ſicuti in præſentiarum loquendum eſt: firmam ac claram in Adverſarios profert ſententiam, his verbis: *In operandis ubi ſunt opiniones, ſemper tutior pars eſt eligenda, ne quis exponat ſe periculo ambiguitatis & conſequenter peccandi & faciendi quod illicitum eſt; ut in contractibus, ubi plures ſunt Doctorum opiniones.* Certè hîc erubeſco pro his qui auſi ſunt hunc Thomiſtam citare, ceu Authorem vel fautorem laxitatum Moralis Theologiæ: quem ſi legiſſet ipſe Comitolus, numquam aſſeruiſſet *Armillam fœda prolapſione* in opinionem Adverſariorum incidiſſe, cui vel unus poſſit mederi.

36. Prædictos ſequitur Cardinalis Cajetanus, verbô *Opinio*, in Summa. ubi quidem ait. *Opinione uti, ut regula operum interiorum & exteriorum eſſe quandoque licitum.* Sed proſequere quæ ait ibidem. *Et quandoque illicitum, niſi ſubmittendo opinionem Regulæ Superiori ſcilicet ſanctæ Matris Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis, quoniam ambiguitatis aliquid habens Regula, qualis eſt omnis opinio, reſolvenda eſt in Regulam certam, ne error poſſit inde inveniri.* Secundò, *In operandis verò, niſi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuſcumque aſſumere ut Regulam operis: quoniam eo ipſo, quò operatio regulanda committitur opinioni, committitur Regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua eſt, utpotè cum formidine alterius partis, &c.* Lege totum: ut interim hîc etiam audiatur Innocentius V. Papa aſſumptus ex eadem Dominicanorum familia.

37. Is verò ſic ait in 1. Sent. diſt. 33. q. 1. art. unic. *Opinari* (quod idem eſt, ac opinionem ſequi) *in non pertinentibus neceſſariò ad Religionem fidei & morum: ſcilicet quò poſito vel remoto nullum inconveniens ſequitur in fide & moribus; non eſt peccatum niſi per accidens ratione præſumptionis vel elationis vel pertinaciæ annexa. Si verò ſit de pertinentibus ad Religionem: aut ergo directè & evidenter eſt contra articulos fidei, vel præcepta morum, tunc non poteſt fieri ſine peccato....* Verùm ea omnia quæ ſupra diximus contra vagam ac remiſſam Probabilitatem, ſunt vel contra fidem vel contra morum Probitatem, ut ex dictis patet.

38. Numerum seu agmen Thomistarum claudet Sanctus Raymundus in Summa lib. 2. sect. 17. de præscriptionib. in fine ubi ait. *Quia ferè totus mundus involutus est in rapinis: sic pro posse tuo curre per medium, ne nimia severitas, vel remissio perire faciat, quos discreta poterat æquitas revocare.*

Respondeo per hujusmodi verba nihil exprimi, nisi arripiendum esse Medium quod tenuere Beati: quod documentum immanè distat ab extremis laxitatibus vagæ probabilitatis quam impugnamus. Sed ut videas Sanctum Raymundum non minùs doctrinâ quàm vitæ Sanctimonia, arctam Cœli viam stravisse contra novellam probabilitatis laxitatem, lege quæ eod. lib. 2. scripsit ille de Mutuo: & ibid. sect. 5. de Mercatoribus, qui longâ non consuetudine sed corruptelâ, emere & vendere nesciunt sine mendaciis & juramentis: *Quos ait S. Raymundus peccare mortaliter & teneri ad restitutionem in quantum decipiunt proximum*, vel venialiter si ignoranter dicunt falsum, vel ob aliam rationem alibi assignatam. *Et debent tales* (inquit S. Raymundus) *etiam præter restitutionem, induci ad largas eleemosinas faciendas pro animabus illorum de quorum jure licet ignoranter aliqua habuerunt.*

Certè hoc est remotissimum à documentis novæ Probabilitatis, quæ permittit æquivocationem etiam in juramentis: & vix unquam superfluum quidquam invenit pro eleemosinis faciendis. Verùm quantùm ad scripta Sanctorum, vellem eamdem haberi Regulam, pro vera illorum intelligentia, ac illam, quam Doctor Angelicus lect. 5. in cap. 1. Epist. ad Rom. pro ipsa Scriptura, præmonuit observandam his verbis. *Sicut dixit Augustinus lib. contra Manichæ. Intellectus sacræ Scripturæ ex actibus Sanctorum intelligitur.*

39. Ne conqueratur ille Magister Philosophiæ ullam sui Libelli syllabam quoad præsentem controversiam, fuisse à me neglectam aut sine responsione prætermissam. operæ pretium est, hîc ipsi indicare, non sumendum esse judicium de doctrina totius Ordinis Nostri (ut suprà dixit) ex uno v.g. Ildephonso (aut quovis alio:) quamvis ipse, ut vidimus, (omnia probè scripserit hac in parte, & ad mentem D. Thomæ:) sed ex unanimi totius Ordinis sententia, qualis habetur ex ejus Comitiis Generalibus, præcipuis ex toto orbe congregatis Patribus cum illorum Capite: cujus rei quatenùs ad præsens spectat negotium, duplex in medium proferam testimonium.

Primum habetur in Comitiis Generalibus Romæ habitis an. 1656. quod hujus est tenoris: *Caveant ab omni pruritu exoticarum minusque cum littera D. Thomæ cohærentium opinionum; præcipuè verò in Moralibus, ubi pressiùs de salute & indemnitate Animarum agitur. Porrò in his studeant omni cautelâ evitare opiniones laxas, novas ac parùm tutas, abstineantque à paradoxis ac monstris recentium placitorum seu problematum, quæ magis vanitati ac periculosæ ostentationi militant, quàm veritati, &c.*

Alterum recentius testimonium habetur ex Capitulo Generali Romæ itidem celebrato an. 1670. pag. 71. nu. V. Ubi legitur *Admonemus omnes & singulos nostri Ordinis Theologiæ Professores, quatenùs attendentes ad ea, quæ habentur in declaratione nostrarum Constitutionum dist. 2. cap. 14. de*

Stud. nedum doctrinam nostri Angelici Preceptoris D. Thomæ Aquinati, fidelissimè sequantur: sed etiam à concordi & communiori nostrorum Thomistarum sententia, quæ communi omnium judicio creditur asserta à Sanctissimo Preceptore, vel ex ejus principiis deducta, nullo pacto audeant recedere, precipuè circa materiam de gratia & libero arbitrio, seu Physica Præmotione. Quam doctrinam solidam & inconcussam, tùm D. Thomas, tùm Thomistæ insigniores ex limpidissimo & incorrupto Sanctorum Patrum Ecclesiæque Doctorum fonte integerrimè hauserunt; & aggerem sibi contra torrentem constituerunt.

En, Pater S. Ju, unde possis ac debeas discere communem nostri Ordinis doctrinam, non verò ex aliquo privato Authore, qui in aliquo defecerit à doctrina D. Thomæ in cujus verba juramus: à quo ne unus quidem ex omnibus quos tanto studio per totum fermè orbem Christianum per te tuosque potuisti aggregare & ex antiquioribus monumentis hactenùs colligere potuisti, defecisse repertus est, ut patet ex dictis: quod certè propè miraculosum nemo non judicabit.

40. Ex dictis inferendum est, idque necessaria consequutione, Thomistas non fuisse probabilitatis Authores, & longè minùs fautores, ut fictus Amadæus suadere & post ipsum confirmare nitebatur Magister Philosophiæ: Hic quidem dum fucati honoris specie aliquos Thomistas (quos supra retulimus) suos vocabat Magistros: Ille verò dum in suo Libello asseruit malum Probabilitatis primò irrepsisse à Thomistis. Quod quàm falsò seu perperam scripserit, satis patet ex dictis, magisque patebit ex dicendis.

Et id factum agnoscimus munere singulari Divinæ Providentiæ, quæ ab annis supra quadringentis non permisit familiam Dominicanam ita cæspitasse ut hanc in foveam inciderit. Quia tamen homines sumus, nihil humanum à nobis prorsùs alienum ducimus, quare si quis minùs cautè, in hoc vel ullo alicujus momenti negotio scripserit: ipsemet fraterna correctione non carebit, ubi primùm innotuerit, totque citò habebit censores, quot socios ac fratres; ita ut eorum quisque injustum exstimet in quovis alio quidquam excusare, quod in semetipso vellet condemnasse.


At non item illorum Adversarii: & hoc unum est è multis discrimen animadversione dignum Thomistas inter & illorum Antagonistas; Nam si quis ex Thomistis in aliquo erraverit, nullos habet severiores censores, quàm proprios fratres: At secùs est in illorum Adversariis. Quod manifestum fit exemplo ita familiari (præter alios casus admodùm frequentes) ut hoc unum pro centùm aliis sufficere possit.

Ferè, immo verè nullus fuit post D. Thomam, cui ob doctrinæ præstantiam magis adhæserint Dominicani, quàm subtilissimo Cardinali Cajetano. Ubi tamen fuit ille ad Purpuram assumptus ex nostro Ordine, & paulò majori licentia scripsisse creditus est, tantillùm deflectens ab Angelico Doctore, nominatim in materia de Confessione: tantùm abest ut pertinaciter ei adhæserint Dominicani, aut ipsum obfirmato animo defenderint; quin immò eum citò deseruerunt: omnesque ejusdem Familiæ Superiores, suos alumnos fecerint monitos, ut quisque hac in parte caveret sibi à doctrina Caietani.

41. Explicatur magis. Scribens Caietanus in hæc verba Epist. ad 1. Corinth. cap. 11. (*Probet autem seipsum homo, &c.*) & duo ibidem distinguens, fortasse non tantâ certitudine, quantâ subtilitate metaphysicâ, ait: *Et hinc trahitur argumentum, quod non est necessarium simpliciter & absolutè hominem probatum esse à Confessario ad hoc ut sumat non indignè Eucharistiam:* Atqui ab hac opinione Caietani omnes ad unum recesserunt reliqui Thomistæ, & Tridentino secùs definienti adhæsêre; neque vel unus posthac repertus fuit qui pro Caietano defendendo vel excusando hisceret, seu os aperiret. Suos ergo amant & colunt Authores, Thomistæ; sed eos non ita depereunt, ut ob eorum quempiam, deserant veritatem.

Si hujus indolis fuissent, aut in eadem dispositione animi essent Thomistarum Æmuli; nunquam protulisset eorum quispiam (cujus nomen, ex charitate, non aperiam) propositionem scandalosam, centies horribiliorem eâ, de qua loquens Apostolus, aiebat: *Nec nominetur inter vos, sicut decet Sanctos.* Quam debuisset ita palam ac generosè detestari, ut omnibus suâ responsione horrorem de hujusmodi propositione incuteret: cum tamen sic de ea loquatur ut ejus Authori subscribere videatur. Audi igitur quomodo à suo condiscipulo emendetur. *Potuisset (N.) hanc resolutionem omisisse; at semel impressam debet illam tueri, nosque eam defendere.* At malè scripta ac pessimè defensa, atque meritissimè condemnata.

Certè pudor non sinit hîc inserere exempla seu propositiones scandalosas à nonnullis excogitatas, quas refert ac refellit tanquam condemnatas, P. Gabriel à S. Vincentio, lib. de remediis ignorantiæ 1671. Romæ edito, pag. 594. & seq. Quæ cum à suis Authoribus sint per orbem sparsæ sub specioso Probabilitatis pallio; has occultè in Thomistas refundere conabatur Magister Philosophiæ. Sed quid mirum si nobis imponat, cum ipsis Sanctis Patribus Augustino, Divo Thomæ, Gregorio, &c. non ignoscat? Quare sit



CAPUT OCTAVUM.

An faveat opinioni minùs probabili D. Augustinus, loco citato à Magistro Philosophiæ?

SECTIO I.

Ostenditur primò sine causa citatum esse D. Augustinum tanquam Probabilitatis Authorem vel Patronum à P. S. Iu: cujus fundamentum apparet prorsùs evanidum.

Nu. 1. SI sua inter problemata posuisset Philosophiæ Magister: utrùm D. Augustinus esset Probabilista? minùs me gravaret istud, quam maris æstum esse ab aëris gravitate; quod ille in suis thesibus asserit esse problematicum. Sed quia Probabilistam fuisse Sanctum Antistitem absolutè definit, eumque adducit ceu Defensorem opinionis minùs probabilis:

accuratissimè expendendus est locus ab ipso citatus, ex quo vagam hanc (quam impugnamus) educi posse Probabilitatem ipse arbitratur. Nam quantum ad alios, seu ut ejus utar verbis, *ad illa omnium Ordinum lumina* quæ Magister ille affirmat pro se stare (quorum nec nomina, nec ullum in operibus eorum designat locum) in his non immorabimur. Et cum tam infœliciter præfatos Authores quàm falsò citaverit ille Magister, præjudicio novæ falsitatis plusquam vehementi vix & ne vix quidem carere judicabitur jactantia adeò singularis ac insolita. Nec facilè ullus sibi persuadere valebit, hunc Magistrum tam accuratè, tantoque studio undequaque addùxisse ex Hispania, Belgio, Francia, &c. eos, quos experti sumus, ipsi esse prorsùs contrarios, relictis iis qui suæ causæ possent favere.

Cæterùm, si penes hunc Philosophiæ Magistrum ulla sit fides, pro Probabilitate etiam remississima (qualis in ejus propositione includitur) totus erit D. Augustinus. Nam (inquit) *illam docet pluribus in locis, & præcipuè Epist. 19. ad Hieronymum.*

Certè si aliàs justè conquerebatur S. Præsul, quod prætextu libertatis ipsum facerent Pelagiani palam: & D. Ambrosium tacito nomine Manichæum; non minori ratione posset hîc quoque conqueri, quod Antithomistæ, laxitatum Moralis Theologiæ ipsum conentur efficere Authorem, vel saltem Patronum, ex eo nimirùm quod aliquoties ipsi exciderit vocabulum Probabilitatis, quamvis in sensu ipsis prorsùs opposito, ut statim patebit.

Explicatur. Versat sanctus Præsul controversiam loco citato, Epist. 19. & inquirit *utrùm Apostolus Divum Petrum verè, an verò tantùm apparenter seu fictè reprehenderit?*

Porrò hæc fuit hujusmodi reprehensionis causa, ut legitur ad Galat. c. 2. v. 11. ubi legitur: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex Circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Iudæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus sis, Gentiliter vivis; & non Iudaicè; quomodo Gentes cogis judaïzare?*

Et omnibus ritè perpensis, to. 2. Epist. 19. citatâ ostendit D. Augustinus Petrum verè errasse, in eo potissimum, quòd Judæis nimium indulgeret in legis antiquæ ceremoniis, quas sic judicabat auferri Apostolus, *ut ultra non haberent progressum, ne putarentur necessariæ, tanquam ab illis salus esset, vel sine illis esse non posset,* ut loquitur ibid. sanctus Præsul. Qui subinde existimat à D. Paulo Petrum verè & non simulatè tantùm, fuisse reprehensum. Quod ut suadeat,

Primò rejicit, tùm Authoritatem, tùm rationem eorum qui sentiebant oppositum. (Quo exemplo, tota Probabilitas laxa, tùm rationalis, tùm authentica satis malè excipitur:) ait enim: *Alios sic lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinâque polleant; non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per Authores Canonicos, vel probabili ratione, quæ à vero non abhorreat, mihi persuadere potuerunt.* En, Amice Lector, grande

piaculum, quô totius laxitatis Theologiæ Moralis apud omnes audiat tanquam Author vel Defensor S. Augustinus.

Quia igitur dixit sanctus Præsul se aliquando persuaderi ratione probabili, quæ à vero non abhorreat; continuò hanc arripuit ansam seu occasionem Philosophiæ Magister, quâ sanctum Antistitem denuntiaret Authorem hujus propositionis, quam ipse toties pag. 5. & 6. sui libelli, repetit; scilicet, *hominem posse sequi, in moralibus, opinionem etiam minùs probabilem, relictâ probabiliori*. Quô nihil est magis sancto Præsuli injuriosum, cum ex hac propositione, tanquam à prima radice, innumeræ oriantur propositiones scandalosæ & intolerabiles: aliæque meritò jam condemnatæ, tùm ab Episcopis & Universitatibus, tùm à Summo Pontifice.

Dixerit ergo divinus Antistes se aliquando posse moveri opinione probabili, (& maximè si probabile sumatur, juxta loquendi modum Scripturæ, ut in principio diximus;) quid magis humanum, aut rectæ rationi consentaneum? & potissimùm urgente aliquâ agendi necessitate, & impotentiâ sibi majorem notitiam comparandi; nullâ aliunde contrariâ occurrente dubitandi ratione, ut fusiùs suprà exposuimus duodecim Conclusionibus, Cap. 5.

SECTIO II.

Duobus potissimùm casibus Probabilitatem aspernatus est D. Augustinus, in quibus repugnat Probabilitatis Defensoribus: & ejusdem sancti Præsulis productior justificatio instituitur.

1. AT duos excepit casus D. Augustinus, in quibus opinioni nunquam assentitur. Primò, quando sacræ Scripturæ contraria est opinio. Ita to. 2. Epist. 7. ad Marcellinum: *Si* (inquit) *ratio contra divinarum Scripturarum authoritatem videtur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.* Ex hoc inconcusso fundamento, Epist. 19. citata, præfatam dirimens quæstionem, Apostolum ad Gal. 2. v. 14. adducit asserentem, quòd *cum videret Cepham non rectè ambulantem ad veritatem Evangelii, dixit coram omnibus, &c.* Quo ex principio asserit sanctus Præsul se in hoc magis Apostolo credere asserenti se coram Deo veritatem dicere his verbis: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior,* Gal. 1. 20. quàm quibusvis aut quorumcumque rationibus, *asserentium D. Petrum fictè tantùm ab Apostolo fuisse reprehensum.* Quis sine temeritate potest oppositum dicere?

Sed quid commune habet istud judicium cum effræni licentia opinandi, quam in nos, totumque Ordinem, immò & in sanctum Præsulem rejicere conantur recentiores Casuistæ, apud quos facilè reperias non id quod exigebat Apostolus, unde scilicet possis *rectè ad veritatem ambulare*, sed utramque in partem ferè perpetuò claudicare?

Secundò. Sanctus Augustinus ibid. laudatus omnem quoque opinionem à vero abhorrentem aspernatur. Atqui omnis opinio minùs probabilis per se & ex intrinseca ratione comparata cum probabiliori, à vero si non in

toto, saltem in tanto, abhorret: magis enim apparet falsa quàm vera: secùs enim minùs probabilis minimè diceretur.

3. Hoc certè sufficere posset ad plenè confutandum Philosophiæ Magistrum; sed tanti est momenti præsens Dissertatio, ut jure meritò paulò productior instituenda sit sancti Præsulis hac in parte justificatio.

Primò igitur præter mala, quibus in hac vita Boni & Mali promiscuè opprimuntur, lib. 22. de Civit. Dei, cap. 23. asserit sanctus Præsul esse alia quæ Justi specialiter timere debent, inter quæ est istud ad quod vitandum necesse est *ut continuis excubent vigiliis, ne eos fallat verisimilis opinio*: Atqui Antithomistæ hoc non debent pertimescere, cum apud ipsos quævis opinio secura sit, etiamsi sit minus probabilis. Differunt ergo à sancto Antistite hac in parte, sicut & in aliis non paucis Defensores Probabilitatis.

Secundò. Ex Canon. *Si quis*, de Pœnit. dist. 7. habetur Regula hæc: *Tene certum, dimitte incertum*; quæ ex sancto Præsule est deprompta. At hac unâ D. Augustini spongiâ, tota Probabilitas vaga deletur.

Tertiò. Revoca in memoriam id quod supra diximus; scilicet, ly *melius, tutius aut perfectius* ita aliquando sumi, ut membrum quod ipsis est oppositum, contineat aliquod malum; ut cum dicitur, *Melius est nubere quàm uri*; & tunc *melius* est necessario seu ex præcepto eligendum. Ita sanctus Præsul, lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 3. ubi ait: *Oportet omnem hominem quod optimum est sequi*: Atqui hoc quoque repugnat è diametro doctrinæ Adversariorum, qui conantur præfatum hoc præceptum ad lineam consiliorum reducere.

Quartò. Non debet quoque è memoria excidere id ipsum quod in principio hujus Apologiæ monuimus annotandum: nimirum inter boni species talem esse ordinem observandum; ut scilicet bonum honestum utili & jucundo, seu voluptati semper præferatur. Quod ita est homini, solo lumine naturali, manifestum, ut dixerit Aristoteles, *delectationes non esse, nisi propter operationes.*

Quòd si secùs quis operetur, ut docent Adversarii (qui libertatem contra legem; commodum & voluptatem, contra officium & honestatem, vi solius opinionis etiam minùs probabilis sæpè tuentur) Sancto Augustino adversatur, qui non raro monet ad æternam Dei legem recurrendum esse, *quâ* (inquit) *voluit Deus omnia esse ordinatissima.* Et lib. citato de morib. Eccles. cap. 28. *Ipsa corporis cura à sancto Præsule non æstimatur licita, nisi ad salutem animi relata.* Et lib. de Bono conjug. cap. 6. asserit accedentem ad propriam uxorem peccare, si id fecerit causâ delectationis. Ait enim: *Conjugalis concubitus generandi causâ, non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ ..... culpam habet, saltem venialem.*

Sed est quòd hîc miremur candorem & conscientiæ teneritudinem sancti Præsulis circa præfatam boni, mediorumque dispositionem respectu finis.

Hoc ut melius intelligatur, dico. Non minùs utilem; immo æque necessariam existimavit Ecclesia spiritualem in divinis obsequiis ac Dei laudibus decantandis delectationem, ac saporem seu potiùs condimentum in obsoniis necessariò sumendis pro conservatione vitæ corporalis: unde ipsa benignè prospiciens personis Deo consecratis; pro ipsis precatur ab

ipſo diluculo; *divinâ ſic eas repleri miſericordiâ, ut in Dei laudibus jugiter delectentur.* Et tamen ſic veritus eſt D. Auguſtinus, ne in hoc ipſo debitus ordo inverteretur ut tom. 1. lib. 10. Confeſſ. cap. 33, dixerit. *Cum mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res quæ cantatur moveat: me peccare pœnaliter confiteor; & tunc* (inquit) *mallem non audire cantum.*

Verùm occaſione tantæ teneritudinis conſcientiæ ſancti Præſulis hîc non poſſum præterire Probabilitatis propoſitionem, rectæ rerum diſpoſitioni ac præfatæ doctrinæ non parùm contrariam: hæc enim quamvis in ore ipſius Epicuri eſſet exoſa & intolerabilis, ſuo tamen Apologiſtâ non caruit; qui ex malo antecedente conſequentiam deduxit longè adhuc pejorem: falsò exiſtimans, licitum eſſe, ſenſibus corporis vg: potentiæ viſivæ propriam indifferenter indulgere operationis ſuæ delectationem: inde non erubuit deducere, id ipſum guſtui eſſe innoxium: ac proinde aliquem poſſe, cibo & potu ſe ſe uſque ad ingurgitationem ſatiare, & poſtmodum ſe ad vomitum excitare, ut rursùm novâ potiatur voluptate cibi ac potus repetitâ ſæpius ſumptione ſine neceſſitate. At in oppoſitum quotidie precatur Eccleſia, ut non ſolùm ſint pura cordis intima, ſed & Deus opt. ſenſus noſtros ſervet innoxios, ſicque viſum ipſum fovendo contegat ne vanitates hauriat: quotieſcumque enim ſenſuum operationes fiunt deliberatè; non minùs ſunt in debitum finem, ipſumque Deum referendæ, quàm omnes aliæ actiones humanæ: Idque contra Antithomiſtas aſſerentes Divo Thoma reclamante actiones humanas eſſe in individuo indifferentes: ut inde agnoſcat Lector, quantùm ex parva ſcintilla excitetur incendium.

5. At quis patiatur dici hanc vg: propoſitionem (ne loquar de turpioribus) habere pro defenſoribus S. Auguſtinum & Doctorem Angelicum? quos dum citat Magiſter Philoſophiæ tanquam Authores opinionis minùs probabilis, hanc propoſitionem ab Apologiſta defenſam tanquam probabilem, (omneſque alias in libris Caſuiſtarum ſparſas veluti probabilitate ſufficienti ad ſecuritatem conſcientiæ donatas) prædictis Sanctis neceſſariâ conſecutione imponit, quibus tamen apertè adverſantur. Illos audiamus. *Hoc me docuiſti* (inquit S. Præſul lib. 10. Confeſſ. c. 31.) *ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Item lib. de Morib. Eccl. *Habet vir temperans* (inquit) *in rebus moralibus & fluentibus vitæ Regulam utroque Teſtamento firmatam, ut earum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet: ſed ad vitæ hujus officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.*

Reclamat itidem Doctor Angelicus contra eamdem 1. 2. q. 4. a. 2. ad 2. *Divinus intellectus* (inquit) *qui eſt inſtitutor naturæ delectationes appoſuit propter operationes.* Legendus ibid. S. Doctor q. 63. a. 4. in c. & nominatim 2. 2. q. 141. a. 6. ubi ait. *Omnia delectabilia, quæ in uſum hominis veniunt ordinantur ad aliquam vitæ hujus neceſſitatem, ſicut ad finem: & ideò temperantia accipit neceſſitatem hujus vitæ ſicut Regulam delectabilium quibus utitur, ut ſcilicet tantùm eis utatur quantum neceſsitas hujus vitæ requirit* Porrò tota horum ſanctorum doctrina non ſolùm abhorret à prædicta Epicuri propoſitione, ut patet; ſed nihil omninò ſapit remiſſæ Probabilitatis; & tamen ea omnia, quæ ſparſa ſunt in Caſuiſtis tamquam probabilia: nec

nec pluribus, nec aliis opus habent, ut integra ſerventur, ſeu ut novum vigorem ſortiantur, quàm iis quæ Magiſter Philoſophiæ ſuo libello, tam obfirmatâ voluntate tuetur, nobiſque ac ipſi ſancto Antiſtiti, necnon Angelico Doctori imponere conatur, toties repetens pag. 5. & 6. *licitum eſſe in Moralibus amplecti opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliori.* At hanc propoſitionem rejiciunt Thomiſtæ omneſque veri ſancti Præſulis diſcipuli, quam intuentur tanquam viam cujus noviſſima ducunt ad mortem, & veluti artem periculis plenam, quâ falſam legibus anteponere libertatem docemur: convenientia præferre neceſſariis, veriſimilia veris, probabilia & incerta tutis, ac denique utilia & delectabilia honeſtis, quibus totius naturæ & gratiæ ordo pervertitur.

Quintò. Adhuc paulò fusiùs ſancti Auguſtini juſtificationem proſequamur. Tom. 7. lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 5. damnat ſanctus Præſul peccati mortalis eum, qui dubium baptiſmum apud Donatiſtas recipit, eo neglectô quem in Eccleſia certum conferri novit, idque *ex eo ſolo, quòd certis incerta præponit :* At hoc ipſo vitio laborat omnis opinio minùs probabilis in moralibus : nam opinio probabilior ſtans pro lege & officio, omnium ſapientum, etiam Adverſariorum judicio, eſt multis partibus certior, quæ opinionis minùs probabilis vigorem ſeu probabilitatem re ipsâ prorsùs extinguit, nec ipſi quidquam relinquit, niſi id quod ad rationem peccati ſufficere poſſit. Unde ait ſanctus Præſul, loco ſupra citato, cap. 5. *Accipere itaque (ſcilicet Baptiſmum) ex parte Donati, ſi incertum eſt, eſſe peccatum; quis dubitet certum eſſe peccatum?* Ponderentur (ut par eſt) hæc verba, ac penetrentur, & vaga Probabilitas profligabitur.

Perperam igitur ſanctus Præſul adducitur tanquam opinionis minùs probabilis Patronus, cui tam efficaciter quàm apertè ex præfato principio adverſatur.

6. Certè quò plus ſancti Antiſtitis libros revolvo, eò magis ipſum reperio alienum à doctrina Adverſariorum; quibus, ut primùm quidpiam obſcuritatis occurrit in legibus, illicò contra eas proſcribendum aſſerunt, tanquam contra leges invalidas, utpotè non ſufficienter promulgatas, quas ſubinde licitum ſit unicuique interpretari & appendere in ſtatera Probabilitatis, quæ militat non ſolùm pro libertate, ſed etiam pro Libertinis.

Audi ergo non Probabiliſtam, ſed egregium Probabilitatis Reformatorem Auguſtinum, hujus morbi ſpiritualem Medicum, qui his divinis imbutus monitis, *Accedite ad eum & illuminamini;* clarè docet, quî ſe gerat quiſque in dubiis, lib. de morib. Eccl. cap. 7. *Quid ſit Deo dignum intelligere non poterimus*, inquit, *niſi ab humanis & proximis incipientes vera Religionis fide, præceptiſque ſervatis, non deſeramus viam, quam nobis Deus & Patriarcharum ſegregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præſagio, & ſuſcepti hominis Sacramento, & Apoſtolorum teſtimonio, & Martyrum ſanguine, &c. munivit.* At nihil magis oppoſitum his divinis præceptis, quàm tricæ & cavilli Probabilitatis remiſſæ, quæ ſe ſecuram exiſtimat, etiam *dum Dei legibus obtemperare detrectat*, ſuæque poteſtatis eſſe cupit, & independens à Deo.

Sextò denique. Quis unquam ſibi potuiſſet perſuadere S. Auguſtinum poſt tot annos in Probabilitatis ſuſpicionem venturum, tribus libris, quaſi

præsagâ mente contra Probabilitatis Authores accuratissimè conscriptis? Contra dixi, nam Academici fuerunt veri Probabilistæ ac Defensores verisimilitudinis illius quam loco veritatis sufficiebant; pro quibus confutandis præfatos scripsit libros sanctus Præsul. *Vt*, inquit, *argumenta eorum, quæ multis ingerebant veri inveniendi desperationem, & prohibebant cuiquam rei tanquam certa ac manifesta assentiri, &c. amoveret.* Fateor non esse omninò tales Modernos vagæ Probabilitatis Defensores: non enim ut Antiqui, negant veritatem posse inveniri: in hoc tamen cum illis conveniunt quòd Probabilitatem assumant tanquam sufficientem agendi regulam, asserantque rem aliquam esse probabilem, id est verisimilem seu alterius veritati similem, quam tamen se non posse cognoscere fatentur. Explicatur magis.

Certum est antiquis Academicis unam eandemque rem fuisse *verisimilitudinem & probabilitatem.* Ita S. Augustinus, lib. 1. contra Academicos in prologo: *Ipsum verisimile*, inquit, *probabile nuncupant.* Et lib. 2. cap. 5. ex Heracliti opinione sic ait D. August. *Hinc illi, inducto quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cum haberet quid sequeretur.* En igitur Academicorum regula.

Et quia existimabant *veritatem vel obrutam latere, vel confusam non eminere; sive id eveniret propter naturæ tenebras, sive propter rerum similitudinem;* asserebant ad vitam ritè peragendam sufficere, si Sapiens sequeretur id quod probabile seu verisimile ei videretur. Ita ibid. sanctus Præsul, lib 3. cap. 16. Itaque turpe quidem errare judicabant; sed *cum agit quisque*, inquiebant, *quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.*

7. Quid ad hæc, candide Lector? Numquid diceres Neotericos defensores Probabilitatis veterum Academicorum, non solùm sensum, sed & verba usurpasse?

Hoc tamen singulare est discrimen inter hos & ipsos annotandum: quòd veteres Academici, ut dixi, in totum veritatem negarent; unde v. g. quærenti, *utrùm ex nocte liquida præcedente, Sol lætus die sequenti esset oriturus?* Respondebant se nescire: ita tamen videri, id est, probabile seu verisimile esse. *Et talia*, inquit Academicus, *mihi videntur omnia, quæ probabilia vel verisimilia putavi nominanda.* Ibid. lib. 2. cap. 11.

At Neoterici Probabilitatis Patroni non omninò veritatem denegant; sed in certis duntaxat casibus accuratè illam inquirere negligunt: quoties scilicet de una eademque re sunt opiniones diversæ probabiles. Existimant enim ad rectè agendum sufficere Probabilitatem; nec multùm curant utrùm à parte rei, res vera sit, nec ne; sed sufficit illis, ut habeatur probabilis. Hoc enim cum præfatis habent commune quod jam supra retulimus: *Cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat.*

Sed tamen prærogativâ singulari præ Antiquis illis gaudent moderni Academici: nam Veteres illi, errare, quod turpissimum suo Sapienti putabant, eò magis etiam metuebant, quò frequentiores essent errandi occasiones: error enim (qui est acceptio falsi pro vero) & quem, teste D. Augustino, *faciliùs est definire, quàm finire*, sæpissimè occurrit, tùm ob rerum obscuritatem, tùm propter illarum inter se similitudinem.

At huic morbo facilè medentur, (si tamen medentur) & non potiùs temerè aspernantur apertissimum errandi periculum recentiores Casuistæ,

beneficiô nimirùm cujusdam inauditæ hactenùs vitalis ignorantiæ, quæ possit homines ab omni peccato excusare. Ita illorum sagacissimus & audacissimus Caramuel in sua Theol. fundat nu. 1331. *Qui probabilem*, inquit, *sequitur opinionem, insuperabiliter veritatem ignorat: & ideò non debet peccare.* Hæc autem vitalis ignorantia invincibilis, ipsis (ut putant) fœliciter occurrit, quoties hinc & inde opiniones sunt probabiles, ex quibus utravis sufficientem ad agendum ipsis suppeditat securitatem.

8. Veritatem ergo insuperabiliter ac subinde inculpabiliter ignorant, juxta Caramuelem, in talium saltem occursu opinionum: quod tamen non impedit (juxta ipsos) quominùs opiniones illæ sint probabiles & verisimiles, id est, veritati similes; ut uno ore affirmant Academici tàm veteres quàm moderni; contra quos subinde pariter erit invicta ratiocinatio sancti Antistitis, lib. 2. contra Academic. cap. 7. quam velim à Lectoribus accuratissimè perpendi. *Si quis fratrem tuum*, inquit, *Patri tuo similem esse affirmet, ac ipsemet interrogatus an aliquando patrem tuum vidisset, illo negativè respondente & affirmante à seipso nunquam visum fuisse: Nonne is insanus aut ineptus tibi videbitur?* Sic concludit sanctus Præsul, lib. 2. citato, cap. 7. in fin. *Ipsa res clamat, similiter ridendos esse tuos Academicos, qui se in vita verisimile sequi dicunt, cum ipsum verum quid sit ignorent.* Ita in præsentiarum id ipsum continget, non dicam millies, sed ferè semper; id est, quotiescumque hinc & inde opiniones erunt probabiles quæ apud sagaces vix unquam deerunt. Quæritur v. g. utrùm quis ad restitutionem teneatur summæ centum aureorum, quam non nisi longissimo temporte & per furta venialia sibi comparavit? Affirmativè respondent Thomistæ; negativè verò multi Casuistæ moderni, qui talem absolvunt ab hac restitutione, sicut & furti viginti assium, quia dicunt probabile esse ob parvitatem materiæ non esse peccatum mortale.

At in hoc dissidio & ex aliis similibus infinitis exurgunt duæ opiniones contradictoriæ, ambæ probabiles (licet una sit falsa) inter quas subinde veritas latet, & teste Domino Caramuele, *insuperabiliter ignoratur.* Et tamen opinio negativa, juxta illius horumque omnium Casuistarum principia, est tuta in conscientia; quia probabilis, id est, verisimilis seu veritati (quam nunquam cognoscere potuisti, quamque hac de causa insuperabiliter & inculpabiliter, ut ais, ignoras) similis. At, quomodo audes aut potes asserere propositionem vel opinionem esse veritati, (quam verè nunquam cognovisti) similem? Quis ergo non miretur & obstupescat Sanctum Augustinum adduci ceu Authorem vel tanquam Patronum Probabilitatis, cui sic apertè adversatur, ut illius Defensores habeat in derisum; hancque doctrinam accipiat pro aperto amentiæ indicio? Lege eundem tom. 2. Epist. 154. in fine, ubi ait: *Restat, ni fallor, &c.* & miraberis, quî fieri potuerit ut Sanctus Augustinus apud nonnullos habitus sit pro viro, qui rationum fuco deceptus, aërem pro Junone amplexus sit, id est pro veritate verisimilitudinem, quam aliis tanquam regulam rectè agendi, tradiderit; qui sæpè post Scripturam, aliam non tradit Regulam, quam veram rationem, de qua lib. de quant. Animæ, cap. 7. ait: *Vera ratio ea sola dicenda est, quæ non solùm vera, sed certa & ab omni similitudine falsitatis aliena.* Quod unum sufficeret ut Probabilitas penitùs exularet.

Hæc fusiùs prosequuti sumus, sed compendiosius agere nequivimus; quia sanctus Præsul à Magistro Philosophiæ tantâ erat præfidentiâ citatus, ut operæ pretium duxerimus tam efficacibus argumentis ipsum revincere, ut subinde cognoscat Lector quid de aliis sentire debeat Ecclesiæ Patribus: v.g. S. Gregorio Magno, S. Leone Papa, in quorum operibus nullum specialem locum designavit, quorum libros aperire non licuit, quin statim occurrerit condemnatio prædictæ Probabilitatis, tam vanam, quàm periculosam securitatem promittentis.

SECTIO III.

Sunt quoque immunes à vaga Probabilitate D. D. Gregorius Magnus, & Leo Papa.

AUdiamus ergo D. Gregorium Magnum in 1. Reg. cap. 3. ubi ait: *Etsi in sanctorum virorum oculis recta sunt ea quæ agunt, ante omnipotentis Dei oculos qualia sint, scire non possunt: unde & bona quæ prævalent, incessanter agunt, & super se tonantem illam judiciorum abyssum pertimescunt.* Ubi hîc securitas Probabilitatis?

Item lib. 5. Moral. cap. 5. ut refert P. Azarias, tom. 2. pag. 379. *Sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris: sciunt enim quòd corruptionis pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt: & cum ante oculos extremi examinis, regulam deducunt: hæc ipsa in se nonnunquam, & quæ approbant, metuunt, & tota quidem mente internâ desiderant: sed tamen de incertitudine operum trepidi quò gradiantur, ignorant.*

Hoc confer, & si potes, compone cum Casuistarum illustrissimo Caramuele, asserente se posse jurare ne quidem venialiter peccasse solo Probabilitatis beneficio: v. g. in persolvendo divino officio.

Sed hîc unus superest S. Leo Papa, quem cum S. Gregorio invitum & reluctantem suas in partes pertrahere conatus est Magister Philosophiæ. Et quia hoc ipsi & Patri *Deschamps* commune est, communem cum illo feret responsionem. Porrò talis est objectio. *In his* (inquit Sanctus Leo, Epist. 92. ad Ruffinum citatus) *quæ vel dubia sunt vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum.* Sed opinio minùs probabilis non est adversa Patribus, aut præceptis Evangelicis, inquiunt Defensores Probabilitatis: Ergo potest quisque eam licitè sequi.

Respondeo primò neg. min. Nam omnis opinio minùs probabilis quatenùs talis, tum Patribus, tum præceptis Evangelicis est adversa: siquidem probabiliori & tutiori comparata, est absolutè falsa; quia per probabiliorem sic disponitur intellectus, ut non magis possit moveri opinione minùs probabili, quàm aqua calida ut quinque possit moveri seu calidior fieri ex ferro ut quatuor tantùm calido. Ratio est, quia vis opinionis minùs probabilis penitùs probabiliore extinguitur, ut fusiùs & evidentiùs infra ostende-

mus. At quid magis contrarium veritati Scripturarum, quàm id quod est falsum?

Respondeo secundò dist. Mai. *In dubiis sequendum est, quod non repugnat Scripturæ ac Patribus.* Si cætera adsint conc. Majorem: si desint nego. Explicatur. Numquam licet sequi id, quod est Patribus & Scripturæ contrarium. Sed quia sub illis duobus membris non continetur omne malum: non semper licitum est sequi, quidquid ipsis non est adversum; nam & ob bonam aliam rationem verè poterit esse fugiendum quidpiam utpotè alicui alii præcepto vel legi contrarium. Immò ad peccatum aliquod perpetrandum sufficit agere contra dictamen conscientiæ ut ait D. Tho. quodl. 9. a. 15. & quodl. 8. art. 13 ergo perperam & male adducitur S Leo tanquam legitimus opinionis minùs probabilis Author vel Patronus, propter citatum ipsius testimonium omninò contrarium defensoribus Probabilitatis.

10. Sed ne quis dubitare possit de mente S. Leonis Papæ, ubique decertantis, tùm pro Ecclesiastica disciplina, tùm pro defensione Religionis Christianæ, non tricis vagæ Probabilitatis, sed invictis armis veritatis, ipse audiatur serm. 3. de Nat. c. 3. *Quia* (inquit) *etsi multis inerat amor veri; incertarum tamen opinionum varietas; fallentium dæmonum decipiebatur astutiâ: & falsi nominis scientia, in diversas compugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur.* Verum enimverò, ut Deus opt. huic morbo mederetur, filium suum (inquit) misit in mundum. Ex quo ut patet, non novit Sanctiss Pater, nec approbavit pugnantes Probabilitatis in utramque partem opiniones, sicut nec prætensam illius facilitatem: etenim ut ipse loquitur serm. 5. de Nativit. cap. 1. *Non in solo opere virtutum, aut in sola observantia Mandatorum, sed etiam in tramite fidei, angusta & ardua via est quæ ducit ad vitam: & magni laboris est, magnique discriminis inter dubias imperitorum opiniones & verisimiles falsitates, per unam sanctæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare: & tum undique si laquei erroris opponant, omne periculum deceptionis evadere. Quis autem ad hæc idoneus, nisi qui spiritu Dei docetur & regitur? Beatus homo* (inquit vates Regius Ps. 93.) *quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum.*

Quod si ab eodem S. Præsule quæras, per quam viam incedere debeamus pro recta Mandatorum observantia, aut quibus gravia non sint illius præcepta; utrique satisfacit serm. 5. de Epiphan. cap. 3. *Illa nobis* (inquit) *currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est* .... Cujus jugum non est grave. *Quia* (inquit) *nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus: & facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando & Gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.*

Idem repetit vir sanctus serm. 11. de 40. *Impletur itaque per omnia, sententia veritatis, quâ discimus angustam esse & arduam viam qua ducit ad vitam: & cum latitudo itineris ad mortem trahentis, multis frequentetur agminibus: in salutis semitis paucorum intrantium sunt rara vestigia.* Quare ibid. cap. 4. petit ut unusquisque *omnem consuetudinem in divinorum præceptorum lance constituat: ubi cum alia interdicantur ne fiant; alia jubeantur ut fiant: justo se trutinabit examine, qui vita suæ mores ex utriusque ponderis comparatione pensaverit.* Verùm his non est concinna Pro-

babilitas, quæ gloriatur se arctam cœli viam dilatasse: nec pensat ex præcepto aut lege quid interdicatur aut jubeatur; sed quid probabile aut non probabile ab aliquo Casuista asseratur, quod facillimè invenitur: etiam sine metu laqueorum erroris quos metuebat S. Gregorius, quos verò Probabilitas spernit fere semper in utramque partem secura.

En Amice Lector vera S. Leonis Sententia in veritate ac strictissima observantia Mandatorum posita, toto cœlo diversa ab hac Probabilitate ad quam Casuistæ (ut cum Celladeo dicemus in Appendice) totam vitam Christianam reducere conantur.

Quid ergo est discriminis Thomistas inter & Modernos Casuistas? Quòd Thomistæ dicant cum Ecclesia; *A porta inferi*. Id est, quòd doceant evitandas esse erroris & peccati occasiones: ac subinde legi, præceptis, & honestati adhærendum esse, spreta voluptate, lucro aut falsa libertate, cujus nulla contra Deum potest esse vera possessio: asserantque in nulla re dignum esse delectum prudentiæ, nisi consentiat rebus ipsis vel ut in se sunt, vel ut rectitudinem mutuantur per Ordinem ad ultimum finem. Antithomistæ verò ex adverso contendunt, & ferè omnia perducunt ad usque ultimam præcipitii oram per Probabilitatem, cujus tenuissimum filum dicunt sufficere ad securitatem conscientiæ. Sed vide jam quibus apud ipsos repagulis detineantur homines ne cadant in foveam. Primò utuntur distinctionibus, sin evanidis, saltem inutilibus, scilicet Probabilitatis directæ & probabilitatis reflexæ: item, opinionis certò, vel probabiliter tantùm probabilis: His adhibent quandam ignorantiam vitalem falsò invincibilem, cum ignorantia desinat esse invincibilis non solùm per evidentiam, sed etiam per æstimationem, dubium vel suspicionem, ut in appendice rursùm manifestis declarabimus exemplis. Sibi quoque favere existimant Adversarii quemdam conceptum formalem, cui nullus à parte rerum correspondeat obiectiuus: & talis est imaginatio quorumdam Probabilitatis defensorum, asserentium *aliquem posse alium inducere ad jurandum falsum, quod jurans putat esse verum: ipse verò inducens scit esse falsum*. Quod est, non solùm contra conscientiam inducentis, & gravissimum ex natura rei perjurium: sed etiam contra omnium Philosophorum doctrinam, asserentium, *ex eo, quod res est, vel non est, orationem esse veram vel falsam. Hæc tamen & id genus alia, vel falsa, vel periculis plena, ut quid magni venditant Probabilitatis Patroni: & secùs sentientes aspernantur ut stolidos: At jure an injuria? ipse Lector judicabit ex hoc opere.*

Secundò, Sincerè fatentur Thomistæ in hujus Mundi tenebris, in non paucis, nos subesse caligini Probabilitatis, ut patet ex conclusionibus supra positis: nec negant quin à quadringentis annis, quibusdam Dominicanis aliquoties exciderit nomen Probabilitatis, eamque admiserint vel in rebus merè speculativis & momenti levioris: vel ad consolandos pusillanimes & timoratos, ut de S. Antonino & Nidero dictum est.

At jam asserere cum Probabilitatis defensoribus totum Mundum regi Probabilitate eamque, Mundo obtrudere tanquam sufficientem Morum Regulam. Hoc reprobant Thomistæ: hicque obtestor ipsorum Adversariorum conscientiam, an vel unus ex Thomistis ab aliis defensus, ali-

quam, docuerit propositionem his similem quas supra cap. 6. retulimus? Quid ergo magis injustum quàm omnibus Thomistis affingere, quod ne in uno quidem ipsorum, potuerunt reperire? An pro reis habendi sunt Thomistæ, quia non fuerunt Prophetæ, nec ominari potuerunt aut prævidere futurum Probabilitatis abusum, quo Probabilitati ceu quinto Evangelio deferri volunt Casuistæ, & per eam cuncta definiri? Ab hoc ergo excessu vel resipiscant Adversarii, vel ipsius alios à Thomistis quærant Patronos: nam D. Thomæ discipulos nemo nisi injustè potest dicere Authores & Patronos erroris cui adversantur, quemque libentissimè retractarent, si in illum incidissent.

Factâ Sanctorum Patrum Augustini, Gregorii Magni, Leonis Papæ Apologiâ quantùm ad propositionem illis falsò affictam: æquum est ut & Angelicum Doctorem rursùm audiamus; cui præ cæteris datâ quâvis occasione adversantur Antithomistæ, eoque periculosiùs quò occultius fucum rebus faciunt. Et ut ad rem ex altiori principio descendamus; si evidenter constet ex D. Thoma non esse liberam seu ad libitum inter æqualia electionem: unô verbô actum est ac conclusum contra capitalem Magistri Philosophiæ propositionem asserentis *licitum esse in Moralibus sequi quancumque opinionem etiam minùs probabilem.* Quare sit

CAPUT NONUM.

SECTIO I.

Cavendum est ne potentia Naturalis pro Morali obtrudatur in rerum electione: & quô pacto quis se gerat in ea, ut rectè agat, ex mente D. Thomæ: ubi etiam injusta apparet hac in parte doctrina Ioa. Cardenæ.

Nu. I. CUm plures ex Adversariis non nisi perfunctoriè legant opera D. Thomæ, hos facilè haberem excusatos; nisi tot libris jam in lucem editis, res in controversiam adductas, satis manifestè aperientibus: semper obfirmato animo veritati resisterent. Et ne ab ea, quam versamus, difficultate abeamus: quando nunc asseritur à Magistro Philosophiæ, *posse in Moralibus quempiam sequi opinionem minùs probabilem* ut tot artibus ac vigiliis suadere nititur: mirum videri debet quòd propositionem Censuris Labefactatam, non erubuit iteratis editionibus renovare: & quia decepti sunt lectores non solùm multitudine Authorum falsò ut patet ex dictis Laudatorum: sed ex nomine Divi Thomæ, nec non & aliorum Sanctorum Patrum perperàm quoque relatorum Authoritate, æquum est veritatem sic aperiri, ut de ea, jam deinceps nemo anceps esse possit: quod ut fiat; nonnulla sunt præmittenda. Primò igitur hîc non loquimur de opinione minus probabili juxta limitationes & circumstantias particulares supra conclusione undecima expressas: sed de illa secundùm se & in sensu adversariorum, comparata cum Probabiliore, quæ securior judicetur, ut potè remotior tùm ab errore, tum à peccati periculo sive peccandi occasione. Talem enim amplectendam esse con-

tendunt Thomistæ asserentes nulla Probabilitate excusari aut cohonestari posse lapsum in errorem aut peccatum, ex opinione minùs probabili incursum, probabiliore relictâ.

Secundò. Semper distinguenda est Potentia Naturalis, à Potentia Morali seu licita. Potentia enim naturalis est contrariorum, id est, prona ac potens ad bonum & malum; juxta quam dicitur quispiam posse manum sibi abscindere: oculos sibi eruere: posse Sacerdotem suspensum & etiam degradatum consecrare; & talis potentia ex parte, mala est: & longè pejus exercitium illius.

Potentia verò Moralis est tantùm respectu eorum, quæ bene, prudenter ac licitè secundùm Deum & rationem fieri possunt Et sicut in defensione Divi Thomæ contra Petrum à S. Joseph apertè ostendimus ex Angelico Doctore potentiam peccandi, esse quidem signum libertatis creatæ, sed non magis pertinere ad rationem veræ libertatis, quàm lippitudinem ad perfectionem potentiæ visivæ: Ita in Moralibus quando inquirimus, utrum quis possit opinionem minus probabilem sequi; Potentiam naturalem etiam mali & inordinationis capacem removemus, & de sola potentia Morali loquimur, juxta quam qui operatur, ritè & secundùm Deum agere censetur. Quod tùm maximè & tantùm fieri creditur; quando Deus opt. creaturæ; Anima corpori: bonum commune privato, & honestum utili & jucundo seú delectabili præferuntur. Unô verbô *Quando* (inquit D Thomas de verit. q. 18. a. 6. in sed contra) *id quod est superius in anima, inferiori dominatur*; eaque servatur dispositio in homine per gratiam reparato, quæ in illo erat, quem Deus rectum fecerat. Quod majori adhuc perspicuitate explicuit Doctor Angelicus 2. 2. q. 51. a. 1. ad 1. *Non est bonum consilium* (inquit) *sive aliquis malum finem in consiliando præstituat, sive etiam ad bonum finem malas vias adinveniat: sicut etiam in speculativis, non est bona ratiocinatio, sive aliquis falsum concludat, sive etiam concludat verum ex falsis, quia non utitur convenienti medio.*

Sed antequam ulterius in hac gravissima controversia progrediamur, ne nostra hîc venditare videamur, inserendum est authenticum ejusdem D. Thomæ testimonium, quo & præfata distinctio adeò necessaria stabilitur, & in antecessum os calumniæ obstruitur, quam perpetuò occasione accepta falsò nobis imponunt Antithomistæ, asserentes nos componere necessitatem cum libertate. Porrò hoc habetur de Malo q. 6. & unic. de electione humana in ô ubi art. *Quod voluntas feratur in id, quod sibi offertur magis, secundùm hanc particularem conditionem, quàm secundùm aliam, potest contingere tripliciter: Uno quidem modo in quantum una præponderat, & tunc movetur voluntas secundùm rationem* (nota hoc.) *Alio verò modo in quantum cogitat de una particulari circumstantia, & non de alia: & hoc contingit plerumque per aliquam occasionem exhibitam, vel ab interiori: vel exteriori, ut ei talis cogitatio occurrat. Tertio modo contingit ex dispositione hominis, quia secundum Philosophum, qualis unusquisque est, talis ei videtur finis. Unde aliter movetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, &c. Sicut etiam aliter acceptatur cibus à sano & ægro. Sic ergo dispositio per quam alicui videtur aliquid bonum & conveniens, fuerit naturalis, & non subjacens voluntati, necessitate naturali voluntas præeligit illud:*

lud: sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, vivere & intelligere. Si autem sit talis dispositio, quæ non sit naturalis, sed subjacens voluntati: putà, quum aliquid disponitur per habitum vel passionem ad hoc quod sibi videatur aliquid vel bonum vel malum in hoc particulari; non ex necessitate movetur voluntas, quia poterit hanc dispositionem removere, ut sibi non videatur aliquid sic: ut scilicet cum aliquis quietat in se iram, ut non judicet de aliquo tanquam iratus: faciliùs tamen removetur passio quàm habitus, &c. Ex prædicto D. Thomæ testimonio evidentissimè infertur voluntatem inter opposita constitutam, non moveri juxta rectam rationem, nisi eligat in quod præponderat: nam sivè cogitet de una circumstantia & non de alia, sivè juxta suum affectum judicet aut eligat, abutens potentiâ naturali, eâque utens pro Morali: in continuo erroris aut peccati periculo erit, ut patet ex Cardenæ doctrina, re ipsa intolerabili & ab omnibus rejicienda hâc in parte.

4. Verùm non egrediamur extra Probabilitatis chorum, quin hîc in antecessum Cardenam ipsum audiamus, cujus de Probabilitate Crisim antequam exploremus obiter animadvertere licebit, quî nitatur Cardenas arbitrariam eligendi facultatem tueri, ut postmodum faciliùs suadere possit, licitum esse opinionis minus Probabilis etiam exlegis delectum Quâ in re à Potentia Naturali, vitioso transitu migrat ad Moralem: & rursum data occasione pro Potentia Morali Naturalem obtrudit; cum tamen de sola Morali Potentia sit sermo in Moralibus, quando inquiritur, utrum possit vel non possit quispiam aliquid efficere. Porrò Cardenas disp. 15. de Probabilitate, pagina 213. nu. 303. ait. *Quando una pars repræsentatur intellectui, ut evidenter probabilior potest voluntas flectere intellectum ad assensum partis minùs probabilis.* Sed nota quod sequitur.

Patet (inquit) *conclusio: nam dum quis fruitur bona fama de honestate Morum, non est certum esse innocentem: tamen Probabilius est, illum esse innocentem: & tamen hominis infensi voluntas, sæpè flectit intellectum, ut temerè judicet illum noxium.* At, quid magis fraudulentum ac injustum, quàm sumere id, quod non fit nisi temerè & iniquè; in Regulam aut exemplum ejus quod licitè tantùm fieri debet & secundum Deum?

Et tamen (quod certè stupendum est) in hoc ipso, quod fatetur temerè fieri, asserit ibid. *Actum judicii, niti fundamento gravi, quamvis minori.* Audiendus adhuc ipsemet Cardenas ibid. nu. 306. *Nos autem* (inquit) *ex eo quod voluntas possit flectere intellectum ad judicium temerarium, contra majus rationis pondus; inferimus non esse impossibile, quod voluntas flectat intellectum* (nota) *ad partem minus probabilem. Quo assensu jam posito, clarè convincimus, illum non esse temerarium, cum ipse nitatur ratione prudenti, etsi minùs efficaci.* Verùm, poteſtne quispiam magis indignè abuti Nomine Prudentiæ? & ubi ratio, nisi perversa, in tali judicio quod ipse temerarium esse fatetur? Vides mi Lector, quam periculosum sit hac in parte à supra laudata D. Thomæ doctrina sicut & in cæteris recedere: quamque vitiosus sit hujusmodi transitus de quo supra mentionem fecimus: quem non negamus tanquam impossibilem: Sed tanquam illicitum seu iniquum prædamnamus: numquam enim dubitavimus, quominùs naturaliter possit voluntas intellectum flectere, etiam contra rationem: im-

mò tàm possibile id dicimus esse quàm facile hominem peccare posse: sed de hoc non est controversia: neque de hac infœlici loquimur potentia in Moralibus, aliàs omnia subverterentur.

5. Ex præfata Cardenæ doctrina, duo inferuntur, quibus tota disp. 15. de Probabilitate Lectoribus clam illuditur; nimirùm: quid sit apud Antithomistas & ipsum Cardenam, *Niti fundamento gravi* vel aliquid fieri *Ratione prudenti.* Etenim si is qui temerè judicat ex passione de homine integræ famæ: (quod est directè oppositum Charitati, quæ non cogitat malum) adhuc dicatur à Cardenâ, *Prudenter agere & niti fundamento gravi.* Certè vix poterit quidquam assignari adeò leve, evanidum aut inane, quod ratiunculæ alicujus fucatum specie: non sit apud Cardenam satis grave ad Probabilitatem stabiliendam: sique vel semel ei concesserimus *eum prudenter agere* (ut ait) *& niti fundamento gravi*, etiam qui de proximo temerè judicat ut in casu supradicto, de homine integræ famæ: ex eo scilicet quod de ejus probitate evidentem non habeat demonstrationem: non nisi rarissimè, & nunquam fortasse, nisi stolidus imprudenter egisse dicetur: sicque destruitur tota Moralis Theologia.

Verùm, quidquid dicat Cardenas: hæc non est vera & Christiana prudentia, utpote ex passione, orta: sed ut loquitur D. Jacobus *Animalis & diabolica*, Charitati contraria. Unde D. Thomas præsaga mente 2. 2. q. 60. a 4. penitùs destruxit prædictum Cardenæ fundamentum: sic distinguens judicium, quod de rebus formare debemus, nimirùm quoad possumus æquissimum: & illud quod fit de aliquo homine, *quem* (inquit) *ubi non apparent manifesta indicia de ejus malitia, debemus ut bonum habere: in meliorem partem interpretando* (etiam) *quod dubium est.* Lege eumdem in resp. argumentorum & totam quæstionem prædictam, ut discas, qui judicare debeas, ut dictum est, juste de rebus, quantùm possumus: in melius de proximo: ac de nobis in pejus: juxta illud Jobi. (Verebar omnia opera mea.) Sic enim humilitas Christiana fovetur, & Charitas erga Deum & proximum servatur illæsa: unde ait D. Augustinus serm. 139. de temp. *Ille tenet & quod patet, & quod latet in Divinis sermonibus, qui Charitatem tenet in moribus.* In quibus rara est admodùm evidentia. At Cardenas è contra. quia non potest evidentem (de homine ab omnibus habito tanquam probo) habere demonstrationem: vult aliquem *prudenter agere*, etiam cum temerè & ex passione in malam partem de illo præsumit judicare. Et Deo disponente suam sic aperuit mentem hac in parte Cardenas, ut nullus deinceps deciperetur his terminis *prudenter agere, & niti fundamento gravi*; quibus ille perpetuò tota disp. 15. abutitur.

Quod satis confirmatur ex eodem pag. 238. nu. 554. *Ubi* (inquit) *est opinio Probabilis contra obligationem Legis, Lex non est sufficienter intimata subditis.* Ex quo infert Cardenas ipsam non obligare: quo uno facillimè Leges omnes subvertentur, & Laxissimæ Probabilitati (quam à se fingebat restringi) via aperitur: nullus enim erit sagax ac subtilis defensor Probabilitatis, vindictæ, voluptatis aut avaritiæ percitus cupiditate, quin citò opinionem Probabilem adversus quamcumque Legem fucatâ aliquâ ratione, & quidem majori efficere possit, eâ, quam ipse sibi supra confixit ita contrariam Legi Charitatis.

Igitur quoties intellectus (qui tanquam judex sedet) suam de aliqua re profert sententiam : nisi in eo recta prævaleat ita ut verius aut securius eligendum pronunciet, vel ab hoc abstinendum : utrumvis facere omittat sive ex inconsideratione alicujus circumstantiæ id proveniat, ut ait D. Thomas supra laudatus : sive ex inordinata aliqua passione aut mala dispositione alicujus pravi habitus ; idem est omninò ac si quis diceret; veram ac prudentem fieri de saporibus sensationem per linguam amara & adusta bile imbutam : nec ulla est in hoc veræ prudentiæ ratio : de qua alibi Deo dante ex principiis D. Thomæ redibit sermo.

6. Hic quidpiam ad propositum referam, quod contigit in Gallia, quodque Cardenas ipse forsitan non improbabit, cum sit omnino consonum ejus principiis, vel ut verius loquar, necessariò deductum ex ipsis. Erat Domina nobilissimis orta natalibus, cum duabus suis filiabus ex hujus Regni Proceribus, infœliciter Calvinismo innutrita, eique addictissima. Hæc cùm sola cum illis per biennium circiter vel amplius domi remanserat ejus Marito absente ac in Regiis occupato negotiis : quadam die audiens domesticum Calvinistam suæ familiæ Ministrum exerto ore asserentem *Mandata Dei esse impossibilia* idque sæpius repetentem : & aliunde certa suæ erga Maritum fidei & innocentiæ filiarum, quas diu noctuque fovebat oculis : secum tacita dicebat : *Ergo ne dicenda est Religio, eaque vera, quæ rem adeò falsam profitetur, meque nullius erga Maritum perfidia labefactatam, tanquam infamem pellicem, innocentesque puellas pro scortis traducet? Hæc sæpius mente revolvens; Ministrum tandem expulit. & schisma Calvinisticum execrata, prætensam Religionem ejecit & Catholicam fidem amplexa est.*

Sed amabò quorsùm ista? Aut qua intentione relata? de industria sanè ac prorsùs ad propositum. Si reversus ille Dynasta suę uxoris innocentiam in suspicionem vocasset ; hac in re, in qua ut certum est non habentur demonstrationes mathematicæ, sed ad summum Morales & Probabiles, in quibus probabiliori superest locus.

Sed quia, ut ait Cardenas supra citatus pag. 213. suæ Crisis, *Quando una pars repræsentatur intellectui ut evidenter probabilior, potest voluntas flectere intellectum ad assensum partis minùs probabilis. Nam* (inquit) *dum quis fruitur bona fama de honestate morum, non est certum, eum esse innocentem, sed tantùm Probabilius; & voluntas hominis infensi sæpè flectit intellectum, ut temerè judicet illum esse noxium.* Asseritque Cardenas *actum talis judicii, niti ratione prudenti & fundamento gravi quamvis minori.* Et hoc assensu posito judicium non est amplius temerarium : ut ait.

7. Viden Lector mirabilem Cardenæ doctrinam? Hęc Domina certa est de sua & filiarum innocentia : est etiam certa de opposito ; vel saltem est certa, quod suspicio seu opinio Mariti sit probabilis, cum juxta Cardenam *nitatur ratione prudenti & fundamento gravi* ut censet de homine, *qui ex passione flectit voluntatem, ut temerè judicet hominem integra fama noxium esse.* Apud quem omnis opinio etiam minus Probabilis, est certa.

Sed quid si apud Cardenam conqueratur hęc Mulier de Mariti suspicione adeò sibi injuriosa? Profectò suam de Probabilitate doctrinam insideque tenebitur Cardenas evertere & retractare : aut pro omni solatio

debebit huic Dominæ fateri & concedere suspicionem Mariti esse veram; quia est Probabilis: Probabilis verò, quia licet ex passione & Zelotypia sit orta, tamen *nititur fundamento gravi & ratione prudenti*: & quidni? quandoquidem *licet una pars* (inquit) *repræsentetur intellectui ut evidenter probabilior, potest voluntas flectere intellectum ad assensum partis minus probabilis*? Non dubito, quominùs hanc Cardenæ doctrinam rejiceret tanquam falsam hæc Domina, sicut & aversa est Calvini impietatem, suique Ministri fatuitatem, ob prætensam Mandatorum Dei impossibilitatem.

Certè bene habet mi Cardena: quòd tuam de Probabilitate doctrinam ignoto mulieribus honestis idiomate scripseris; cum juxta eam tam malè apud te audiant innocentes; & gravissima quæque (ut alii evidentissimè probarunt) possint excusari delicta, ex hac inaudita Probabilitatis doctrinâ, quam non benignam; sed verius crudelem dixeris; cum ex potentia naturali quam habet voluntas supra intellectum tanquam Moderatrix & Regina potentiarum, ut juxta ductum rationis unamquamque moveat ad proprium bonum; illi tyrannicam faciat facultatem flectendi ipsum ad consensum, quem falsò ac perperam dicit prudentem Cardenas, quoties intellectus non est de opposito per evidentiam convictus. Quo ex falso principio: & altero quo potentia naturalis (quæ tantùm est eorum, quæ secundum Deum & rectam rationem fieri possunt) sequuntur Monstra non minùs horrenda, quàm si dicerem: *Filium posse matrem suam percutere: aut Sacerdotem posse post prandium Missam celebrare*, quę omnia vera sunt de potentia naturali.

SECTIO II.

Manifestis rationibus & exemplis profligatur Cardenæ doctrina, & aliorum hac in parte Divo Thomæ contraria; illorumque mala fides ostenditur, quibus invitis stat, semperque stabit præfata Doctoris Angel. doctrina, asserentis inter æqualia constitutum, non habere liberum ejus quod voluerit delectum. Huic suffragatur Diploma Apostolicum, quô vana reprimitur jactantia Hæreticorum.

8. NE vel tantillùm ab scopo divertatur Lectoris animus, tantummodo manifestis rem prosequamur exemplis. Si protervus sit filius, qui nec Patrem velit honorare, nec ipsi obtemperare; expeditam habebit ille in doctrina Cardenæ excusationem: dicet enim se non habere suorum natalium evidentiam, quam non nisi probabiliter tantùm didicit testimonio Matris; seque posse ex Cardena prudenter intellectum flectere ad assensum partis contrariæ; in quo non peccat, nixus *prudenti ratione & fundamento gravi* Cardenæ: non enim habet evidentiam innocentiæ Matris suæ.

Itidem si irreverenter se gerat quispiam, etiam dum Sacro-sancta Hostia populo exhibetur adoranda; respondere item poterit hic impius ex eadem Cardenæ doctrina, se non habere evidentiam, seu non esse certum, an ille

Sacerdos sit à suo Episcopo ritè ordinatus, vel rectam habuerit consecrandi intentionem: urgeo magis.

Si ad Dei judicia consurgamus, quæ, inquit D. Augustinus, *nemo perfectè comprehendit, nemo (tamen) justè reprehendit,* & præ oculis mentis habeatur infinita Dei misericordia, circa æternam, v. g. damnatorum pœnam; excusandi erunt omnes hac in parte Origenis errores, & millies probabilior ac certior ejus opinio judicabitur, quàm illa quæ nobis à Cardena tanquam prudens ac certa obtruditur. Idem possumus dicere de animæ immortalitate: Numinis providentiâ & gubernatione, aliisque similibus de quibus perfectam non habemus evidentiam, sed vel tantùm probabilitatem officio & legibus faventem; vel certitudinem ex fide obscura, quæ informata charitate non minus strictè vetat, ut non judicetur temerè de illo, qui ab omnibus habetur tanquam vir probus, quàm ut intellectum captivemus in prædictorum obsequium.

Instabit in oppositum Cardenas: nam *potest,* inquit, *hominis etiam infensi voluntas flectere intellectum, ut temere judicet illum esse noxium (memento nos loqui de homine integra fama;) quô assensu (inquit) positô clarè convincimus judicium non esse temerarium.* Hoc positô,

Inquiro à Cardena, an voluntas hominis infensi, sit regula rectè judicandi? Quo vel solùm audito, omnes pertimescunt.

Secundò. Inquiritur, quis hujus judicii, & actus ita Dei ac proximi charitativis legibus oppositi temeritatem emendavit? Ait Christus Dominus tanquam impossibile: *Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* At potentior est Cardenæ cogitatio, seu ut alii loquuntur, super ipsam Probabilitatem reflexio, quâ sic rerum naturam immutavit, ut id quod erat temerarium, fiat continuò prudens & justum. Proh falsitatem!

Deinde q. supra citatâ de malo, tria distinguit D. Thomas, ex quibus voluntas magis afficitur ad unum quàm ad aliud, unumque alteri præfertur. Primum (& quod unicè est justum;) quando scilicet est *ex ratione præponderante:* secundum, quod est ex *consideratione alicujus circunstantiæ:* unde est maxima pars peccatorum; fuitque (ut alibi ostendimus) ipsius diaboli peccatum. Tertium, quod est ex pravo habitu, passione aut mala aliqua dispositione. Ex quibus ferè semper est perversum judicium, quia unusquisque judicat prout ipse est affectus.

At hæc tria confundit Cardenas, eaque involvit tenebris suæ Probabilitatis: & quod pejus est, id quod non nisi primo competit, secundo & tertio modo omnium pessimo attribuit: ut patet ex dictis.

9. Dixi etiam supra per præfatam Cardenæ Probabilitatem gravissima excusari posse vitia: quod ut probem ex hoc quod in confesso est apud omnes, enormia scilicet fuisse eorum peccata, qui Sanctos persequuti sunt, & Apostolos interfecerunt, in cujus rei testimonium æternam eorum ultionem Deus aliquando prævenit etiam ex hoc mundo, stupendis pœnis & morte horribili, ut de Antiocho, Herode, aliisque non paucis: & hoc non negabit Cardenas, qui secundò fateatur etiam necesse est (nisi toti mundo & ipsi sensui communi resistere velit) longè graviorem esse, malæ suspicionis & judicii temerarii noxam in illo, qui de aliquo temerè judica-

vit, qui integræ ſemper fuit famæ, neque malâ unquam famâ laboravit; quàm qui de aliquo malè opinatur, aut temerè judicat; de quo hinc & inde bonitatis & malitiæ ſparſi ſunt rumores, quales erant de primis Chriſtianis, qui quamvis innocentiſſimi, falſis tamen & calumniis ita horrendis, teſte Tertulliano in Apologetico, erant prægravati ac laceſſiti, immò & Apoſtoli ipſi, ut eorum interfectores arbitrarentur ſe obſequium præſtare Deo.

Hos tamen perſecutores tamque temerarios Judices uno verbo abſolvit Cardenas: nam *ſi dum aliquis fruitur bona fama, non eſt certum illum eſſe innocentem, ut ipſe ait, potiori jure minùs certum erit illum eſſe innoxium, qui aliquâ laborat infamiâ, ut per ſe notum eſt.* Sed in priori caſu, *hominis infenſi voluntas poteſt flectere intellectum, ut temerè judicet eſſe noxium,* quô aſſenſu poſitô (inquit) judicium non eſt ampliùs temerarium: nititur enim (ejus judicio) *ratione prudenti & fundamento gravi.* Ergo à fortiori, in altero caſu, in quo Chriſtiani tot calumniis erant prægravati, ut vel omnibus communem reſpirare aërem indigniſſimi judicarentur. Abſolvendi igitur ſunt illorum interfectores & tyranni, quia juxta inauditam Cardenæ Probabilitatem, *nitebantur ratione prudenti & fundamento gravi,* etiam dum illos judicabant omnium malorum cauſam: nam quicumque prudenter egit, ac rectam rationem ſequutus eſt, quæ eſt proxima nobis à Deo conceſſa ad ritè agendum regula, ab omni reatu abſolvendus eſt.

10. Viden, mi Cardena, quò te duxerint novæ Probabilitatis commenta? Quod ſi hac in re, toti naturæ horrorem pariente, tua ſemel obtineat ratiocinatio: quænam erunt ſcelera ſatis turpia quæ aliqua ratione fucata non cohoneſtentur aut excuſentur? cum apud te nulla ſit lex ſufficienter promulgata, contra quam aliqua opinio probabilis formari poteſt, quæ profectò nunquam deerit ſagaci Probabilitatis Defenſori aut irato, vel aliquâ paſſione moto, quam non metuis obtrudere ceu rectam ac ſecuram judicandi regulam. Sique ex eo quòd quis v. g. furari poſſit, reipſa furti judiciô damnandus ſit, quinam erunt homines apud te inſontes? Fatearis igitur nuperam tuam de Probabilitate doctrinam eſſe ipſi innocentiæ omninò infenſam, & toti humano generi admodum perincioſam. Tecum quidem fatemur virum integræ famæ, & ab omnibus inſontem habitum, poſſe apud Deum eſſe noxium: ſed cautum eſt omnibus charitatis legibus, ne de ullo malam in partem judicemus, niſi manifeſta ſint ejus nequitiæ indicia, ut ſupra diximus cum D. Thoma. Quod, precor, apud te remaneat altâ mente repoſtum.

Præterea, iis in memoriam revocatis, quæ præmittenda duximus cap. 1. ſcilicet præter intelligentiam primorum principiorum naturaliter cognitorum, & ſcientiam ex illis deductam, de quibus non opinamur, alias eſſe diximus res nempè contingentes & futuras, circa quas, opinionem, dubium aut ſuſpicionem habere poſſumus; in quibus intellectus non tantùm movetur ex meritis objecti, ſed etiam quandoque flectitur per voluntatem in unam partem potiùs quàm in alteram. Qua in re ſemper quoque ſervari debet, tam reſpectu intellectûs quàm voluntatis debita ac proportionata Moventium diſpoſitio; ita ut potiori ratione intellectus magis moveatur, magiſque meliori bono voluntas afficiatur; ſi ſecùs fiat, ordo pervertitur;

unde ait D. Thomas de verit. q. 18. a. 6. *Semper contingit inordinatio, quando aliquid movetur à non proprio motivo: sicut si voluntas movetur à delectabili sensus, cum debeat tantummodo moveri ab honesto.*

Est ergo intellectus inter æqualia suspensus, sicut statera in æquilibrio posita, cui nisi quid ponderis adjiciatur, non magis unam in partem, quàm in aliam flectetur. Et quia in rebus contingentibus aut futuris ex se obscuris, & præcipuè ab humano corde (quod est pravum & inscrutabile) dependentibus; in quibus potissimùm opiniones exercentur, non potest intellectus per evidentiam rationum determinari: superest ut in æqualibus ad electionem per voluntatis imperium, determinationem & affectum quandoque inclinetur. Quòd si voluntas capta aut excœcata amore boni sensibilis, aut etiam spe vel convenientiâ alicujus boni temporalis intellectum inflectat ad id quod secundùm Deum verè non est eligendum: in hoc peccatum committitur: v. g. si quis magis afficiatur voluptate, quàm honestate, bono privato, quam communi seu publico; si nimio amore divitiarum conservandarum malit eas retinere, quàm in suum aut familiæ indigentis usum expendere, si pro honore recuperando, aut conservando, vitam corporis, aut spiritualem animæ salutem exponat peccati periculo, ut faciunt Duellistæ, statim peccatum in foribus aderit; quia debitus ordo non observatur.

11. Præfata hæc doctrina deducitur ex D. Thoma, locis supra citatis, & præcipuè ex 1. 2. q. 13. a. 6. ad 3. ubi ait: *Nihil prohibet si aliquando æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum quàm in illud.*

Quî autem possit aut debeat istud fieri, seu intellectum in hujusmodi rebus per voluntatem determinari, ex certis prudentiæ Christianæ regulis; non verò ex fictitio Probabilitatis beneficio; jam satis patet ex prædictis duodecim Conclusionibus, magisque patebit ex infra dicendis. Quare stabilienda est conclusio negativa; scilicet, nullum licitè posse inter æqualia constitutum contrariè aut contradictoriè opposita, ubi est aliquod erroris aut peccati periculum, alterum eligere ad libitum; sed manere suspensum ac dubium, donec aliquid præemineat, sive ex objecto, sive aliunde; v. g. ex authoritate proveniat; quo intellectus ad unius præ alio electionem moveatur.

Hoc declaratur manifestis exemplis, in quibus utrinque est æqualitas, & moralis eligendi impossibilitas: V. g. Duo testes affirmant hujus mulieris maritum, jam ab aliquibus annis absentem, esse mortuum. Duo alii paris authoritatis ac fidei, negant ac testantur illum superstitem esse ac vivum. Omni jure debet mulier suspensa manere, neque ad secundas transire potest nuptias. Item duo sunt Doctores hinc affirmantes Titium posse duas Præbendas retinere: indeque (ut supponitur) alii duo pares id negant. Titius exinde ita est suspensus, ut si rationem consulat, ambas non possit retinere præbendas. At, si captus amore divitiarum, ut scilicet lautius vivat, illas retineat; jam sine dubio peccat, vitio voluntatis, quæ intellectum malè ac perperam determinavit.

Itidem, si duo litigantes coram Judice pro crumena inventa, quam, ut

quisque sibi vindicet, sive ut probet illam ad se pertinere, duos hinc, & duos inde paris fidei offerat testes, tam suspensus est judex, quam si nullos testes haberet: Sic sapientissimus Salomon inter æqualia suspensus, ob duas mulieres ex æquo contendentes; jussit dividi infantem, ut ex materna compassione, tanquam ex novo rationis pondere, veram Matrem agnosceret, ut huic potiùs quam illi jure justitiæ infantem reddi jubere posset.

12. His exemplis sufficienter innotescit Adversarios non bona fide nobiscum agere, cum adversus D. Thomæ doctrinam asserentis *liberam non esse inter æqualia electionem*, hęc & similia obtrudunt exempla: hominis vg. qui ex duobus equis ejusdem fortitudinis: ex duobus ejusdem Authoris voluminibus; unum potius quam alterum liberrimè eligeret. Numquam enim D. Thomas aut Thomistæ loquuti sunt de rebus aut bonis æqualibus disparatis eligendis & ab invicem independentibus, qualia sunt illa quæ obiiciunt: Sed tantùm de æqualibus inter se sic connexis, ut unum dicat negationem alterius: prout sat prædictis patet exemplis.

Et ita si ex duobus Medicis æqualiter peritis; unus asserat cibum hunc esse sanum: Alter verò mortiferum: non potest quis resciens nisi fatuus, talem comedere cibum. In hoc siquidem consistit tota controversia Probabilitatis: an scilicet hoc liceat, vel non liceat: an possit fieri, vel non possit.

Qua in re, apicem solertiæ se se reperisse & indigitasse arbitrati sunt Antithomistæ asserentes in conflictu opinionum inter se dissidentium: Quandam invincibilem (quam vitalem vocant) semper latere ignorantiam, quæ sub Probabilitatis pallio cooperire possit peccatorum multitudinem, seu ab omni delicto excusare quoscumque actus probabiles.

Et cum jam tanta sit opinionum probabilium Multitudo (quæ omnes sunt apud ipsos tutæ ac securæ Morum Regulæ, quibus res ferè omnes in utramque contradictionis partem versantur) unicuique licitum erit vivere ad libitum: aut saltem facillimum opinionem reperire ad placitum, sibique blandientem.

13. Et hinc est, quòd Alexander VII. quadraginta quinque propositiones Probabilitatis specie disseminatas condemnavit tanquam scandalosas: ac Breve Apostolicum Feria 5. die 14. Septemb. 1665. expedivit sub hac verborum forma. *Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas (* Nota lector *) iterum suscitari: partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina: & quem si pro recta Regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne unquam temporis viam salutis, quam Suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit; in Animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret. Idem Sanctiss. Dominus noster, ut oves sibi creditas ab hujusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via: pro Pastorali sollicitudine, in arctam semitam reduceret, &c.*

duceret, &c. Ex hoc decreto, quoad præsens spectat, duo inferuntur. Primò quàm injustè glorientur aut improperent Ecclesiæ, nostri temporis hæretici ob Casuistarum Laxitatem; tanquam hæc esset Ecclesiæ Romanæ doctrina; quam ipsa aversatur ac detestatur. Secundò. Quanta Sanctis Patribus ac nominatim D. Thomæ irrogetur injuria, S. Doctori adscriptâ à Magistro Philosophiæ tali doctrina! quæ unicâ ejus propositione continetur: *Licitum est sequi in Moralibus opinionem minùs probabilem*: nulla enim est ex illis 45. propositionibus, aliarum innumerabilium fontibus, quæ à suis Authoribus non fuerit prolata & propugnata tanquam Probabilis. Quo ex principio quamvis falsissimo, seu vel sola Magistri Propositione tot malæ ac periculosæ resolutiones, quæ pluribus in libris circumferuntur tanquam Probabiles, possent apud incautos (non apud Deum) suam obtinere excusationem, idque in magnam Animarum perniciem.

Porrò, si nulli integrum sit inter æqualia constituto, alterutrum eligere ad libitum, ut patet ex dictis: longe potiori jure, vetitum erit opinionem aliquam minùs probabilem, ad arbitrium amplecti, relicta opinione probabiliori & securiori. Et quamvis hoc vel solum sufficere possit ad confutandam Magistri Gratianopolitani propositionem, & totam recentiorem ficti Amadæi editionem, tamen ex accessione juris ac pro majori perspicuitate; sit



CAPUT DECIMUM.

SECTIO I.

Utrum sit licitum sequi opinionem minùs Probabilem faventem libertati, emolumento aut voluptati: in concursu Probabilioris, stantis pro Officio, lege, præcepto & honestate? Et primò Aperitur hujus quæsiti status, & Propositio totum Laxitatis Moralis fermentum continens, multis jam profligata ostenditur præjudiciis.

Nu. 1. HIC ante omnia aperiendus est hujus Quæstionis status, qui in hoc consistit. Utrum scilicet qui omnibus sibi cognitis, tùm Authoritatibus, tum rationum momentis, iisque accuratiùs inter se libratis, in ea est opinione tanquam Probabiliore: quidpiam aliqua lege, præcepto aut prohibitione illicitum esse; id tamen tuta conscientia possit facere, ex eo præcisè quod aliunde, nonnullæ aliæ Authoritates vel rationes suppetant, quæ licitum, esse id ipsum probare videantur; quamvis illas judicet minoris esse ponderis, quàm eas quibus illicitum esse probatur

Secundam hanc partem sequuntur omnes Antithomistæ, asserentes opiniones etiam minùs Probabiles sufficere ad securitatem conscientiæ; modò sint Probabiles: idest, aliquâ ratione vel Authoritate nitantur: & quamvis in modo explicandi diffideant, variasque modificationes adhi-

beant: tamen merum fucum rebus faciunt, cum omnia hoc unum contineant, nimirùm *ut opiniones videantur esse Probabiles*, non enim curant de veritate, sed de rerum Probabilitate seu verisimilitudine.

At Thomistæ cum Angelico Doctore contendunt semper esse præferendas & eligendas opiniones Probabiliores ac tutiores, pro officio, lege, præcepto & honestate stantes; relictis opinionibus libertati, lucro aut voluptati indulgentibus: quæ sententia adeò humana est, Christiana ac Religiosa, ut ferè haud indigeat probatione. Nam qui legi Dei æternæ (quâ ut ait D. Augustinus, voluit Deus, ut omnia essent ordinatissima) cæterisque legibus ab ea derivatis, quantùm in se est, obtemperavit; illam primi hominis rectitudinem quoad potuit, in se reparavit: ac de illo dici potest illud D. Gregorii *omnia complevit*, (quia) *quod potuit fecit*. Neque enim aliud, aut quid majus, quàm quod possumus, à nobis exigit Deus opt. max. Quod fit ab eo, qui sincerè coram Deo ac suæ salutis æternæ intuitu sequitur, id quod existimat probabilius ac tutius.

Quantum igitur ad propositionem Magistri Philosophiæ, in ea profliganda non diu immorabimur: tùm quia jam aliàs dissertatione integra, lib. cui Titulus est, *Securiores semitæ Moralis Theologiæ*, hanc confutavimus: tùm quia damnata est à Facultate Pictaviensi anno 1665. quę in eam hanc tulit censuram. Hæc propositio (inquit) *falsa est & temeraria & in varias Morum corruptelas inducens* Quam censuram confirmavit Facultas Parisiensis, ut supra dictum est. Prætereà, eadem propositio proscripta est à Tribunali Inquisitionis anno 1664. die 15. Januarii in condemnatione libri Caramuëlis cui præfixus erat hîc titulus. *Apologema pro antiquissima & universalissima doctrina de Probabilitate.*

2. Deinde à toto Orbe Christiano exulare coactus est liber idiomate Gallico editus, cujus hîc erat titulus, *Apologie pour les Casuistes, &c.* cujus libri totam doctrinam continet prædicta propositio: siquidem in eo nulla est, quam non tueatur Apologista tanquam Probabilem. Quod si aliunde, omnis opinio probabilis, est tuta ac sufficiens Morum Regula, ut vult hic Magister Philosophiæ: oleum, totamque (ut aiunt) operam; tùm Papæ, tum Episcopi Galliæ in vaga Probabilitate profliganda Morum corruptionem inducente, perdiderunt. Quare meritò iure Alexander VII. anno 1663. sequentem prædictæ omninò similem aut huic æquivalentem percussit Anathemate propositionem; *Debet opinio censeri probabilis, modò non constet rejectam esse ab Ecclesia ut improbabilem*: At innumeræ sparsæ sunt opiniones ac in dies cuduntur tanquam Probabiles, in quibus examinandis plurium Summorum Pontificum vita non sufficeret; quæ ex prædicta Probabilitatis Regula, interim admittendæ essent non sine magna æquitatis injuria, atque salutis Animarum pernicie. Quare miror quî ausus sit præfatus Magister hanc propositionem sic ad incudem revocare, ut illam semel & iterum obtruderet: ac Religiosissimum Tribunal Gratianopolitanum circumveniret disseminato specialiter in ejus ditione ac conspectu hoc lolio, unde per Orbem irrepsit; tàm falsò interposita Sanctorum Patrum Authoritate seu doctrina: quâ arte omnes facillimè deciperentur nisi prętò ac promptum esset veritatis Antidotum.

Porrò apud Sanctos Patres, nullum unquam reperies, falsæ hujus ima-

ginationis indicium; quòd scilicet *verum & falsum nos æquali securitate possint ad cœlum deducere: eademque actio licita sit & non licita, desinatque esse illicita, quia à novo doctore aut Casuista certa habita sit: sic verò justè habita, quia Probabilis ipsi visa sit.* Hanc doctrinam docet Dominus Caramuel. *Si autem* (inquit) *jam sunt Probabiles opiniones, jam non peccant homines, cum antea peccarent, cum omne Probabile à peccato excuset.* Quod est omninò falsum: & tamen illud tanquam principium certissimum supponunt Adversarii ut videri potest apud præfatum Authorem in sua Theol. Regul. disp. 6. ubi Basseus asserit ex eodem principio: rectam inveniri posse actionem; *Sive juxta unam, sive juxta alteram operentur Mortales opinionem.* Unde Archiepiscopus Meclinensis proscribens à sua Diœcesi libros dicti Caramuëlis, hanc rationem assignavit, quod scilicet *apertè profiteretur Caramuel se se studiosè laborasse ut multarum sententiarum Probabilitates introducendo, plurima faceret hominibus licita, quæ hactenùs æstimabantur esse peccata*: quasi verò (inquit ille) *possit adinventionibus suis, mendacem facere Evangelicum sermonem Domini dicentis: Intrate per angustam portam, &c.* juxta quam Christi Domini sententiam meritò ait Sinnichius suo in lib. cui titulus est: Saül Exrex. pag. 261. *Profectò tàm non potest humana solertia ad semitam cœli adjicere digitum unum latitudinis, quàm non potest ad staturam hominum adjicere cubitum unum longitudinis.*

SECTIO II.

Justum de Probabilitate judicium ex Patrum moribus & vita potius desumendum, quàm ex eorum Scriptis seu operibus. Fundamentum doctrinæ Adversariorum omnino subvertitur, tùm ratione, tum familiari sed efficaci exemplo: & præcipuè D. Augustini Authoritate.

Nu. 3. SI necesse esset Probabilitatem, seu vagam hanc opinandi licentiam, opinionesque (quas vocant benignas) per Patres confutare: Exceptis paucis, v. g. tribus aut quatuor supra laudatis, invertenda tantummodò esset prolata à Christo contra Pharisæos sententia, quâ dicebat. *Quæcumque vobis dixerint, facite: secundum verò eorum opera, nolite facere.* Id est, vagæ huic Probabilitati seu remissæ licentiæ hominibus cuncta ferè indulgenti; aspera Sanctorum vita solummodò esset opponenda, non verò eorum scripta, in quibus non nisi raró, & sæpiùs nullus omninò de Probabilitate sermo reperitur: non quòd illam ignoraverint, non minus perspicaces ac docti quàm innocentes; sed quòd hanc judicaverint indignissimam Morum Regulam. Certè si quis petivisset ab ipsis, an liceret in ipso suæ salutis æternæ negotio normam admittere, aut tanquam securam sequi semitam, id quod est minus probabile, id est, id quod magis falsum apparet quàm verum; quodque magis in peccatum vergit ac propendet, quàm à peccato revocet; nescio quodnam responsum tulisset. Nam si à multis, quædam amentiæ ac cujusdam furoris species non immeritò existimatur, minoris Animam immortalem

facere, quam corruptibilis vitam corporis: Quid de eo diceres, qui exponit utrumque periculo damnationis æternæ, ac de illis minorem curam gerit, quàm de veste aut calceamentis? *Si vestimentum empturus* (inquit D. Chrysost. homil. 44. in Matth.) *unum giras negotiatorem & alterum: & ubi meliores vestes inveneris & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet, &c.* Cavet sibi quisque diligenter, ne alumen pro saccaro: fel pro melle aut auricalcum pro auro obrizo accipiat (ex quibus unum alteri simile judicatur) & pro Anima sufficiet quodcumque Probabile, seu quod idem est, verisimile? Et quod omnem salutis incuriam superat & arguit, *etiam id quod est minus probabile, relicto probabiliori & tutiori.*

4. Ut ergo penitùs Probabilitatis Arcem à Magistro Philosophiæ defensam destruamus: sic argumentabimur. Primò: Quicumque laborans scrupulo, suspicione aut dubio, an actio quæ illi instat exercenda, mala sit & illicita; illam nihilominùs efficit: malè & imprudenter agit. Sed is, qui in Moralibus opinionem minus Probabilem, libertati, emolumento aut voluptati faventem, in concursu Probabilioris, stantis pro officio, lege, præcepto & honestate, sequitur; laborat scrupulo, suspicione & dubio: nec potest non metuere, quominùs mala & illicita sit actio seu id quod operatur: Ergo male & imprudenter agit, ac subindè in re gravis momenti, graviter quoque delinquit.

Major ab omnibus, etiam à Vasquezio, & Sanchez à Cardena citatis, ceu vera & indubitata admittitur, admittendaque ex hoc Theologico Axiomate. *Qui amat periculum, peribit in illo* Probatur. Quod maximè contingit, quando quis non obstante dubio, quô hinc & inde, æquali lance distrahitur vel potius detinetur æqualiter suspensus: spontè tamen ac liberè, sine prævia alia majori ratione in actum prorumpit & operatur. Et idem dicendum est de suspicione deliberata: de qua ait D. Augustinus. *Sunt qui per malevolas de fratribus suspiciones, proprias interficiunt Animas.* Neque secùs sentiendum est de scrupulis quibus nonnulli ex conscientia erronea quandoque in planum ipsum gravissimè impingunt, in iis etiam rebus, quæ aliunde secundum se essent innoxiæ.

Minor ergo in qua una est difficultas Probatur & à minori ad majus explicatur. Si quis in dubio positus, in quo inter duo, est æqualiter suspensus, id est, anceps, an id, quod agendum est, sit peccatum mortale, nec ne: nihilque hac cogitatione aut suspensione moratus, operatur: mortaliter peccat, ut omnes fatentur. Et longe potiori jure peccabit ille, qui ex hoç æquilibrio recedens: si id quod est agendum; magis illicitum quàm licitum, & malum potiùs, quàm bonum sibi videatur: At, talis est quicumque opinionem minùs Probabilem sequitur relicta probabiliore ac tutiore; quæ ob aliud respectu illius non dicitur probabilior ac tutior; nisi quia verior ei videtur & à peccato remotior, utpotè legi æternæ conformior, cujus omnes aliæ leges sunt quædam participationes, quæ per opiniones minus probabiles, voluptati, lucro aut libertati indulgentes, infringuntur ac delentur: Ergo malè ac perperam agit, qui opinione probabiliore ac tutiore relictâ, minùs probabilem sequitur. Quid ad hæc Philosophiæ Magister?

5. Explicatur magis. *Qui omnia timet stultus est, inquit Aristoteles:*

qui verò nihil timet, stolidus. Qui ergo operatur ex opinione minus probabili, relictâ probabiliori; aut timet: & si hoc timore non obstante, agit, sine dubio (periculo peccandi se exponendo) peccat, ut fatentur omnes: aut nihil timet, sicque stolidus est, nihil metuens, ubi est tanta ratio metuendi.

Declaratur denuò communi quidem; sed familiari exemplo. Tullius per sylvam densissimam transiturus, negligit, vel potius respuit comitatum & consortium Militum, quibuscum tota securitate iter suum conficere posset: aliamque inquirit viam ac transeundi occasionem. Tullio occurrit Petrus, & quandam ipsi indicat semitam, quam asserit esse securam. Postmodùm idem Tullius obvium habet Paulum, qui semitam hanc seu viam ait esse periculosam. Hac diversitate testimoniorum contrariorum, ita suspensus est Tullius, ut prudenter non valeat ulterius progredi: sunt enim duo illi homines (ut supponitur) æqualis fidei.

Sub hac ancipiti cura & anxii animi sollicitudine, ex eadem sylva egreditur Semphronius asserens reipsâ in hac via reperisse sanguinem recenter effusum & clamorem audivisse: sed se nescire an hîc sanguis sit ex aliqua fera à venatore læsa; an verò à viatore vulnerato aut occiso à prædone (quæ omnia probabilitatem non excedunt) hoc unô, extra omnem controversiam positô, quòd Pauli ac Semphronii testimoniis, meritò debeat Tullius existimare probabilius, viam hanc esse periculosam: cui, si his non obstantibus se se spontè committat Tullius: & præcipuè aliâ securiore viâ relictâ, quâ sine periculo posset sylvam pertransire: non tantùm imprudens ab omnibus, sed ut fatuus meritissimè reputabitur. Atqui, hæc est vera imago illius qui opinionem minus probabilem sequitur, probabiliore ac tutiore relictâ. Metuendum censes Amice Lector pro vita corporis: & Antithomistæ non trepidant timore, ubi agitur de morte corporis & animæ, seu ut illorum utar verbis, etiam ubi *de æternitate jacitur alea.*

6. Certè prædictum hoc exemplum ita convincens mihi videtur, ut de opposito vel leviter dubitare, mihi sit prorsùs impossibile.

Non tamen satis efficax fuit, ut eo persuaderetur quidam Sacerdos, (cui suscitata erat turba nepotum) quorum amore excæcatus, induci non potuit ad restituendum in ipso mortis articulo, quæ ex pingui beneficio per plures annos simoniacè occupato, acceperat: nam tale beneficium numeratâ pecuniâ, emerat factâ distinctione motivi à pretio, quas nundinas eò securiores existimabat, quòd aliis Probabilitatum tricis non caruissent, quibus sustinuerunt quidam Moderni, quempiam posse aliquod beneficium emere præscindendo à spirituali (quod quidem fatentur non esse pretio æstimabile) sed habita tantùm ratione facultatis inserviendi proximo ac laboris annexi Sacramentorum administrationi. Quasi verò hujusmodi distinctionum chimæris, quibus semetipsos voluntariâ cæcitate decipiunt, possent ipsi cordium Scrutatori illudere.

Neque eum dimovere potuit exemplum de Philippo Parisiensi Cancellario relatum, non tantùm à Dionysio Carthusiano opusc. de plural. beneficiorum, sed & à Spondano & Malvenda ad annum 1238. qui Guilielmo Parisiensi Episcopo suo, suæ damnationis causam ipse retulit: nempè quòd

relictâ probabiliori ac securiori opinione, *contra sententiam plurimorum plura sine dispensatione beneficia obtinuisset ac retinuisset: sicque periculo mortalis culpa se se commisisset.* Lege hac de re Cantipratanum, lib. 1. de Apibus, cap. 19. sect. 5. quem vocat Carthusianus *virum nobilem ac litteratum*, qui integram refert historiam, in perpetuam opinionis minùs probabilis condemnationem. Et vide si vis aliam authenticam historiam à me relatam pag. 20. de delectu opinionum: ex Cardinali Damiano, viro doctissimo ac Religiosissimo Opusc. 34. cap. 5. de Sancto Severino, quem speciosissima (si unquam excogitari possit) Probabilitas, non impedivit quominùs vir sanctus acerbissimas Purgatorii flammas diù experiretur.

7. Secundò. Sic impugnatur prædicta propositio. Ad rectitudinem operationis requiritur certitudo saltem moralis de ejus honestate, excludens (sin naturalem, quæ intrinseca est & essentialis opinioni) saltem moralem formidinem: quæ provenit partim ex oppositione opinionis contrariæ, partim ex contradictione & prohibitione legis.

Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem indulgentem libertati, lucro aut voluptati, in concursu probabilioris stantis pro præcepto, lege, officio & honestate: v. g. qui facit aliquem contractum, quem probabilius existimat esse usurarium ac simoniacum: vel qui in die festo pingit absque necessitate, probabiliter existimans id sibi licere, licet probabilius existimet & securius; reipsâ non pingere: non habet moralem certitudinem: Ergo non recte, prudenter & honestè operatur. Major probatur, quia ut actus sit honestus & moraliter bonus, debet dirigi à prudentia, quæ est generalis humanorum actuum regula; quæque in suo objecto certitudinem moralem requirit, cum sit virtus intellectualis.

Confirmatur ex illo D. Augustini contra Donatistas, cap. 5. *efficere id quod incertum est, an sit peccatum, certum est peccatum.* Atqui pingere in die festo sine necessitate, incertum est an sit peccatum: immò certum, quia (tanquam opus servile, quod fit lucri gratiâ) prohibitum. Ergo, &c.

Minor etiam non est minus evidens: quis enim audeat affirmare se moralem habere certitudinem de honestate alicujus operationis, quæ magis ei videtur mala quàm bona: & de qua hoc practicum habet judicium. *Cum hac actio sit contraria precepto, legi, officio & honestati, probabilius est, hanc esse malam & illicitam.*

8. Hîc me non latet subterfugium eorum quos vocat Celladeus *Reflexistas*, qui ex reflexione supra Probabilitatem ex natura sua incertam, existimant sufficientem se rebus aut actibus conferrre certitudinem. Quasi verò nostra scientia aut reflexio esset causa rerum, & non potiùs causata à rebus: aut ille, qui cogitans non potest ad staturam suam adjicere cubitum unum: possit suâ cogitatione reflexa (quam magis obesse, suo loco, quàm prodesse, ostendemus) certitudinem quam ex se non habent, in rebus causare.

Signanter dixi reflexionem fieri ab Adversariis, supra Probabilitatem (quæ est ipsis loco hastæ & clypei.) Quæ reflexio suam secum fert confutationem: licet enim aliquando ex reflexione supra aliquod extrinsecum periculum, aliqualis pateat aditus justæ probabilitati, qualis est illa, quæ à Christiana prudentia adoptatur; ut cum Baptismus ob mortis periculum

confertur cum materia probabili & dubia in lixivio, v. g. omni aliâ deficiente materiâ certâ

Attamen quando supra ipsam Probabilitatem solummodò fit reflexio (ut volunt) tantùm abest ut Probabilitas prosit, aut ad securitatem conscientiæ sufficere possit, quin potiùs augeat scrupulum & peccati periculum. Potest enim quis aliquando excusari à peccato, saltem à tanto, ex indeliberatione aut motu repentino: At ubi fit ista reflexio supra nudam Probabilitatem, est plena deliberatio & advertentia, quæ perfectè ostendit illud esse probabile, nec Probabilitatis metas excedere, & consequenter semper remanere tantummodò probabile seu verisimile, ac proinde incertum; subindeque de ejus opposito, in re gravi, semper metuendum esse. Legatur interim Cardenas disp. 15. de Probabilitate, pag. 216. nu. 324. ubi aut nihil ait novi, aut impugnando P. Baronium, passim & ibidem nominatim ejus agit vindicias: admittit enim reflexionem ratione periculi in puero morituro, quem, ut aiebat Baronius, in eo casu baptizare licet in materia probabili, v. g. in lixivio, nunquam verò ratione Probabilitatis etiam reflexæ, quam unicè tuetur Cardenas.

Tertiò. Probatur ex Scriptura, Deut. 26. mandatur ut Dei præcepta custodiamus *ex toto corde & ex tota anima*. Et Ps. 18. dicitur: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*; id est, quantum quisque scit & potest. Itidem Matthæi 7. nobis præcipitur ut intremus *per angustam portam & arctam viam*. Sed nihil horum faciunt, qui opinionem minùs probabilem sequuntur & ambiunt, quæ hanc sine dubio latissimam viam instituit, quæ ducit ad perditionem: nam juxta opinionem minùs probabilem reperies apud Casuistas unde luxui, in pauperes crudelitati, avaritiæ, delitiis, symoniæ, usuris, vindictæ: unô verbô, omnibus ferè vitiis, quàm facillimè indulgeas.

9. Confirmatur. Si Apostolo 1. ad Thess. 5. v. 22. dicenti: *Omnia probate; quod bonum est tenete; ab omni specie mala abstinete vos*; palàm contradicere voluisset Philosophiæ Magister, ac contra ipsum omnibus suadere extremum salutis neglectum: quid, quæso, compendiosius aut efficacius ad id efficiendum dicere potuisset, quàm quod muto ore intonat evulgatâ hac suâ propositione: *Licitum est sequi opinionem minùs probabilem in moralibus relictâ probabiliori ac tutiori*; Id est, quæ magis apparet falsa quàm vera, & mala potiùs quàm bona? Hic enim est character inseparabilis, vel potiùs essentia opinionis minùs probabilis, prout à probabiliori distinguitur.

Quartò. Probatur eadem Conclusio. Sicut ad percipiendam temporis durationem Deus Opt. duplicem nobis regulam concessit, scilicet motum primi mobilis, & varia Mathematices instrumenta, puta horologia solaria, quibus primum hujusmodi motum certò percipiamus: Ita & pro directione vitæ, duplicem dedit nobis morum regulam; nimirùm legem æternam, & legem naturalem cordibus nostris insitam; quæ non potest habere rationem Regulæ operationis rectæ, nisi sit conformis legi æternæ, quâ Deus efficit (inquit D. August.) ut omnia sint ordinatissima; sicut nec horologii machina artificialis, potest esse justa motuum inferiorum mensura, nisi sit conformis primo Mobili, cujus motum imitetur ac sequatur.

Sed lex naturalis, seu dictamen illud rectæ rationis nobis inditum, vel ut loquitur Vates regius, illud signatum super nos lumen divini vultûs, quando opinionem minùs probabilem sequimur, nequidem apparenter aut in speciem legi æternæ conformatur; cum ex opinione huic opposita & probabiliore contrarium hujus conformitatis ostendatur. Ergo tunc exerrat illud dictamen, ac subinde non potest esse recta morum regula: & sicut pessimum esset horologium, quod sextam aut aliam ostenderet horam, eo tempore quô deberet duodecimam designare: ita & mala censenda est morum regula, opinio minùs probabilis, quæ ex se ducit in id quod potiùs falsum & malum judicamus, quàm verum & bonum: (In hoc enim è diametro opponitur opinio minùs probabilis probabiliori:) cum tamen proprium munus veræ regulæ moralis, sit certò & infallibiliter ducere in verum & bonum, quantùm fieri potest.

Quintò. Qui facit opus quod probabilius credit posse amico suo displicere, etsi etiam probabiliter credat non displicere; amicum contemnit, & manifestè peccat contra leges amicitiæ, quia sic agit, ut etiamsi contingat amicum lædi, non curet: si enim timeret illum lædere, vitaret omne periculum lædendi ipsum. Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem; v.g qui pingit in die festo sine magna necessitate, facit opus quod probabilius judicat Deo displicere: Ergo peccat contra legem amicitiæ, quam Deo super omnia tenetur exhibere.

Probatur sextò. Licet ignorantia invincibilis (quia tollit ab actu rationem voluntarii) excuset à peccato; non tamen ignorantia vincibilis, quæ voluntarium includit. Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, quam contingit esse falsam, & legi æternæ minimè conformem, relictâ probabiliore, quæ eidem magis videtur conformis: non habet ignorantiam invincibilem veritatis, sed vincibilem & culpabilem, tum quia ratione formidinis annexæ opinioni minùs probabili, errorem suum jam aliquo modo prævidet; tum quia veritatem etiam utcumque contemnit, probabiliorem relinquendo opinionem veritati conformiorem. Ergo ille qui sequitur opinionem minùs probabilem, faventem libertati, lucro aut voluptati, relictâ probabiliore stante pro lege, præcepto & honestate, non excusatur à peccato.

Confirmatur 1. ratione morali. Non debet homo esse minùs prudens & cautus in iis quæ ad salutem animæ spectant, quàm in his quæ ad vitam & sanitatem corporis pertinent: sed qui in istis uteretur opinione minus probabili, incautè, imprudenter & stultè ageret: v.g. qui medicamentum aut alimentum sumeret, quod probabilius putaret esse mortiferum, quamvis crederet minus probabiliter esse sanum: Ergo potiori jure imprudenter & malè agunt, qui æternam animæ suæ salutem opinioni etiam minus probabili committunt.

Confirmatur 2. ex inconvenienti. Nam semel admissâ hac præfatâ propositione de sequenda opinione minus probabili, ruit tota moralis Theologia: cum enim nulla ferè sit veritas moralis, quæ rationibus in contrarium agitari non possit: nulli dubium est quin successu temporis ex facultate opinandi, omnis morum regula averti possit, non solùm in præceptis humanis, verum etiam in naturalibus & divinis; cum de ipsis quandoque nobis

nobis rationes non suppetant evidentes; possitque quivis sagax falsas & apparentes excogitare rationes, juxta suum affectum, ut multis exemplis prosequitur noster Mercorus.

Denique ne actum agamus iterum, vide si lubet, quæ hac de re aliàs scripsimus de opinionum delectu; ubi ostendimus à præfata doctrina vagæ Probabilitatis abhorrere omnia vitæ humanæ officia, in quibus semper eligitur id quod est melius.

Vagam dixi, nam remissior non potest excogitari, quàm quod licitum sit sequi (ut vult P. S. Ju) opinionem minus probabilem, quâ, ut ibid. ostendimus, vel ut melius dicamus: ex principiis Probabilitatis qualia jaciuntur ab Adversariis, gravissima scelera quàm facillimè excusarentur, ut patet in peccato Adami, Evæ, Saülis, Robohami, &c. in quibus facilè reperiuntur omnia Probabilitatis principia à Defensoribus Probabilitatis posita.

SECTIO III.

Adversariorum hic precluditur subterfugium, & principalis conclusio roboratur argumentis & exemplis evidentioribus: Ac duplex formido in opinione necessariò distinguenda declaratur.

11. QUia superiùs Conclusione secundâ diximus nos posse & aliquando debere probabilem sequi opinionem, potissimùm urgente aliquâ agendi necessitate; duo hîc annotanda sunt ad evitandos Adversariorum cavillos. Primum, nos fateri omnem opinionem semper habere aliquam dubitationem sibi annexam. (Aliàs non esset distincta à scientia.) Unde meritò ait D. Bernardus, lib 5. de Consid. cap. 3. *Opinio, si habet assertionem, temeraria est.*

Attamen hoc est notabile discrimen inter dubitationem ex opinione etiam probabiliori relictam, quòd ille qui tunc juxta illam operatur, habet judicium moraliter certum: (facit enim totum quod potest, dum urgente agendi necessitate, sequitur id quod illi apparet probabilius & tutius:) secùs verò qui operatur cum dubitatione relicta, ex opinione minus probabili, spretâ aut neglectâ probabiliori.

Explicatur. Cum formido sit opinioni essentialis, impossibile est ut sit opinio, & ea sit expers omnis formidinis: semper enim opinio includit ac secum fert formidinem naturalem, quæ provenit 1. ex inevidentia rei: 2. ex debilitate argumentorum, quibus opinio munitur: 3. ex adversæ sententiæ paribus aut validioribus argumentis & rationibus.

At quando remanet formido ex opinione minus probabili (quæ formido, nedum naturalis est, sed & moralis) undequaque proveniat, qui tunc cum illa operatur, malè & imprudenter operatur, & maximè si proveniat ex prædicto capite tertio, scilicet ex validioribus contrariæ opinionis probabilioris rationibus. Unde ait D. Thomas, quodl. 8. a. 13. *Si ille qui habet plures prebendas in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, si manente tali dubitatione, plures prebendas habet, periculo se committit; & sic dubio procul, peccat: utpotè magis amans beneficium temporale, quàm suam salutem.*

Cum verò tantùm superest naturalis formido, neque ullum aut erroris aut peccati est periculum, ut in secunda Conclusione diximus, nihil vetat quominùs opinionem probabilem aliquando sequamur, & maximè in casibus expressis nonæ & undecimæ Conclusionis.

12. Alterum quod summoperè velim notatum, illos scilicet maximè hallucinari, qui existimant nos asserere absque ulla restrictione quempiam teneri semper sequi id quod in se ac verè est probabilius. Quod nunquam nobis venit in mentem, quodque dicimus humanam excedere facultatem: sed duo distinguimus. Primum, quod verè & à parte rei in se est probabilius. Alterum, quod licet in se fortassis non sit tale, tamen probabilius ab eo qui debet operari, æstimatur.

Primum igitur non suademus, quia, ut dictum est, sæpè excedit facultatem creaturæ, cui, ad hoc perfectè cognoscendum, necessaria quoque esset perfecta legum, Scripturæ, Traditionis & Conciliorum notitia, aliarumque innumerabilium rerum non mediocris peritia. Alterum verò quod tuentur Thomistæ, quodque existimamus necessarium, ut judiciô nostrô nunquam possit quispiam benè & prudenter agere, nisi id sequatur quod post sufficientem diligentiam secundùm Deum pro rei gravitate, ac suæ salutis æternæ intuitu (quam in omnibus in tuto debet habere) ei apparet probabilius: semper reclamante in oppositum conscientiâ, dubiis ac scrupulis vexatâ, si secùs operetur.

Sicque potest aliquando contingere, ut aliqua opinio sit in se probabilior, quæ tamen alicui minus probabilis videbitur, & ita eam sequi nequaquam poterit; & alia verè minus probabilis, quam nihilominus amplecti teneatur, ex eo solo quod ei probabilior videatur, idque propter proximam conscientiæ regulam, scilicet dictamen rationis, quæ est quædam legis æternæ (quæ dicitur summa ratio in mente divina existens) impressio & denuntiatio, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 19. a. 4. ad 4. *Licet lex æterna sit nobis ignota, secundùm quod est in mente divina; nobis tamen aliqualiter innotescit, vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliquam revelationem superadditam.*

Et qui sic agit, sufficientem habet certitudinem moralem legibus sibi concinentibus, suæque habens aliunde testimonium conscientiæ; quorum duorum defectu, frequentius peccatum committitur, ut ex D. Tho. statim dicemus. Quod ita indubitatum nonnulli arbitrantur, ut tanquam de fide certum id existiment ex illo ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Id est, quod fit conscientiâ reclamante, & synderesi exprobrante. Nam *quod est contra conscientiam* (inquit D. Thom. quodl. 8. a. 13. *est malum: ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit; sive habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* Verùm, si in testimoniis æqualibus, ut supra ostensum est, quis dubius seu anceps efficitur, impossibile est ut non inducatur in dubitationem, qui sequitur opinionem minus probabilem, libertati, lucro aut voluptati indulgentem: in concursu probabilioris, pro officio, lege, præcepto & honestate stantis.

13. Explicatur magis. Cum conscientia sit judicium, quod voluntati indicat, quid ipsa agere vel non agere debeat; conscientia dicitur erronea,

quando intellectus (quem voluntas sequitur) aliter de objecto judicat, quàm sit à parte rei, seu licitum æstimat, quod est illicitum; vel illicitum quod licet.

Quo ex malo fonte apud scrupulosos innumera scaturiunt peccata, secundùm majus aut minus pravum intellectûs judicium, quod sequitur voluntatis affectus. Ita quis existimans se certo tempore debere jejunare, aut à carnibus abstinere : cum tamen nulla sit tunc temporis abstinentia præcepta, nullumque indictum jejunium, si manente tali cogitatione, non jejunat nec abstinet, reus peccati efficitur secundùm qualitatem dubii.

Ratio fundamentalis est, quia bonitas nostrarum operationum pendet non tantùm à fine & circunstantiis, sed etiam & maximè ab objecto quod sit conforme legi æternæ. Verùm, quia ignoramus in multis quid lex æterna prohibeat, aut quid pro honesto ac licito admittat Deus Opt. pro secunda regula constituit nobis dictamen rationis, cui (ubi hæc certior regula non innotescit) obedire debeamus.

Et quamvis aliquando contingat illud dictamen esse erroneum, non propterea amittit rationem regulæ, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 91. a. 3. ad 3. *Quia*, inquit, *non oportet ut omnis mensura sit omninò infallibilis & certa; sed secundùm quod possibile est in suo genere.* Sicut igitur Rex prudenter præcipit militibus, ut in omnibus Tribuno obtemperent, quamvis posse aliquando errare Tribunum ipse prævideat; quia majus est bonum quod ex tali obedientia ut plurimum provenit, quàm malum quod ex opposito non nisi raro contingit: Ita convenientius divinæ Providentiæ visum est, nostræ voluntati præcipere, ut in omnibus, ubi veritas certa non eminet, rationis judicium sequeretur ex principiis moralibus naturaliter notis, quamvis prospiceret intellectum humanum ex innata sibi imbecillitate aliquando erraturum; & consequenter voluntatem tunc non fore prorsùs immunem ab errore. Et licet dictamen erroneum formaliter ut erroneum, non possit legi æternæ (quæ semper recta est) conformari : tunc saltem conformatur secundùm apprehensionem, in iis dumtaxat, quæ quis scire nec potuit, nec debuit : & quæ non sunt mala, nisi quia prohibita ; non verò in aliis, in quibus jus naturæ violatur; quod per se vix unquam latere potest, nisi fortè in quibusdam remotissimis conclusionibus.

Ex quo patet quàm graviter hallucinentur, qui existimant rem per se malam, posse fieri bonam & meritoriam ex fine & bona operantis intentione, quamvis ex se mala sit ex fine operis. Itaque exerto ore palam se reum confitetur Apostolus, seque hoc indignum nomine profitetur, quod Dei Ecclesiam persecutus sit : aitque misericordiam se consequutum fuisse, quòd ignoranter fecisset in incredulitate, quam si à tanto potuit in eo legis æmulatio seu zelus excusare, non tamen à toto, nec illam adeò injustam persecutionem efficere meritoriam, ut commenti sunt quidam Neoterici, de quibus infra fusiùs in 1. appendice.



SECTIO IV.

Ultra metas justæ excusationis extenditur ignorantia juris naturalis à Defensoribus Probabilitatis, qui maximè hallucinantur, cum ex ignorantia juris positivi etiam divini, ad ignorantiam juris naturalis similem trahunt consequentiam.

14. Dixi jus naturæ vix omninò latere posse. Nam, ut ait D. August. *Nullus est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit : & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati.*

Et enarrat. in Ps. 57. *Quis de justitia*, inquit, *interrogatus, quando non habet causam, nonne facilè respondet quid sit justum? Quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripserit (Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri) Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, etiam quibus non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant, &c. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecùs admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.* Cui, ut ait sanctus Præsul, *non deputatur ad reatum, quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, sed quia scire non studuit, nec dignum facultati comparanda operam dedit.* Legendus sanctus Antistes, lib. 3. de lib. arbit. c. 19. Excusare ergo potest ignorantia invincibilis facti & juris positivi etiam divini. At longè difficilius excusabit ignorantia juris naturalis.

Rationem assignat D. Thomas 1, 2. q. 94 a. 6. *Quia* (inquit) *communissima legis naturæ præcepta (quæ sunt veluti cognitionis nostræ semina) sunt omnibus nota.* Et quamvis circa aliquas conclusiones aliquis errare possit ex passione, vel mala consuetudine, non tamen desinit in hoc peccare & transgredi legem naturæ: unde ait D. Thomas ibid. a. 5. *Apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum (cum tamen sit expressè contra legem naturæ) ut refert Iulius Cæsar.* Qui proinde à peccato minimè excusandi erant: tùm quia faciebant alteri quod sibi nolebant fieri : tùm quia, ut ait D. Thomas infra laudandus, *quod est contra legem semper est peccatum : & si fortè ignorantia excuset à tanto, non tamen à toto.* Et sicut ille non excusatur ab homicidio, qui culpabiliter inebriatus hominem occidit, ita nec is qui pravum habitum contraxit excusandus erit à peccatis quæ ex eo postmodum perpetrabit: quod tùm maximè contingit quando talis ignorantia est pœna peccati, ob quod super illicitas cupiditates resperguntur pœnales cæcitates, id est, justè à Deo in tenebris relinquuntur peccatores. Unde ait D. August. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Illa peccati pœna justissima est, ut amittat unusquisque, quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet: id est, ut qui sciens recta non facit, amittat scire quod rectum sit: & qui rectè facere cum posset, noluit: amittat posse cum velit.* Lege Scripturam de Antiocho: aliisque perditissimis, qui etsi cum in profundum venerint contemnant & in rebus pessimis exultent ac lætentur cum male fecerint, non idcircò excusantur a gravissima transgressione le-

gis naturæ, quam ex toto sic nemo delere potest, quin ut ait D. August. in Ps. 57. in eo *adsit conscientia accusatrix: tortor, timor: & si vox veritatis non clamet in ore, vociferetur tamen in corde.* Et qui secùs sentiunt aut suadere nituntur, non parùm hæreticis favere videntur asserentibus liberum hominis arbitrium fuisse penitùs extinctum per primi hominis peccatum.

15 Nec minùs aberrare à veritate existimantur, qui ex ignorantia invincibili legis positivæ etiam divînæ, ad invincibilem legis naturæ ignorantiam, similem trahunt consequentiam & argumentantur. Ratio enim discriminis est aperta: quia quæ sunt juris positivi non habent necessariam connexionem cum lumine naturali, sicut ea quæ sunt ex lege naturæ, quæ etsi infirma sit, potest tamen aliquando convalescere: Neque nos voluit Deus opt. relinquere sine hoc semine, ne sicut Sodoma & Gomorha essemus. Unde ait D. Augustinus lib. 2 de serm. Domini in monte cap. 9. *Nullam esse animam quantumvis perversam, in cujus conscientia Deus non loquatur.* Seu ut idem loquitur lib. 3. de lib. arb. c. 9. *cum Deus ubique sit præsens* multis modis per creaturam sibi servientem aversum vocat: docet credentem: diligentem exhortatur; conantem adjuvat: exaudit deprecantem. Legendus de Gen. ad litt. lib. 1. cap. 5. & nominatim lib. 1. de pecc. merit. cap. 36. *Etsi damnabiliora* (inquit) *peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur: tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hic non legeremus: delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Quod confirmat ex illo Salvatoris Lucæ 12. (Seruus qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis; vapulabit paucis.) Sancto Præsuli concors est D. Greg. homil. 31. in Evang. *Tertiò* (inquit) *Dominus vineæ ad ficulneam venit: quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisivit: venit ante legem* (nota) *quia per naturalem intellectum quod unusquisque exemplo sui erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quia præcipiendo docuit: venit post legem per Gratiam, quia suæ pietatis præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur.*

SECTIO V.

Prædicta doctrina quæ nimium indulget ignorantiæ juris naturalis, magis profligatur, Authoritate præsertim D. Thomæ.

16. Consueta sua subtilitate hoc explicuit Doctor Angelicus de verit. q. 17. ar. 4. ubi inquirens *Vtrum conscientia erronea liget?* ad 3. ait: *Dicendum quod conscientia erronea errans in his, quæ sunt per se mala, dictat contraria Legi Dei: quamvis conscientiam sequens, & eam opere implens contra legem Dei faciens mortaliter peccet: quia in ipso errore peccatum erat, cum contingeret ex ignorantia ejus quod scire debebat.*

Cumque sibi objecisset Dominum temporalem non imputare ad peccatum quod committitur ex errore: & potiori jure Deum opt.

Ad 5. ait, argumentum hoc *concludere verum quando ipse error non est peccatum: utpote cum contingit ex ignorantia facti. Si autem ex ignorantia juris est; sic non concludit quia ipsa ignorantia peccatum est: sic enim apud judicem sæcularem non excusatur, qui ignorantiam juris, quod scire debet, allegat* Hæc Doctor Angelicus.

Quales verò sint illæ conclusiones à primis Morum principiis remotiores, ad jus naturæ spectantes, in quibus delinquens aliquando possit aut debeat à peccato excusari; ut communiter dicunt: Existimo posse id contingere in quibusdam præceptis negativis & præcipuè aliqua circumstantia vestitis: v.g. qui existimaret se licite posse quidpiam furari ad dandam eleemosinam: vel mentiri ad propriam vel alienam vitam tuendam: At an per id, quod dixit D. Thomas, ex illa quæ est contra legem, ignorantia, propter quam (inquit) *Excusatur fortè quispiam à tanto, non verò à toto.* An (inquam) per illud diminutivum, id ipsum quod ex genere suo erat mortale: fiat tantùm veniale, propter talem ignorantiam; subtilioribus & audacioribus ex animo definiendum relinquo. Dicere verò (ut quidam volunt) peccatum contra æternam legem, non esse verum peccatum nisi sit ex malitia aut ignorantia crassâ; existimo id esse falsum & contra expressam mentem D. Thomæ, periretque ab eo posita divisio quodl. 8. juxta quam aliquis peccat aliquando contra legem & non contra conscientiam, ut legenti patebit: & secùs, numquam esset materialis transgressio legis, quin esset & formalis: prædicta enim & quæ sequuntur, tantummodò inserenda duxi, ut omnibus innotescat, quantum abhorreat communis Sanctorum Patrum doctrina, ab hac lata ignorantiæ invincibilis, præsumptione, in qua præsidium tale sibi constituunt Moderni, ut peccatum esse non existiment nisi perfecta fuerit mali evidentia: Cum tamen Christiana à nobis exigat prudentia, ût non solùm ab aperto malo declinemus, sed etiam ab omni specie mala caveamus: dixi hanc esse communem Sanctorum Patrum doctrinam: Etenim ut D. Bernardi Epist. 77. ad Hugonem, verbis utar; *Illorum tantùm sententias opponimus & verba proferimus.* Qui loquens de nova Christi lege positiva, quæ non obligabat ante sufficientem illius promulgationem, statimque adjungens differentiam legis naturalis, ait: *neque enim tale est hoc, quod & absque promulgatione, naturalis lex ignorare non sinit, quale v.g. est illud: Quod tibi non vis fieri, alti ne feceris.* Et ibid. *Is forsitan (inquit) qui asserit non posse peccari per ignorantiam, numquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem; Delicta inventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forsitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem .... Si peccatum ignorantiæ nullum est: non ergo peccavit Saulus ...: Quid causamur ergo adversus occisores Apostolorum .... (qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo?) sed & frustra in Cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus (ipso teste) quid facerent & ita nequaquam peccantibus* legatur totus S. Bernard. At, quid quæso dixissent S. S. Patres de fictitia illa & hactenùs inaudita vitali Cardenæ ignorantia ab ipso excogitatâ, quâ omnem opinionem etiam minus probabilem imbuit, quamque dicit invincibilem: cum tamen omni jure vinci debeat ac possit delectu opi-

nionis probabilioris ac tutioris, pro lege, officio, & honestate stantis; ob rationes superius allatas, aliasque fusius expendendas, ex quibus evidentissimè colligitur, temerarium esse legibus sic illudere ex tricis prætensæ hujus ignorantiæ invincibilis vitalis aut aliis glossis humanæ rationis per Probabilitatem excogitatis: quib. coërcendis ac regendis necessaria est disciplina cœlestis, quæ ut ait D. August tom. 1. lib. 2. de Ord. c. 8. *Est ipsa Dei lex, quæ apud eum fixa est & inconcussa*: cujus participatione rectè regimur dum probabiliora, tutiora ac saluti viciniora sincerè intuitu ultimi finis æmulamur ac sequimur: quod ut facere possemus, data est nobis à Deo Synderesis, quæ est habitus naturalis primorum principiorum moralium, qui se habet determinate ad bonum, ut ait D. Thom. 1. p. q. 79. ar. 12. & 13. non verò indifferenter ad bonum & malum; utpotè quod est proprium Probabilitatis officium. Quare etsi rationem debeamus consulere, non tamen integra fides est ipsi in dubiis adhibenda; ubi certionem regulam habere potuerimus: unde ait D. Thomas 1. 2. q. 19. a. 6. ad 2. *Lex æterna errare non potest, sed ratio humana potest errare: & ideò voluntas concordans rationi humanæ, non semper est recta: nec semper est concordans legi æternæ.*

Ut autem Supremus Moderator Deus, huic malo quantùm in ipso erat, mederetur: supernæ ac certionis alterius legis singulari munere nos donavit; quam ut magis confirmaret incarnatus est ejus Unigenitus, inquit D. Thomas 3. p. q. 1. a. 2. *Ad rectitudinem operationis in qua nobis se exemplum præbuit.* Cui in his quæ palam prohibet aut præcipit, non licet contradicere ex tricis & adinventionibus rationis humanæ quæ tota in hujusmodi videtur occupata pro defensione Probabilitatis. Totius hujus doctrinæ Fidejussorem habemus Angelicum Doctorem passim, & locis supra citatis, maximè verò, in hæc verba Job (indica mihi cur me ita judices) *Sciebat enim* (inquit) *quod rationis investigatio ad veritatis terminum pervenire non potest, nisi divinitùs doceatur.* Quæ ergo major rerum subversio, quam velle de fide per rationem judicare: cum potiùs ratio humana utpotè defectibilis, sit per fidem & authoritatem divinam corrigenda, quæ est suprema & infallibilis Regula?

SECTIO VI.

Hic in antecessum ostenditur periculosum Probabilitatis Axioma ex aliena conscientia accersitum: in ultimo cuniculo prorsùs confutandum. Nec securior est speciosus Probabilitatis prætextus, quòd lex pœnalis non obliget in conscientia.

17. URgeo magis. Hoc lumen Divini vultus supra nos primò signatum, & in decalogo veluti accensum denuò; quamvis in multis obscuratum, numquam tamen totaliter fuit extinctum: cum in ipsis rebus practicis relicta sit nobis Synderesis, & ab ea procedens conscientia, quæ sunt veluti Censores domestici, ac fidelissimi Animæ Pædagogi quibus numquam potest os obstrui, dum aliquid mali agimus.

Sed quia nec illorum ferre censuram, nec ipsis silentium valebat imponere Probabilitas: mira calliditate conata est has ab invicem separare, & conscientiam domô pellere ac procul abigere: Suadens (contra dictum Apostoli 1. cor. 10. qui nolebat libertatem suam ab aliena conscientia judicari) veram agendi libertatem non nisi in aliena conscientia certò reperiri: asserens in dubiis & obscuris, in quibus quispiam conscientiâ propriâ quasi fræno (ne in actum temerè prorumpat ac se præcipitem det) cohibetur ac retinetur à Deo: nullum debere in semetipso sistere, aut propriam consulere conscientiam: sed posse illam inquirere in Casuistarum libris, quos tandiu evolvi posse sinit Probabilitas, donec in eorum aliquo, aliquam reperias conscientiam, tuo affectui indulgentem, quam tutò sequi possis, Synderesi etiam arguente & propria conscientia reclamante. Sicque nos absolvit ab audienda & sequenda propria conscientia, & loco unius, tot nobis conscientias concedit, quot sunt opiniones Probabiles in Casuistarum libris.

Hic fortasse videbor alicui, nugas aut paradoxa fari. Verùm nemini imponimus: nihil enim aliud, quam quod dico: voluit Escobarius ex Sanchez, Sayro & aliis. Ille siquidem in decal. lib. 1. cap. 9. nu. 6. sic ait *accidere solet, ut tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium convincens videatur: sed non inde opinio Probabilitatem amittit: quia licet tu illam non valeas solvere rationem: alius solvere quibit: idque tibi persuadere debes, cum sæpè multa tibi rationes insolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio solventur: quare imprudenter te geres, si ob hanc causam, aliorum opiniones, quæ ut Probabililes circumferuntur, ut improbabiles abdicares: lege praloquium ejus Theologia Moralis.* Atqui in uno v. g. Dianæ libro tria circiter opinionum probabilium millia circumferuntur. Tot ergo conscientias habebo? Quoties igitur (etiam meritissimè) ero irretitus aliqua difficultate & propria prohibebit conscientia, ne ulterius progrediar, donec certior ac securior de veritate efficiar: ne certo me exponam erroris aut peccati periculo: statim accurret Probabilitas, quæ omnium difficultatum ac dubitationum dissoluat nodos, hîs aut similibus nuperis Axiomatibus, *quod tibi videtur insolubile: alius solvere poterit. Quod tu cum Scriptura aut Patribus nequis, conciliabit alius.* Sicque à propriæ conscientiæ legibus perfectè absolvimur; Porro, si is, qui duas habet Religiones, jure merito apud omnes, nullam censetur habere Religionem: quî quæso mihi persuadere potero, eum propriam habere conscientiam; cui in uno Authore (ut de cæteris taceam) ter mille ad minus sunt conscientiæ: id est: tot, quot sunt opiniones in eo existimatæ Probabiles: inter quas *benigniores* (inquit Caramuel) *etsi aliquando minùs probabiles (id est, magis voluptati & corruptioni indulgentes) per accidens erunt securiores* Proh infœlicem & periculosam securitatem!

20. Viden mi lector, quomodo Probabilitas vires acquisierit eundo? in principio exigua erat scintilla, quæ actus humanos asserebat contra Thomistas, esse posse indifferentes in individuo: & contendebat saltem in scholis, ubi de moribus & fide non ageretur, posse propugnari opiniones etiam minùs probabiles. Jam verò neque moribus & Sacramentis, neque à rebus fidei opinio cohibetur. *Opinari (inquit D. Bern. lib. 5. de consid.*

consid. cap. 3. *est quasi pro vero habere, quod falsum esse nescias.... Et opinio (inquit) si habet assertionem temeraria est.* At, quod ille vocat *temerarium*, id ipsum dicunt Adversarii *prudens & certum* & quod est magis stupendum, non tantùm opinioni defertur, sed meræ imaginationi. Quis enim tibi dixit, id quod supra dictum est, quod quetanquam certum asserunt; nempe *alium solvere posse difficultatis nodum, qui te debet coram Deo & hominibus irretitum detinere, donec certior fias? Quis unquam periculosius ominatus est? Indicas te mortaliter peccaturum propter rationem & argumentum quod ita convincens & efficax judicas, ut illud solvere nequeas. Sed quid moraris? inquiet audax Antithomista, alius solvere poterit.* Cui sic repono: Unde scis, quod alius hunc nodum solvere possit? Sed quid tandem si reipsâ non reperiatur, qui solvat, ut non raro contingit ex rei obscuritate & periculis imminentibus, ob quæ subinde debeas ab operatione abstinere? & quæ major temeritas, quam his non obstantibus in actum prorumpere? An propriâ nos accusante conscientiâ coram Supremo Judice (inquit Episcopus Mechlinensis) quod hanc vel illam legem transgressi fuerimus; *jubebit Deus inquiri & accersiri hujusmodi Magistros, qui nos suis argutiis faciant excusatos ac tueantur*: ubi non de re modica agitur, sed ut nostri loquuntur Æmuli, *ubi de æternitate alea jacitur?* Certè vix poterat Moralis Theologiæ laxitas altius ascendere: Nec de facili dici potest, quâ arte potuisset quispiam (ut attentius consideranti patebit) magis laxare habenas Probabilitati; quàm fit ab ipsis, qui velle se eas restringere spondebant; idque præfato axiomate, quô pejus aut periculosius non fuerat hactenùs excogitatum: juxta quod securitas salutis non in lege aut propria, sed ex alia constituitur conscientia: ex qua incognitum toti Antiquitati formatur Probabilitatis Idolum, quod in statera appenditur cum omnibus Dei legibus, quibus apertè illuditur, aut prætextu fucato insufficientis promulgationis: aut defectu obligationis in conscientia, quam denegant legibus humanis & maximè pœnalibus, reclamante Angelico Doctore, 1. 2. q. 96. a. 4. ubi asserit legem humanam ab æterna per naturalem derivare: juxta illud Prov. 8. *Per me Reges regnant: & legum Conditores justa decernunt: ex qua vim obligandi depromit lex humana: Ecclesiastica quidem*) ut definitum est in Conc. Const. sess. 8. ex illo Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et ex illo Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus:* Civilis verò etiam pœnalis juxta illud ad Rom. 13. *Qui potestati resistunt, damnationem sibi acquirunt*: quod negare contra communiorem Sanctorum Patrum sententiam, esset valde temerarium: cum ad sic obligandum non requiratur potestas spiritualis in Principe, sed sufficiat per suam legem aliquid posuisse in genere virtutis & obedientiæ, cujus contrarium subinde sit vitium.



P

SECTIO VII.

Hic specialis instituitur justificatio Angelici Doctoris à remissa Laxitate Moralis Theologiæ, falsò à P. S. In ipsi affecta, sua universali proposit.one: Et apertissimæ fiunt illius vindiciæ à turpissima incusatione. Feret sententiam S. Bernardus.

Nu. 21 VT igitur ad D. Thomam deveniamus; quem si Philosophiæ Magister numquam legerat, ipsum non debebat tantâ præfidentia citare ceu Authorem vel Patronum •Propositionis omnium remissisſimæ (quâ unâ, omnes aliæ, ex quibus nonnullæ tanquam infames & scandalosæ sunt jam condemnatæ) instaurantur. Si verò legerat: nescio quî possit à gravi dissimulatione excusari: cum relictis innumeris D Thomæ testimoniis, sparsis in Thomistarum libris: in uno P. Goneti volumine, editionis in folio, pag. 274. & sequentibus, 28. Probabilitatum Monstra (ut ipse loquitur), ex ipsis D. Thomæ principiis confodiantur: ita ut doctrina illius vere dici possit Probabilitatum malleus: vel potius spiritualis hujus Herculis Clava, quâ omnes Adversariorum conatus ac tota Probabilitas remissa conteruntur.

Melius ergo Angelicum Doctorem tuebimur ex propriis ejus scriptis, quàm ullis aliis rationum momentis. Quare ipsum audiamus ubique docentem, non tantùm finem debitum esse in omnibus respiciendum, ut suus sit prudentiæ locus, sed & observandam esse regulam, contra quam si quis operetur, peccet, etiamsi finem consequatur. Ita de Malo. q. 2. ar. 1. *In peccato (inquit) duo possunt attendi: scilicet recessus à regula: & recessus à fine..... Si Medicus secundum artem det potionem & infirmus non sanetur, vel quia habet morbum incurabilem: vel quia aliquid contra suam sanationem (infirmus) agit; Medicus quidem non peccat, licet finem non consequatur. Si autem è converso finem consequeretur, sed tamen à regula artis diverteret; nihilominùs peccare diceretur. Ex quo patet, quod magis est de ratione peccati præterire regulam rationis, quàm etiam deficere ab actionis fine. Hoc est ergo de ratione peccati, sive in natura, sive in arte, sive in moribus, id quod opponitur regulæ rationis..... In ratione autem & etiam in lege divina ex quibus nostri actus regulari debent, sunt præcepta, &c.* Porrò si quis agens contra regulam, à peccato minimè excusetur etiamsi finem debitum (ut ait) consequatur: multò minus à peccato erit immunis, qui ab utroque deficiet, quales sunt Probabilitatis Defensores, quorum omnes conatus in eo positi sunt, ut fucatis verisimilitudinibus illudant præceptis ac ipsius Dei Legibus. Hoc expressit S. Doct. in hæc verba Ps. 38. *In imagine pertransit homo. Duplex est (inquit) cognitio: una, quâ cognoscitur veritas, & hæc est certa: alia est per verisimilitudinem: & hæc est quasi cognitio imaginis, quâ non attingit ad ipsam veritatem, sed ad similitudinem veritatis.* Hanc autem cognitionis speciem non excedit probabilitas essentialiter in verisimilitudine consistens.

22. Sed ne Sanctum Doctorem exscribere cogar; breviter dicam: Non mi-

nùs sectari debent spirituales Medici certiora, nec non efficaciora in expurgandis Animarum sordibus adhibere remedia: (ut per se patet) quàm Medici corporales in sanandis corporum morbis: ideòque quoties emergit aliqua dubitatio; verior opinio est eligenda evitandæ deceptionis aut erroris gratiâ: & tutior est præferenda ad effugiendum peccati periculum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 60. ar. 4. ad 3. *Cum debemus (inquit) aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ut securius remedium adhibeatur.* Iisdem ferè verbis idem ait 3. part. q. 83. ar. 6. ad 2. Ex quibus vel solis opinio minus probabilis profligaretur sufficientesque essent vindiciæ D. Thomæ.

Probatur ejusdem S. Doctoris ratione fundamentali; ex qua totus Probabilismus quem hic impugnamus, exulare cogitur: nimirùm ex quodl. 8. q. 6. ar. 13. ubi enumerans modos, quibus peccatum committitur ab eo, qui à Doctorum opinione seu à Dei lege recedit;

Primò peccat quispiam (inquit) duobus modis, aut faciendo contra legem: aut faciendo contra conscientiam. Ex quo deducit id quod est contra legem, semper esse malum; nec excusari per hoc quòd sit secundùm conscientiam. Sic enim excusarentur persecutores Apostolorum; qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo.

Secundò etiam deducitur esse peccatum, quod est contra conscientiam, quamvis non sit contra legem: & inde proveniunt peccata quæ fiunt ex conscientia erronea. Tertiò, ait D. Thomas ibid. duobus modis peccari contra conscientiam. Primò, Si quis habeat certam fidem de contrario ejus quod agit. Secundò, Si habeat opinionem cum aliqua dubitatione. His præmissis, sic argumentor. Si quis ex rationum seu probationum æqualitate in dubitationem ac suspensionem inducitur, ut evidenter supra ostendimus: longe potiori jure fiet anceps & dubius qui opinionem minùs probabilem sequetur. Ergo è diametro opposita est hæc probabilitas Doctori Angelico, ac subinde falsò ei impositâ à Magistro Philosophiæ.

23. In præfato D. Thomæ testimonio, unum est, quod non sit obiter pretermittendum: scilicet. *Id quod est contra legem, semper esse peccatum, nec excusari per hoc, quòd sit secundum conscientiam.* Unde Adversariorum subterfugium manifestè excluditur: quô, ex probabilitate, & bonæ intentionis directione existimant factum aliquod contra æternam Dei legem, aliquando excusatum iri & meritorium fieri. Nam hoc est contra expressam D. Thomæ Authoritatem, cujus divisionem confundunt, quâ S. Doctor asserit eum peccare, qui sine dispensatione & rectâ intentione plures habet præbendas: si contingat opinionem, id licitum esse existimantem, esse contra legem. At ibidem non loquitur Doct. Angel. de his quæ sunt apertè contra legem: nam in his, non tantùm peccatur contra legem, sed etiam contra conscientiam: ut per se patet. *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit & damnationem sibi acquirit.* Si ergo ex Doctore Angelico datur casus in quo sit peccatum, quia contra legem tantùm: potiori jure erit peccatum, quando erit contra utrumque, id est, & contra legem & contra conscientiam probabilem, ut contingit in opinione minùs probabili, relictâ probabiliori. Est etiam præfatum subterfu-

gium contra veram Philosophiam, juxta quam, *bonum est ex integra causa*, cui nihil deesse debeat, sive ex objecto seu ex fine operis, sive ex fine operantis, cum malum sit ex singulis defectibus. Prædictis adjicere poteris primò id quod ait S. Doctor quodl. 3. q. 4. ar. 2. *In his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri.*

At, quid magis oppositum opinioni minùs probabili? Secundò, Adde id ipsum quod etiam docet D. Thomas quodl. 9. ar. 15. (nunc q. 7. ar. 2. *Omnis quæstio (inquit) in qua de peccato mortali agitur; nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè* (nota) *à tanto. Error verò, quo creditur esse mortale, quod non est mortale ex conscientia (scilicet erronea) ligat ad peccatum mortale*; Atqui non habetur veritas expressè, ac proindè periculosè determinatur. *Quando (inquit D. Thomas) Theologi contraria sentiunt.* Porrò ex hoc nullum est apud Adversarios peccati periculum, juxta quorum doctrinam, omnis opinio etiam minus probabilis (id est, quæ magis apparet falsa quàm vera) est tamen tuta Morum Regula. Ergo Neotericorum Probabilitas toto cœlo differt à D. Thomæ Doctrina, quâ asseritur peccari aliquando ex eo quod quis agat contra conscientiam, etiamsi non agat contra legem: at juxta Probabilitatis Defensores, & ex hoc illorum Axiomate *argumentum quod solvere non potes, alius solvere poterit;* debet quisque aut saltem facile potest sibi persuadere; ab aliis facillimè solvendas fore difficultates & rationes contrarias, propter quas, scrupulis, immo & dubiis meritò vexatur, aut saltem justâ animi suspensione seu anxietate detinetur: & sic numquam peccabit contra conscientiam: quod est manifestè contra Doctorem Angelicum & torrentem Theologorum.

24. Parum aut nihil hactenùs à me actum pro defensione doctrinæ D. Thomæ existimarem: si unum hic quo abutuntur adversarii dissimularem. Inquirens enim D. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. *Utrum voluntas discordans à ratione errante sit mala?* Respondet affirmativè: & probat in argumento *sed contra* ex illo ad Rom. 14. (omne quod non est ex fide, peccatum est.) Id est, inquit, *omne quod est contra conscientiam.* Quod fusiùs expendens in corpore articuli, ait *aliquod bonum propter apprehensionem rationis, posse rationem mali induere, putà, abstinere à fornicatione, quod bonum est.*

Ex quo testimonio, quasi verò eadem esset ratio boni & mali, nec plura ad bonum (quod est ex integra causa) requirerentur; quàm ad malum (quod contingit ex singulis defectibus) nonnulli ita fuerunt decepti, ut existimarint, fornicationem ex conscientia erronea posse bonam esse, idque ex mente divi Thomæ: quod certè est ipsi omninò injuriosum, nec minùs ejus doctrinæ contrarium.

At Antithomistæ longè cautiùs ex citato art. quàm ex quovis alio, nobis insidiantur: cum enim D. Thomæ non audeant adeò palam contradicere: illis tamen admodum durus est sermo, quô ait quodl. 8. citato, *quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam.* Neque minùs eos gravat, quod ibid. ait S Doctor, *quod est contra legem, semper est peccatum: nec excusatur per hoc, quod est*

secundùm conscientiam: & ut ipsis liberum sit secundum hoc D. Thomæ testimonium infringere, conantur ex art. 5. supra citato ex 1. 2. q. 19. ostendere D. Thomam sibi contrarium esse: asserentes juxta ipsum ex conscientia erronea ipsam fornicationem (quæ mala est & contra Dei legem) posse fieri bonam: qua in re non distingunt invincibilem factorum ignorantiam ab ignorantia juris naturalis, ut faciliùs Lectores ludificentur. Nec tamen desinunt sancti Doctoris super se nomen invocare, seque veros esse illius Magistri discipulos asserere, ac ipsum reluctantem & invitum apud incautos ciere: qua in re longè graviùs eum offendunt, quàm milites, qui fratrum suorum carnalium nomine (ut eum à religioso proposito revocarent) suæ Religionis habitum lacerarunt. Nam tùrpitudo doctrinæ quam ipsi conantur affingere, miserandum in modum, vitæ ipsius innocentiam denigraret, atque illius sanctimoniam labefactaret.

Et quia hactenùs hi Casuistæ noluerunt retractare, quod toties docuerunt, scilicet ex duabus propositionibus contradictoriè oppositis de eodem objecto, vi Probabilitatis ambas esse tutas; sequentes subindè coguntur deglutire pillulas, nimirùm *quidpiam falsum & legi Dei contrarium, non solùm fore ab omni peccato excusandum; sed & bonum & vitæ æternæ meritorium esse.*

Et quoniam hoc auditô, omnes obstupescunt, & scandalum patiuntur quotquot *immaculatam Dei legem* esse sentiunt, ut hoc scandalum amoveant Adversarii, fucum rebus conantur efficere authoritate D. Thomæ asserentis loco supra citato ex 1. 2. q. 19. a. 5. *Abstinere à fornicatione (quod est bonum) posse fieri malum ex conscientia erronea.*

Ex quo inferunt (sed malè omninò) ex eadem conscientia, bonam fieri posse fornicationem. Sic enim ratiocinantur. Non potest ex utraque parte esse peccatum (scilicet abstinere à fornicatione, & non abstinere;) sed qui abstinet ex conscientia erronea, peccat juxta D. Thomam: ergo juxta eundem non peccabit qui eidem vacabit, si ei ex eadem conscientia erronea videatur ei licita fornicatio, aut existimetur necessaria. Et cum non sit valdè insolitum ex falso & malo principio, falsam & adhuc pejorem deducere consequentiam: sic rursùm argumentantur.

25. Si juxta D. Thomam ex conscientia erronea à malo quispiam excusetur, etiam dum agit contra legem Dei æternam: cur itidem non excusabitur ex Probabilitate, seu ex conscientia probabiliter existimante se bene agere? Et quidem potiori jure id (inquiunt) præsumendum est; ita ut idipsum quod fortasse continget à parte rei esse falsum, & Dei legi contrarium, sit bonum & meritorium; quia ex regulis Probabilitatis omni errore melioribus, aliquid æstimatur bonum. Sic ratiocinantur Adversarii, & vehementer conqueruntur, quod ipsis non omnes assentiantur, & nominatim Cardenas, qui expostulat quòd plures debitâ reverentiâ Probabilitatem non venerentur, ut fusiùs infrà referemus. Quasi verò falsa aut probabilis nostra æstimatio, rebus per se & intrinsecè malis veram possit conferre bonitatem.

At, ut in re tam gravi, à tantæ labis suspicione evidentiùs expurgatam ostendamus D. Thomæ doctrinam: hîc unum dicam ex D. Augustino, quod fortasse non judicabitur omninò extra Chorum. Quando aliquæ fiunt rerum com-

parationes, illæ non sunt ex omni parte accipiendæ, sed tantùm secundùm id ad quod significandum fuerunt assumptæ. Sic sanctus Doctor in hæc verba Ps. cij (Renovabitur ut Aquilæ juventus tua,) ait: *Data est similitudo quantùm de re mortali potest trahi ad rem utcumque significandam immortalem, non ad demonstrandam.* Et ita, sive renovetur, sive non renovetur Aquila, alterum stabit (scilicet vera immortalitatis renovatio) ad quam significandam fuit assumpta similitudo ex Aquila. Sic in præsentiarum ex opposito principio, si aliqua fiat comparatio inter bonum & malum: ita ut bonum fiat malum ex conscientia erronea: v. g. si quis existimet dandam esse eleemosynam ad captandam vanam gloriam; non sequitur ex regula contrariorum, id quod est malum: per nostram æstimationem fieri bonum, cum hæc duo immanè differant.

Explicatur magis. Quando dixit Doctor Angelicus abstinere à fornicatione (quod est bonum) posse esse peccatum ex conscientia erronea: nunquam dixit, ex eadem conscientia, posse fornicationem esse bonam: nam existimatione nostra bonum non causatur in rebus, nec per eam natura rerum immutatur, sed ab ipsis scientia nostra accipitur: & sola Dei scientia est causa rerum, sicut scientia Artificis est causa arte-factorum, ut ait D. Thomas, 1. p. q. 14. a. 8.

26. Dices ex D. Thoma 1. 2. q. 19. a. 5. *Illud quod est malum potest accipere rationem boni.* Ergo, &c.

Resp. dist. Ant. *Potest accipere rationem boni*: Boni existimati, concedo: Boni realis ac veri, nego Antecedens. Explicatur. Sicut id quod est bonum secundùm sensum, dicitur bonum & delectabile, & verè est tale secundùm prædictum sensum: quod tamen non impedit quin sit malum secundùm rationem. Ita quod dicitur bonum secundùm conscientiam erroneam seu falsam æstimationem nostram; reipsa malum est, secundùm rectam rationem, juxta quam debemus ferre judicium de rebus.

Ratio hujus jam fuit superiùs assignata ex D. Thoma, quia *quod est contra legem*, inquit, *semper est peccatum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam.* Unde art. 5. citato absolutè concludit sanctus Doctor in hunc modum: *Omnis voluntas discordans à ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.* Quid clarius?

Confirmatur 1. ex. D. Thoma ibid. art. 6. seq. ubi licet per ignorantiam *facti*, seu ex aliqua circunstantia, absque omni negligentia provenientem, agnoscat tolli voluntarium, ac proinde quempiam posse à peccato excusari: non tamen admittit ignorantiam legis (qualis est naturalis) quam quis potest ac debet scire: Unde ait: *Si ratio errans dicat quod homo teneatur accedere ad uxorem alterius, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eò quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Quod rursùm confirmat ad 2. *Ratio humana*, inquit, *potest errare; & ideò voluntas concordans rationi humanæ non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ.* Et discriminis rationem inter bonum & malum ibid. assignat D. Thomas ad 1. Quia (inquit) bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus: Et ideò ad hoc ut dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit: sive quòd secundùm suam naturam sit malum: sive quod apprehendatur, ut malum. Sed ad hoc quod sit bonum, requiri-

tur quod utroque modo sit bonum. Legendus D. Tho. in cap. 7. ad Rom. lect. 1. Item ad Galat. c. 3. l. 3.

27. Confirmatur 2. ex eodem sancto Doctore, quodl. 8. q. 6. a. 15. ubi postquam distinxit ignorantiam facti (quæ aliquando excusat à peccato) ab ignorantia juris naturalis, ait : *Quandoque verò error conscientiæ non habet vim absolvendi vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est; ut cum procedit ex ignorantia ejus quod quis scire tenetur & potest : sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale; & tunc quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Quid clarius?

Et tanti fecit sanctus Doctor, ne unam quidem hac in parte rationem dubitandi remanere, ut nullam prætermiserit occasionem istud exprimendi. Unde & lect. 1. in cap. 5. ad Galat. perspicuè explicat, quomodo quis peccatum incurrat, sive ex genere operis, sive ex intentione operantis; quod declarat exemplo illius qui apud se statuisset se velle in omnibus vanam gloriam quærere; quem ob hoc nihil vetaret quominùs semper peccaret, sive operaretur, sive operari desineret.

Neque hinc metuendum est argumentum ab Adversariiis objectum, scilicet, *quod actuum oppositorum, si unus sit malus (ut qui ex conscientia erronea putaret malum esse abstinere à fornicatione) alter sit bonus :* Nam potest ex utraque parte malum esse ex aliqua suppositione, ut optimè advertit ibid. sanctus Doctor ad 3. qui falsam ac prætensam peccandi necessitatem perspicuè ac præsagâ mente dissolvit. *Supposito*, inquit, *errore rationis vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est quod sequatur malum in voluntate; nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis & voluntaria.* Quid enim facilius, quàm falsam hanc v. g. imaginationem emendare ac deponere, suadentem fornicationem posse esse licitam? Legendus S.Thom. quodl. 3.q.12. a. 2. ad 2.

Nec debent Adversarii, Lectores deterrere, quòd aliquando peccatum immineat ex utraque parte, si possit quispiam ex alterutra illud vitare: Sic Joa. à S. Thoma, in Comp. doctr. Christ. pag. 2. c. 10. inquirens utrùm excommunicatus teneatur audire Missam? Respondet : *Si commodè absolutionem habere possit, & suâ culpâ non obtineat, peccat audiendo Missam, & peccat non audiendo, quia cum possit liberari ab excommunicatione, & audire Missam, non adhibet diligentiam quam facere tenetur.*

Hæc accuratiùs non rimabimur; nobis enim plenè sufficit apertas sancti Doctoris peregisse vindicias ab hac turpitudine, quâ pretextu Probabilitatis tàm falsò quàm scandalosè ejus doctrinam respergere satagebant. Quod commentum ita aversatur sanctus Doctor, ut nullam prætermittat occasionem testificandi quantùm abhorreat ab hac falsa imaginatione : unde præter loca supra citata, quodl. 9. a. 15. q. 7. & nunc art. 2. semper repetit quomodo nusquam licita esse possit hæc turpitudo. Angelico Discipulo viam straverat divinus Magister Hipponensis, epist. 154. *Si quis*, inquit, *putaverit, bonum esse quod malum est, hoc putando utique peccat; & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* Ratio fundamentalis est assignata ab Angelico Doctore, 2. 2. q. 60. a. 5. ad 1.

quia voluntas hominis non potest immutare naturam rerum. Legendus sanctus Doctor, 1. 2. q. 19. a. 5. & quodl. 3. supra citato. Sed de hoc iterum contra Prædestinatum Sirmundi.

28. Concinna est admodum his quæ usque modo diximus Divi Bernardi doctrina, quâ unâ os obstrui possit omnibus Probabilitatum cavillis. Ita mellifluus Doctor de præcep. & dispensat. cap. 17. *Rursùm*, inquit, *pergitis inquirere cur non è contrario tantùm cuique bonum sit quod operatur, quantùm vel falsò opinatur? Mirum quippe vobis, immò & injustum videtur, ut plus in malo quàm in bono humana valeat intentionis opinio. Si respondero, de malis quidem meritò ita credi, scilicet bonum ipsum cuique fieri malum (si malum esse crediderit) propter oculum nequam: Respondebitis & mihi non immeritò quoque propter simplicem oculum idem æquè putandum & de bonis, &c. Sed videte ne fortè non sit verè oculus simplex qui fallitur. Fallitur enim tam qui bonum, malum, quàm qui malum, bonum putaverit. Scitis autem neutrum horum, Væ illud evitare propheticum. Væ qui dicitis bonum, malum, & malum, bonum, &c. Ego verò ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria; charitatem in intentione; & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat: habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam: & nescio quemadmodum judicio veritatis, vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem Magistra Veritas; Estote* (inquit) *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret.* Et cap. seq. *Si igitur*, inquit, *ad propositam quæstiunculam revertamur: Is verè oculus nequam est, qui perversus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit: utique rectè operando, sed opinando iniquè, bonum sibi in malum vertit, & tantùm malum quantum crediderit. Quia (inquit D. Thomas supra laudatus, objectum voluntatis est bonum ut apprehensum) quandoquidem juxta sententiam Domini, totum corpus tenebrosum reddit oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideò sequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat, juxta suam fidem similiter & ipse inveniat, &c. Neque enim (inquit Ber.) ex toto adhuc tenebræ desunt, ubi ignorantia veritatis, lucem obscurat voluntatis, &c. Cur inquies? Nunquid non ex fide? Prorsus fide, sed falsâ; vel certè potius non ex fide, quia fides falsa, fides non est.* Hactenus S. Bernardus, qui sic concludit: *Malum non penitùs excusat (intentio) recta. Sive itaque malum putes bonum, quod fortè agis: sive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum est, &c.* Nam, ut supra dixit, *rectè operando & malè opinando, bonum in malum convertitur.*

At ex regulis Probabilitatis quam impugnamus, nihil horum quæ D. Bernardus supra laudatus exigit, vel potiùs quæ Christus ipse præcipit, nobis relinquitur. Ait enim: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Præmisit prudentiam (inquit D. Bernardus) *sine qua, neminem esse posse satis simplicem sciret.* At nomen prudentiæ laudat Probabilitas & rem prodit, vel potius prophanat, ut suum Idolum consecrare possit: uti evidenter ostendemus cap. seq.

Destruitur etiam simplicitas per Probabilitatem, cum, ut ait D. Bern. non

non sit charitas in intentione; sed lucrum seu rerum cupiditas, ut patet tot evanidarum distinctionum artibus, tàm in Beneficiis, quàm in contractibus vel jam damnatis, vel verè damnandis.

Nec denique apud hos Casuistas *est veritas in intentione*, cum omnes illorum conatus in eo positi sint, ut pro veritate verisimilitudinem seu Probabilitatem obtrudere possint, quam proinde asserunt sufficere ad securitatem conscientiæ.

29. Ex prædictis habes quid sentire debeas de sequenti propositione Filliucii, tom. 2. Lugd. ann 1626. edito, tract. 25. cap. 11. num. 330. ubi inquirens, *quale peccatum sit amphibologiâ uti absque rationabili causa?* respondet *probabile esse quod sit mendacium, atque adeò perjurium, si confirmetur juramento.* Sed illicò deflectens ad nuperum Probabilitatis subterfugium, quo, ut infra dicemus, nonnulli omnia ferè excusant prætextu *bonæ intentionis*, quam dicunt sufficere ad aliquod peccatum vitandum, quamvis res mala sit, ait: *Dico secundò probabilius videri in rigore non esse mendacium neque perjurium. Ratio præcipua, quia qui sic loquitur & jurat, non habet intentionem dicendi falsum & iurandi falsitatem, ut supponimus, & quod profertur in rigore, habet aliquem sensum verum, quem talis intendit: non ergo mentitur ex cap. (humanæ aures) 22. q. 5. intentio enim discernit actionem.* Certe qui aliquid dicunt aut faciunt quod sit ex se malum, illudque excusant ex eo quòd dicant intentionem se non habere illud faciendi, factis negant quod verbis profitentur, nec magis mihi videntur excusandi, quàm qui diceret se nolle inebriari, licet assiduis vini potationibus indulgere vellet. Nam cum res est ex se mala, & sit animo deliberato, nusquam excusabitur quispiam *ob intentionem*: certum est enim quòd fur qui rem sacram, v. g. aureum calicem consecratum furatur, non sæpè habet intentionem supra consecrationem, sed solùm suprà aurum: Immò etiamsi aliam omninò haberet intentionem, & vellet prorsùs rem non esse consecratam: hoc tamen non impediret quominùs coram Deo & hominibus tanquam fur & sacrilegus condemnaretur: estque hæc Filliucii opinio contra D. Thomam 2. 2. q. 11. a. 1. Nam ut ait ibid. q. 106. a. 3. & q. 110. a. 1. *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis se talem exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est..... & non refert utrum aliquis mentiatur verbô vel quocumque aliô factô*. Idque quod pro se citat Filliucius ex Decreti p. 2. Causa 22. q. 5. ipsum condemnat cap. 11. sequenti, ubi dicitur: *Inter juramentum & locutionem fidelium nullam debere esse differentiam.* Lege totum caput. Estque falsum quod etiam ait ibidem, scilicet quòd *intentio discernit actionem*: nam si quis proferret verba contumeliæ in Regem, vel blasphemiæ in Deum, quamcumque habeat intentionem, justè puniretur, nec intentio ipsum faceret excusatum.


30. Pari modo existimamus rejiciendam esse aliam ejusdem Filliucii resolutionem loco supra citato, nu. 328. ubi ait: *Quartò quæro quâ cautelâ utendum sit amphibologiâ? Respondeo, & dico primò (inquit Filliucius) præter prædicta præcedenti q. ut rectè amphibologia concipiatur, assignari possunt duo modi pro personis judicio præditis. Primus est habere intentionem proferendi verba externa materialiter, & ad majorem securitatem cum incipit, v. g. (juro) interponere submissè, restrictionem mentalem ut (me hodie) &*

Q



deinde addere altâ voce (non comedisse rem illam ;) vel (juro) & interponere (me dicere) tùm absolvere, altâ item voce, quod (non feci hoc vel illud.) Sic enim (inquit) verissima est oratio tota. Secundus, habere intentionem non absolvendi orationem tantùm per verba externa, sed simul cum restrictione mentali. Liberum est enim homini exprimere mentem suam totaliter vel partialiter. Pro rudibus autem qui nesciunt in particulari concipere amphibologiam, satis est si habeant intentionem affirmandi vel negandi in sensu, qui contineat reipsa veritatem, ad quod necesse est, ut saltem in universali sciant se posse negare in aliquo vero sensu, alioqui non possent loqui in sensu vero. Hactenùs Filliucius, qui licet videatur aliquam ex Caietano & Soto oppositum sentientibus, modificationem adhibere: hoc non impedit quominùs ars ista æquivocationum sit Deo & hominibus odibilis, contra simplicitatem Christianam, & humanæ conversationis destructiva; quæ si semel in mundo obtineret, longè satius ac securius esset conversari cum brutis quàm cum creatura rationali : habent enim bruta quemdam instinctum & certum agendi modum, in quo cum aliquali experientia, aut nunquam aut rarò deciperemur, idque in rebus parvi momenti comparatione factâ cum illis in quibus ex toto & in totum cum viro bilingui periclitamur.

Sed ad integrum hujus Controversiæ complementum, seu ad perfectam Probabilitatis condemnationem sit



CAPVT VNDECIMVM.

SECTIO I.

Intentio Cardenæ circa fucatam remissæ Probabilitatis restrictionem, & duo falsa ipsius principia ostenduntur; & quò ascendat Cardena nimia audacia in Probabilitate propugnanda?

Nu. 1. UNUM videtur fuisse à Cardena in sua adeò prolixa disputatione de Probabilitate intentum; scilicet, ut rem ex natura sua satis obscuram, suis distinctionibus ac falsis principiis obscuriorem redderet. Siquidem, ut existimaretur recedere à nimia Caramuelis laxitate, fusissimam instituit contra ipsum, disputationem; sed ne judicaretur inde ad Thomistas accedere, aut ipsis consentire; novas quasdam excogitavit distinctiones mysteriis propè similes, quibus fucum facit rebus & Probabilitatis malum tantummodò tegitur, quin imò verè augetur. Cum enim posset nobiscum simpliciter distinguere quæstiones speculativas à practicis, & certitudinem saltem moralem cum Thomistis assignare ad securitatem conscientiæ; ille perpetuò usus est terminis *directæ & reflexæ quæstionis:* passimque ait, *cognitionem aliquando versari circa praxim modo speculativo, aliquando modo practico.* Ex quibus tam frequentes quàm evanidas ac inutiles suas *Probabilitatis directæ & Probabilitatis reflexæ, Modalis itidem & absolutæ*, infert ac educit distinctiones, quibus, ut aiunt, *lupus in ovili includitur.* Cum enim dicimus, v. g. Venatorem non posse sine reatu ho-

micidii, sagittam emittere ad interficiendum animal quod subobscurè apprehendit in nemore, quia certus esse debet priusquam emittat sagittam, esse feram, non verò hominem: hoc explicat Cardenas præfatis suæ directæ & reflexæ Probabilitatis terminis, pag. 199. nu. 166. & seq. & ita implicat, ut impossibile sit ominari, quid ipse velit (nisi fortè tenebras offundere) ut legenti patebit. Certum est enim nullum esse in mundo æquum Judicem, qui morte puniendum non judicet Venatorem, qui interfecerit hominem, cum his omnibus Cardenæ distinctionibus *Probabilitatis directæ aut reflexæ*; quantumvis hic Venator, probabiliter *modo speculativo aut practico* (ut loquitur Cardenas) sive *modalem, sive absolutam haberet Probabilitatem.*

Attamen ne videretur Cardenas à sua doctrina recedere, duos veluti polos seu axes constituit suæ Probabilitatis, quibus tota volvitur. Primus est *agere prudenter*, seu *niti fundamento gravi*. Ex quibus tam ipse quàm alii Antithomistæ, hoc ceu axioma ab omnibus recipiendum constituunt: *Qui probabiliter agit, benè ac prudenter agit.* Quod tamen est falsum, omniumque Sapientum judiciô periculosum ac perniciosum reputabitur. Nam potest Judex *probabiliter* credere Tullium esse reum, & crimen de quo accusatur, commisisse: & tamen non potest, *nisi imprudentissimè*, ipsum condemnare: quia ad prudentem & justam condemnationem debet Judex habere certitudinem. Ergo *Probabiliter (quocumque modo sumatur) & prudenter agere*, non sunt synonima, ut loquitur Cardenas.

Nec ipsi favet, quod quidam alii adjiciunt de reo, qui à Judice citatus, *prudenter* comparet: etiamsi de eventu *non sit certus*: quia non tantum prudenter agit qui certum, sed etiam qui ex duobus malis, urgente agendi necessitate, minus eligit: quod non reperitur in eo qui opinionem minus probabilem legi contrariam sequitur; quem tamen approbat Cardenas, ac tuetur. At reus à Judice citatus, quamvis non responderet, nihilominùs ex silentio justè à Judice juxta integrum juris rigorem (saltem ob pertinaciam quam reus respondendo, mitigare potest aliquâ excusatione) condemnaretur. Ergo prudenter comparet, certamque habet comparitionis suæ (si sic loqui fas est cum Juristis) rationem.

Alter Axis, est supra ipsam Probabilitatem reflexio, quam etiam cap. 10. tanquam inutilem comparandæ certitudini ad vitandum peccatum necessariæ, probavimus, statimque hîc efficaciùs iterum probabimus. In hac tamen reflexione, veluti in munitissima arce suam collocat Cardenas fiduciam: unde pag. 226. nu. 426. ait: *Scio rem Probabilitatis non ab omnibus rectè intelligi, præcipuè ubi fit reflexio supra Probabilitatem.* Quod interim notatum velim.

Porrò ista reflexio supra Probabilitatem, ceu firmum fundamentum supponit sequentem propositionem: *Omnis opinio probabilis, est certa & sufficiens conscientiæ & morum regula.* Quâ propositione utuntur Neoterici, tanquam motivo & principio universali ad ritè operandum certissimo; sive operatio stet pro lege & officio; sive pro libertate, voluptate, commodo seu utilitate, & nominatim Cardenas, pag. 240. ubi ait: *Vincentius non calluit modum certitudinis, quem nostra sententia ponit in usu opinionis probabilis. Nos enim (inquit) distinguimus has propositiones.*

Primam: (licet pingere in die festo) quæ pictori proponitur ut probabilis.

Secundam universalem: (licet uti quacumque opinione probabili, quæ (inquit) est omninò certa.

Tertiam singularem contentam in hac universali (licet uti hac opinione probabili, de pictura exercenda in die festo. Quæ (inquit) etiam est certa. Hanc nota, Amice Lector, ut prætensam illius certitudinem statim unà appendamus.

2. Suam de Probabilitate fiduciam jam testatus est Cardenas, pag. 218. nu. 339. ubi dixerat, *nullum esse metum peccati in opinione practica minus probabili, quia dictamen reflexum certum, docet nullum esse peccatum in opinione practicè probabili: nullum periculum, sive ea sit majoris, sive minoris Probabilitatis.*

Cui si addere volueris quod itidem ipsemet scripserat pag. 208. num. 247. *Sufficit hoc judicium (probabile practicè est opus artis pictoriæ non esse prohibitum in die festo) Id ex nostris principiis (inquit) evidenter patet. Nam apud nos probabile practicè & licitum, synonima sunt; nisi quod licitum universalius est, quia etiam ad certa se extendit.* Ex qua Cardenæ confessione *illud probabile practicè non est certum:* ad quod nequit se extendere, utpotè minùs universale: quod obiter notatum velim. Nam hoc uno, ruit tota Cardenæ doctrina de Probabilitate: immò tam repugnat, ut probabile sit certum, quàm quòd homo sit leo: etenim sic opinio in scientiam mutaretur, tanquam in aliam cognitionis speciem. Vel dicendum est contra D. Bernardum loco cap. præcedenti citatum, *temerariam non esse securitatem opinioni assertam.* Nec denique verum est probabile & licitum, esse synonima, ut dictum est supra de Venatore.

Et ut videas totum Cardenæ præsidium esse, non in lege, sed in sola Probabilitate ait ibid. *Ut Pictor licitè exerceat in die festo opus artis pictoriæ, non est necesse, quod habeat hunc assensum absolutum; Opus artis pictoriæ non esse lege prohibitum in die festo.*

Quid ergo opus facto? aut quæ secura nobis erit Regula? Sola temeritas; vel ut mitius loquar, sola audacia. Profectò dum id quod statim subjiciam, in Cardena legerem: vix credebam oculis. Ait enim pag. 216. nu. 228. a. 11. *Pictor qui ex opinione probabili, pingit in die festo, certò scit se non peccare, sequendo opinionem probabilem. Et ubi tanquam certum sibi proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum, nullum penitùs est peccatum.* Perpende hæc verba lector & obstupescere. Ut res ista melius intelligatur, sciendum est, sanctos Patres, omnesque pios Doctores, valde semper timuisse, ne jam dudum extinctæ revocarentur effrænes quædam opiniones, seu impudorata quorumdam hæreticorum inverecundia, quæ omnia spernebat. Sic Simon Magus teste Theodoreto lib. 1. hære. fabul. *jubebat eos, qui in ipsum crederent, legis minas non pertimescere, sed tanquam liberos facere quæ vellent.*

Valentinianis itidem, ut refert Lyndanus, *peccatum nihil erat nisi eorum opinione, qui se peccare putarent.*

Aliique erant, v. g. Gnostici, ut refert D. August. lib. 4. contra. Julia. cap. 8. apud quos hoc habebatur Adagium, *Si quis homicidium conscientia for-*

midante commiserit, reus est; quia timuit. Si autem aliquod facinus exultante perpetraverit audaciâ, velut credens se ex fide facere, quod male facit, culpam evasit. At, facta comparatione deliriorum & amentiæ horum hæreticorum, cum his sequentibus Cardenæ verbis; *ubi tanquam sibi certum proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum; nullum penitùs est peccatum*; Non potest non nisi immeritissimè de nobis conqueri, si expostulemus, aut dixerimus; suam de Probabilitate doctrinam, non satis abesse ab horum hæreticorum audacia seu temeritate; nam sic essent absolvendi ab omni culpa interfectores Apostolorum, qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo: sicut & Judæis quibusdam videbatur valde religiosum antequam commederent aut biberent, occidere Paulum. Suam ergo doctrinam emendet Cardenas, cum superstes sit, censoris personam agens in Caramuëlem: ne hoc in ipsum cadat Proverbium *Medice cura te ipsum; & judicans alium, condemnet semetipsum.*

SECTIO II.

Positum à Cardena & ab aliis Defensoribus Probabilitatis fundamentum convellitur: & ab eorum manibus D. Thomas eripitur in medium adductis ejus testimoniis.

Nu. 3. JAm incumbit necessitas ut positum à Cardena & ab omnibus Probablitatis Defensoribus fundamentum ostendamus, non ex sectis lapidibus esse constructum; sed mere arenarium; nullo nexu nullaque soliditate compaginatum; quod subinde propria infirmitate sensim ruere ac dissolvi necesse sit.

Revocemus igitur & in medium adducamus tertiam Cardenæ propositionem, quam ipse ait esse certam, quæ talis est: *Licet uti hac opinione probabili de pictura exercenda in die festo.* Contra quam sic argumentor. Probabilitas quæ affulget in judicio universali, quo judicatur aliquid esse illicitum, putà, operari in die festo: est potior eâ, quæ effulget in judicio particulari, etiam cum quacumque reflexa Probabilitate (quæ ut supra ostendimus, illis non favet sed nocet) v. g. si non licet, in communi, Clerico in arundine piscari aut venari in die festo; longe minùs mihi Clerico licebit in particulari: sed prior illa Probabilitas in communi haud sufficit ad rectitudinem operationis: ergo longè minùs in particulari. Major explicatur; quia causa semper est potior effectu: v. g. si nulli Clerico (cæteris paribus) licet in arundine piscari in Dominica: nec mihi licebit. Quia judicium universale continet in se quasi effectum, virtutem judicii particularis. Sed hæc propositio, *licet uti quacumque opinione Probabili* est universalis; nec est certa; quod sic probo contra Cardenam omnesque alios Casuistas Probabilitatis defensores: Nec subinde particularis.

Primò. Propositio non est certa, quæ non excludit omnem formidinem ne actus sit malus: sed hæc propositio, *Licet uti quacumque opinione probabili*, non excludit omnem formidinem: cum tot viri pietate & summa eruditione præditi asserant eam esse falsam. Major est apud omnes

indubitata: Minor etiam per se patet: cum per talem propositionem non convincatur intellectus, sicut per demonstrationem convincitur statimque probabitur confutatô Adversariorum subterfugiô.

Secundò. Opinio non est certa, quæ nititur principiis incertis: sed præfata est hujusmodi: neque illius ullum certum principium (ut statim ostendam) potest assignari.

Dices: Habetur securitas seu Certitudo in praxi, multorum Doctorum suffragio, asserrentium esse licitum ac securum *sequi quamcumque opinionem, etiam minùs probabilem.*

Respondeo hoc esse ultimum subterfugium omnium Probabilitatis Defensorum: sed facile est eos ab hac arce seu cuniculo depellere. Etenim Modernis id asserentibus, ex se invicem sine nova aliqua ratione hoc exscribentibus, opponimus omnes Theologos Antiquos excellentissimo ingenio præditos; & Sanctos Patres vitæ Sanctimoniâ ac pari perspicuitate ingenii celebres, qui integro quindecim sæculorum volumine, verbo & opere docuerunt tutiorem & Probabiliorem partem esse eligendam.

At, si teste Angelico Doctore quodl. 9. ar. 15. jam laudato, *omnis opinio, in qua de peccato mortali quæritur; nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Quod nominatim explicat de beneficiorum polygamia, in qua sicut & in præsenti controversia, agitur de mortali: de qua non minùs quàm de ista; *Theologi Theologis contraria sentire inveniuntur,* longè potiori jure, quando qui secùs sentiunt, & numerô & merito alios excedunt. Atqui res ita se habet in præsenti. Etenim Doctorum Aquila Augustinus: & Doctor Angelicus, aliique Patres: Doctorum etiam agmen antiquiorum: Decreta Summorum Pontificum docent *tenendum esse certum & incertum esse dimittendum*: Ergo non est certum (in tanto Doctorum dissidio) *sequi quamcumque opinionem probabilem*: sed periculosissimum: atque non tantùm rectæ rationi adversum; verum etiam sacris omnibus Scriptutarum oraculis contrarium. At, ne actum agere denuò videamur: revocentur in memoriam ea omnia, quæ hac de re supra cap. X. diximus.

4. Ut autem Angelicum Doctorem ex omni parte eripiamus ex Cardenæ manibus, asserentis *licitum esse sequi opinionem, etiam minùs probabilem legi, contrariam*; idque Authore Angelico Doctore: Notandum est nos hic non loqui de legibus humanis, in quibus aliquando licitum est Epicheïa uti, & agere contra verba legis, eò potissimùm, quò aliqua occurrit circumstantia, quam si legislator prævidere potuisset, legem minimè statuisset. Quod contingere nequit in lege naturali & Divina positiva, ab eo posita, qui cuncta intuetur, & cujus Providentia in sui dispositione non fallitur.

Igitur contra præcipuum Cardenæ fundamentum, non solùm dicimus, nullam Probabilitatem seu opinionem Probabilem legi contrariam, posse esse rectam Morum regulam: quod jam satis ostendimus: sed insuper asserimus, numquam ab Angelico Doctore, hanc laxitatem fuisse scriptam. Ut hoc probaret P. Baronius in sua Ethica Christiana, eodem fere argumento (præter alia innumera, quibus octo Adversarios confutavit) usus est, quo & ipse Doctor Angelicus quodl. 2. ar. 7. usus fuerat contra

eos, qui dicebant pueros Judæorum esse baptizandos invitis eorum parentibus ante rationis usum.

Contra quos ait D. Thomas *multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius & alii plures; quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, & Ambrosius Theodosio, qui hoc nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi.*

Quare inquiebat P. Baronius. Si aliquando liceret sequi opinionem minùs Probabilem legi contrariam; vix possibile esset, quin apud D. Thomam (qui tot, ne dicam omnes præscripsit conscientiæ Regulas, vel saltem eorum fundamenta stabilivit, ex quibus facili negotio ipsæ leges educantur) hujusce rei aliquod reperiretur exemplum. Atqui hactenùs nullum hujus laxitatis indicium reperiri potuit ab Adversariis, etsi ab ipsis diligentissimè conquisitum; sive scripserit S. Doctor de melioribus ex consilio; sive de bonis ac tutis ex præcepto sectandis; in quibus universim semper stetit pro legibus.

Sed quid ad hoc argumentum respondet Cardenas? Solitis ac solis suis utitur cavillis. Et pag. 251. nu. 468. Si bona est, inquit, argumentatio: etiam hæc erit approbanda: *Christus fide non transtulit Montes in Mare: ergo Christus non potuit fide montes in mare transferre* & ibid. nu. 469. ait Cardenas. *Consulat ergo Baron. dialecticos, & audiet ab illis inter prima dialecticorum rudimenta, à negatione actus, nullam esse consequentiam ad negationem potentiæ.*

Verùm nullam à nobis hæc Cardenæ evasio confutationem exigit: evidentior enim est disparitas, quàm ulla indigeat responsione. Attamen antequam falsa Cardenæ exempla (quæ adeò perperam D. Thomæ affingit) ad examen vocemus: Duo proferam in confirmationem doctrinæ quam Cardenas conatur evertere; ut his positis, ipsum obmutescere necesse sit. His enim fit manifestum, numquam à D. Thoma traditam esse opinionem probabilem legi contrariam tanquam securam Morum Regulam.

Primum habetur opusc. 73. cap. 4. ubi *ait D. Thomas*: *In omni actu hominis malum accidit, aut naturâ aut lege: & inde definiens ex utroque capite, usurarium esse, sperare quidpiam, vel re ipsa, ex mutuo accipere: juxta illud Lucæ 6. (date mutuum nihil inde sperantes)* sic concludit D. Thomas in favorem legis: *Mutuò dare est actus liberalitatis & gratiæ: at, quidquid actui accidit quod liberalitatem tollit, ipsum actum à natura sua avertit..... rationemque habet injuriæ & culpæ.* Si cuidam licuit dicere, numquam melius sanctum Augustinum teneritudinem conscientiæ suæ & animæ puritatem ostendisse; quàm cum præcipit in Regula lavandas esse Religiosorum, vestes *ne nimius*, inquit, *mundæ vestis appetitus contraheret interiores animæ sordes*: non abs re possum quoque dicere, quidpiam simile de Angelico Doctore, qui si intactam voluit esse legem liberalitatis (quæ videtur esse momenti levioris) nusquam & potiori jure credendus est omisisse quæ sunt graviora legis, qualia sunt ea, pro quibus hîc contra Probabilitatis Defensores militamus.

5. Alterum quô & illud prius invictè confirmatur: habetur 2. 2. q. 10. ar. 12. in quo inquirit *utrum pueri Judæorum & aliorum infidelium, sint invitis eorum parentibus baptizandi ante usum rationis?* Respondetque ne-

gativè. Ratio ejus fundamentalis est *quia hoc repugnat justitiæ naturali...... (ex qua) quandiu usum rationis non habet puer, non differt quantùm ad ea quæ agit ab animali irrationali*; Quod jure Gentium & naturæ pertinet ad Dominum suum.

Cùmque sibi objecisset D. Thomas: *magis debet homini subveniri circa periculum mortis æternæ, quàm circa periculum mortis temporalis: sed si quis videret hominem in periculo mortis temporalis, & ei non ferret auxilium, peccaret.* Ergo, &c. Ad 2. Respondet. *Quod à morte naturali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris naturalis: putà, si quis à suo judice condemnetur ad mortem temporalem, nullus debet eum violenter eripere: unde nec aliquis debet rumpere ordinem juris naturalis (quo filius est sub cura Patris) ut eum liberet à periculo mortis æternæ.* Certè si in re tanti momenti non patitur Doctor Angelicus legem naturę violari; Quis dicere audeat, ipsum in aliquo relaxari ob leviores Probabilitatis ratiunculas, quas toties ipse subvertit à fundamentis.

SECTIO III.

Rationibus & exemplis ostenditur Cardenæ doctrinam de Probabilitate ab ipso relictam, esse intolerabilem, gratesque Deo agendas quod nulla (quæ sciamus) in D. Thomam ediderit commentaria.

Nu. 6. VErum enimverò, quia jactat Cardenas à se reperta esse apud D. Thomam, nonnulla hujus laxitatis testimonia: quibus contra legem agere permittitur: ipsum postea audiemus. Sed interim, si hîc paulò arctiùs ipsum constringamus, non idcircò æquiores in nos erunt ejus expostulationes, quàm fuerint ipsæ quas ille pagina 117. formavit contra eos, quos ait *sacrum Probabilitatis nomem corrupisse*; cum ipse sit (ni fallor) qui his coloribus Probabilitatem depinxerit, ut ab ea meritò jam omnes abhorrere debeant.

Et certè miseratione dignissimum existimo, virum Religiosum & doctum; adeò sui propositi oblitum, ut lævâ destruxerit quidquid dextera manu astruere ac stabilire conabatur: atque tantùm olei & operæ in ingenti exarando volumine in fol. plusquam septingentis & 80. paginis constante: paucis lineis perdidisse, ac in ipsammet incidisse Probabilitatis abyssum, ex qua alium retrahere nitebatur. Explicatur. Volumen Criticum edidit Cardenas: potissimùm contra nimiùm remissas Caramuëlis Probabilitates. Sed ne in Thomistarum partes transire videretur; rem involvit tot evanidis distinctionibus, ut persæpè vix possis ominari vel judicare, quid ipse velit.

Et quia *in multiloquio non deerit peccatum*, efficere non potuit Cardenas, quin palam ostenderet, id quod in ejus mente lateret: nimirùm non nisi apparenter & verborum officiis recessisse ab illa vaga & nullis ferè coërcita terminis, Probabilitate, quæ propemodùm sinit unumquemque ad arbitrium vivere, & suæ imaginationis idolum colere, nullâ habitâ ratione legis, aut consideratione ultimi finis.

Explicatur.

Explicatur. Duas nobis actionum nostrarum proposuit Deus optimas Regulas. Prima est lex Æterna, cui in omnibus conformari debemus. Sed quia in pluribus hanc conformitatem minimè cognoscimus. Aliam proximam & notiorem Deus concessit normam, propriam scilicet conscientiam (in cujus testimonio gloriabatur Apostolus) cujus vocem ita auscultare tenemur, ut ei debeat unusquisque ceu Pædagogo Domestico à Deo sibi dato obedire: quia *quod non est ex fide peccatum est*, id est, quod fit propriâ reclamante conscientiâ, numquam caret culpâ. Quid ergo egit Cardenas, ne ipse aut quivis alius, propriæ suæ audiret clamorem conscientiæ?

Arte mirabili facultatem fecit unicuique os obstruendi propriæ conscientiæ, dum ipsi laxitate intolerabili permisit ejus voci ac propriis illius monitis obsurdescere. Ipsum audiamus pag. 226. nu. 425. *Si*, inquit, *una (opinio) proponitur intellectui ut probabilior: & altera ut minùs probabilis: potest adhuc licitè homo accommodare se in praxi opinioni minùs probabili; etsi stet pro libertate contra legem: tùm quia*, inquit, *potest judicare; forte se decipi censendo esse Probabiliorem.* Aliam addit rationem adhuc pejorem, jamque supra confutatam, *quod scilicet voluntas possit imperare assensum ad partem minus probabilem: quando de opposita convincentem non habet rationem.*

Si tempore Passionis Christi hæc vaga Probabilitas viguisset, eâ Pilatus, (qui ut loquitur S. Leo Papa, *judicium reliquit proprium, ut in crimen transiret alienum*) facinus suum excusare potuisset: licet enim sciret quòd *per invidiam Christum tradidissent*, quem alii bonum, alii verò seductorem dicebant: potuisset sibi persuadere, ut ait Cardenas *fortè se decipi*, eumque esse dignum morte, & præcipuè Judæis, eorumque Principibus communi voce asserentibus *se legem habere secundum quam mori debebat.*

Ne hac de re anceps esse possis, lege infra in Append. 1. cuniculum 6. n. 5. At ne quispiam hîc mihi eandem creare possit invidiam quam nonnulli falsò imposuerunt Patri Baronio, quasi dixisset Adamum & Evam, aliosque ab ipso nominatos, fore à peccato saltem mortali excusandos virtute Probabilitatis: quod ille numquam dixit; sed tantùm asseruit quod si vera essent Principia ab Adversariis pro Probabilitatis Patrocinio posita, eaque obtinerent; sequeretur sicut & id quod hîc dicimus: scilicet Adami & Evę peccatum, Saülis Sacrificium, levitatem uxoris Loth, pietatem Ozæ: vanam gloriam Davidis populum numerantis, Ananiam & Saphiram aliquid ex pretio agri venditi retinentes, & id genus alia, longè facilius posse excusari à peccato mortali, quàm quæ pro usura, mendacio, vindicta, &c. sunt excogitata à Defensoribus Probabilitatis: & pro horum quæ hîc dicimus veritate, propriam ipsorum vel solam, obtestor Adversariorum conscientiam.

Viden mi Lector quò ducat hæc effrænis licentia opinandi? Nam secundùm præfatam Cardenæ doctrinam, quoties apertam & convincentem de re aliqua: v.g. de Animæ immortalitate; de regimine Divinæ Providentiæ aut quocumque alio non habueris demonstrationem: prudenter & justè assensum ad alterutram partem, etiam legi contrariam tibi poterit voluntas imperare; dummodò hæc opinio sit Probabilitatis pallio cooperta: quod numquam deerit: (nam solâ ferè audaciâ opus est: seu ut ip-

sius Cardenæ verbis supra relatis utar:) nihil requiritur nisi sola supra Probabilitatem reflexio, quâ asseritur certa *omnis opinio Probabilis*: & ubi, inquit, hoc *tanquam certum alicui proponitur, in aliqua operatione non esse peccatum: nullum penitùs est peccatum,* Ita loquitur pag. 216. num. 228.

Hoc certè mihi videtur favere spiritui privato nostri ævi hæreticorum: qui jactant se posse certos esse, quòd sint in gratia, dummodò hac de re certam habeant persuasionem seu fidem, quâ sibi persuasum habeant obtinuisse à Deo hac fide remissionem peccatorum.

Sed ut ad prædictam conscientiarum commutationem seu commercium redeamus: nonne miraris lucrum, quô, propriæ conscientiæ locô, ab Authore naturæ, singulari beneficiô tibi concessæ: tria ad minus reperies conscientiarum millia in uno Diana: immo tot tibi à Cardena concedentur conscientiæ unius vice, quotquot jam sunt in Casuistarum libris opiniones Probabiles, id est, innumerabiles. Quid ergo faciliùs, non solùm ad dissolvendos sed & ad dissecandos quarumcumque difficultatum nodos, quùm aliquod argumentum tibi probabilius occurrerit, quod solvere non possis, & si quidpiam securius immo ad salutem necessarium inde judicaveris: quam cum Cardena tibi persuadere *forte te decipi*? Seu ut alii Probabilitatis Patroni in principio hujus apologiæ citati, aiunt, *argumentum quod solvere nequis, alius solvere quibit.* Nullis ergo detinetur conscientiæ repagulis sagax Defensor Probabilitatis. Non lege æternâ: quia in pluribus latet. Non ab ea derivatis legibus positivis: quia ex illis nulla est sufficiénter promulgata, quoties apparuerit opinio probabilis ei adversa, quæ, nisi apud stolidos, nunquam deerit. Quantum denique ad legem naturalem nobis à Deo opt. datam, hanc etiam exulare cogit Probabilitas, dum inaudita arte ac solertiâ asserit conscientiam propriam non esse audiendam, nosque sinit obsurdescere monitis propriæ synderesis, ut eorum loco obtrudat ac sufficiat tot conscientias ac Pædagogos, quot sunt in libris opiniones probabiles Profectò non existimo ab Orbe condito, majorem fuisse rerum subversionem: nec hoc Probabilistico Axiomate quidquam periculosius fore ad salutem, nisi cohibeatur.

Non minus gravia sunt quæ ex eodem Cardena dicenda supersunt, quàm quæ hactenùs ex illo audivimus: quæ talia sunt, ut non dubitemus, quin hac de causa grates referat Deo immortales totus candidatorum Moralis Theologiæ Chorus, quod in Angelicum Doctorem, ut alii plures, commentaria non ediderit Cardenas. Nam si ex præteritis liceat ominari de futuris; ita corruptus aut diffamatus per ipsum fuisset Doctor Angelicus, ut facillimè jam posset quisque Esaü pro Jacob obtrudere, id est, Adversarium D. Thomæ pro eodem sufficere. Et ne existimet Lector à me hæc scripta esse sine causa, nonnulla subjiciam D. Thomæ testimonia, quæ de industria explicuit Cardenas & ita corrupit, ut vix, & ne vix quidem in illis mens Sancti Doctoris innotescere possit.

Primò igitur ait D. Thomas 1. 2. q. 76. ar. 3. esse aliquam ignorantiam invincibilem, quæ aliquando excuset à peccato, nimirùm *si talis sit ignorantia, qua omninò sit involuntaria: sive quia verè est invincibilis: sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur.*

At Cardenas (qui magnus S. Doctoris vult haberi Interpres ac disci-

pulus) pagina 190. nu. 87. quamdam excogitavit ignorantiam invincibilem, quæ tamen vinci possit, quamvis nihilominùs nemo eam vincere teneatur. Quæ assertio ut patet ex dictis cap X. est omninò falsa. Sed ne ipsi imponere videamur, eumdem audiamus. *Ignorantia*, inquit, *qua includitur in opinione probabili, est invincibilis: non quia non potest vinci, potest enim resolvi in dubium: & hoc vinci per electionem partis tutioris: sed quia non tenetur homo ad id; eò ipso quod habet fundamentum probabile pro libertate:* At hoc semel concesso ritè intellecto: maxima erit incuria hominis pro sua salute æterna, ut patet tot propositionibus respersis in Casuistarum libris & tanquam probabilibus, propugnatis, quibus libertas creaturæ contra Dei jura defenditur, etiam cum de æternitate (ut aiunt) alea jacitur. At vincendam esse (partis probabilioris ac tutioris electione) ignorantiam, in opinione minus probabili inclusam, satis probant argumenta omnia toto cap. 10. superius facta.

9. Secundò. D. Thomas quodl. 8. ar. 13. agens de pluralitate Præbendarum ait: *Peccatum committi aliquando agendo contra legem: aliquando verò agendo tantùm contra conscientiam: & quandoque agendo contra utrumque.* Et quodl. 9. ar. 15. ostendit præfatam beneficiorum polygamiam, esse admodùm cognitu difficilem ac periculosam: tùm propter diversas Doctorum hac in parte opiniones: tùm quia hactenùs, nullus definire ausus est, utrum *plura habere beneficia* sit jure Divino vel solo positivo prohibitum.

At Cardenas præfatam D. Thomæ distinctionem adeò necessariam, apertè confundit, illisque quodlibetis manifestè illudit: cujus textus depravatio convincitur solo oculorum testimonio. Nam pag. 219. nu. 455. *Diuus Thomas (inquit Cardenas) explicuit modum quo conscientia excusat. Cum ergo dicit, quod agitur contra legem semper esse malum, & conscientiam non excusare; intelligendum est de eo, quod agitur contra legem adeò claram & manifestam, ut de illa non possit haberi conscientia erronea, nisi culpabilis, &c.* Cujus Cardenæ verbis aperte D. Thomæ contradicitur & non tantùm præfata ejus distinctio confunditur, sed & legis violatio materialis cum formali permiscetur: quod est contra sensum communem omnium Doctorum. Potest enim quispiam peccare contra legem etiam zelo legis, & ignoranter; non verò ex malitia ut in Saulo & persecutoribus Apostolorum contigit, qui arbitrabantur se obsequium præstare Deo: à quibus lex, quam æmulabantur, imperfectissime cognoscebatur Qui tamen minimè à peccato excusantur; nam ut ait Doct. Angelicus quodl. 9. ar. 15. *Error quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto.* Et ut supra diximus, ipse Adamus arbitrabatur se tantùm venialiter peccaturum. Item qui putaret fornicationem esse tantùm venialem, non propterea desineret peccare mortaliter, ut ait D. Thomas.

10. Totus Cardenæ scopus in hoc consistit, ut scilicet ostendere possit D. Thomam aliquando docuisse opiniones minùs probabiles libertati faventes etiam legi contrarias, ut sic remissæ Probabilitatis fide jussorem habere possit Angelicum Doctorem. Tertiò igitur Cardenas pag. 231. nu. 473. infert ex 1. 2. q. 91. ar. 4. D. Thomam docuisse legem humanam

non posse præcipere actus internos: *quæ opinio (inquit Cardenas) non stat pro lege humana, sed pro libertate*, suamque nititur confirmare opinionem ex 2. 2. q. 104. ar. 2. in quo inquirit S. Doctor *utrum obedientia sit summa virtutum*? Quo ex articulo ille inducit D. Thomam sic loquentem. *Et ideò in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, non tenetur homo homini obedire, sed solùm Deo*: quo in articulo, ne quidem syllaba legitur horum verborum.

Potuisset Cardenas citare art. 5. ejusdem quæstionis; ubi quidpiam tale dixit D. Thomas: sed id cautè dissimulavit Cardenas qui istud integrè nequivit referre, quin malam suam fidem, omnibus faceret manifestam, ut legenti patebit.

Ad prius igitur D. Thomæ testimonium ex 1. 2. q. 91. ar. 4 à Cardena objectum. Respondeò ipsum non potuisse melius suam inopiam demonstrare, quàm hac objectione, loco enim citato probat S. Doctor pluribus argumentorum speciebus, humanas leges non præcipere actus merè internos, soli Deo notos: sed tantùm externos & internos externis conjunctos, & ideò præter leges humanas, necessariam esse legem Divinam superiorem, hujusmodi actus merè internos præcipientem aut prohibentem. Quod est diligenter annotandum. Hic obtestor non solùm Lectoris, sed & ipsius Cardenæ conscientiam, an possit quidpiam excogitari magis è diametro oppositum præcipuo Cardenæ intento, quàm præfata D. Thomæ doctrina, quâ sic necessitatem legum ostendit, quibus tanto studio Cardenas insidiatur, ut creatam libertatem adversus eas tueatur: Suam ergo exinde inferat Cardenas conclusionem, ut omnibus risum moveat, *Ergo*, inquit, *licitum est sequi opinionem minus probabilem, etiam legi Dei contrariam, libertati, lucro & voluptati faventem*, & jam non D. Thomam habebit præfatæ propositionis Authorem vel Patronum, ut patet ex dictis; sed Censorem & Adversarium, cum universo omnium Sanctorum Choro.

II. Quod autem ait Cardenas ibid. de electuariis tempore jejunii ex D. Thoma (perperam rursùm exposito) sumi aliquando solitis: ad quod probandum pag. 231. nu 476. remittit lectorem ad Amadæum Guimenium, falso hoc nomine larvatum: certè deberet Cardenas erubescere, famosum hunc libellum Ecclesiæ fulminibus percussum, adhuc legendum proponere Christianis, cum hoc facere nequeant, vel apud se solùmmodò ipsum retinere; quin novo ipsi continuò feriantur Excommunicationis Anathemate. Et sic in Cardena non solùm veritatem erga D. Thom. desideramus, sed & in proximum, Charitatem.

Quartò. Cardenas pag. 132. laudat D. Thomam in 4. Sent. dist. 29. q. unic. ar. 4. docentem *filium non teneri obedire Parentibus quoad matrimonium, nisi quantùm ipse justa causa ad id coegerit. Quæ opinio (inquit Cardenas) est pars quæstionis benignior stans pro libertate.*

Respondeo justè Sanctum Doctorem noluisse juxta jura omnia & ipsum Trid. sess. 24. de Refor. Matri. cap. 8. filios cogi à Parentibus ad matrimonium contrahendum, cum sit servitus perpetua: sed tantummodò induci ex causa rationabili.

At quid melius aut justius dicere potuit S. Doctor? Sed si juxta morem suum non dissimulasset Cardenas Sancti Doctoris argumentum; *sed*

contra verius mentem D. Thomæ nobis exposuisset: ex hoc enim satis liquet, quid S. Doctor intenderet, nempè tam à matrimonio, quàm à Religione coactionem (quâ nemo fit bonus) removere: & præsertim suadere ut numquam Spiritui Sancto viam occludamus, qui nos ore Apostoli adhortatur, ut meliora Charismata æmulemur. Ideò ait & meritò *Patre matrimonium imperante, filium posse sine peccato Religionem intrare.* Quia magis obediendum est Deo quàm hominibus. At, quid magis oppositum Probabilitati quæ pretextu libertatis, emolumenti aut voluptatis, omnibus legibus jugum excutere molitur, quibus perpetuò illudit aut prętensâ abrogatione aut insufficienti promulgatione & notitiâ, quam semper vult esse majorem ipsâ luce meridianâ, ad inducendam justam obediendi obligationem? Quintum laxitatis exemplum, quod Cardenas satagit pag. 231. nu. 480. affingere D. Thomæ, id deduxit ex 2. 2. q. 185. sed veritus indignationem lectorum, cautè dissimulavit locum; scilicet articulum 7. ubi à S. Doctore expressis verbis Cardenas confutatur in eo quod ipsi imponere conatur *circa administrationem bonorum quæ cedunt in usum Episcoporum*, Legat qui voluerit totum hunc articulum, ut ipse testis sit & judex, quid strictius aut sanctius dici possit, contra vagam Probabilitatem & effrænem, quam Cardenas tueri conatur libertatem.

SECTIO IV.

Redit in ipsum Cardenam iniuria D. Thomæ ab ipso illata. Vera ratio prudentiæ ostenditur & ipsius artisque differentia aperitur: Omnes Cardenæ modificationes & conatus probant ipsum cum veteribus Academicis esse annumerandum: facileque solvitur argumentum Fabri quod ille existimabat ineluctabile: ac palam declaratur nedum D. Thomæ, sed sancto Patriarchæ Ignatio de Loyola Cardenam illudere.

Nu.12. HIc dicendi finem libenter facerem, nisi apud Cardenam adhuc unum legeretur Divo Thomæ adeò injuriosum, ut illud prætermittere nequeam. Nam falsò ex Angelico Doctore furtis & latrociniis latissima via reseratur à Cardena pag. 231. nu. 476. ubi ait: *Tertio Angelicus Doctor (ut ostendam alibi) docet licitum esse pauperi graviter indigenti, surripere à divite ea quibus eget, nempè occurrentibus debitis circumstantiis ibid. expositis: quæ opinio (inquit Cardenas) stat pro libertate pauperis.* At, neque hîc, neque ullibi unquam apud Angelicum Doctorem hanc doctrinam reperiet Cardenas, quâ ut dixi lata latrociniis via aperitur, & pauperes, qui reipsâ surripere aliena bona non possent, in continuo fineret esse surripiendi desiderio, ac subindè in assiduo statu damnationis æternæ: locô patientiæ, quâ, ex bonorum temporalium penuria, possunt sibi æterna promereri. Quis enim pauper, qui gravem non existimet, quam patitur, necessitatem? Cui si fides adhibeatur, quam libet levem vociferabitur intolerabilem.

Neque audienda sunt quæ ibid. adjecit Cardenas, cum hæc ipsum non faciant excusatum, sed magis gravent: quibus ipse satis convincitur, nul-

lum à se repertum esse vestigium doctrinæ adeò scandalosæ apud Doctorem Angelicum, quem eò gravius offendit quò palam ostendit, se non casu hoc dixisse, sed datâ operâ & de industriâ hoc fabricasse, ratiocinatione tàm falsa, quàm viro Religioso indignâ. Distinxerunt enim Casuistæ triplicem necessitatem, levem scilicet, gravem & extremam, in qua ultima necessitatis specie, aiunt pauperem (cui à malo divite negaretur alimonia) posse panem v. g. surripere: numquam tamen licuit has necessitatis species confundere, ut pro extrema necessitate gravem sufficerent, quæ apud pauperes, illorum judiciô, semper est talis.

13. Sed quod omnem laxitatem, omnemque admirationem superabit, est, quòd Cardenas pag. 231. nu. 477. & 478. audeat D. Thomæ tribuere quod ipsi numquam venit in mentem, nec vereatur pauperem constituere divitis judicem, ita ut in sui favorem contra eum ferat ac propriam exequatur sententiam: certòque ac justè surripiat pauper à divite, quod fortassis ille ex charitate teneretur pauperi erogare. Si enim pauper licitè potest à divite, quæ sibi necessaria sunt surripere, non debet dives pauperem prohibere aut ipsum accipientem objurgare: cumque adsit pauperi justa facultas surripiendi, nihil ipsi deest nisi oportunitas; quam si furtum dixerit dives, ipse calumniâ aut detractione; non verò pauper peccabit: Debebuntque in Tribunalibus judices quiescere contra latrones, illis asserentibus, se id non fecisse, nisi urgente gravi necessitate: has enim pillulas tenetur deglutire Cardenas, falsâ ejus propositione semel concessâ. Et quia sagacissimus est, prævidit, non sine stupore id accipiendum fore: ideò postmodum finxit se loquutum problematice: sed quam in partem magis inclinet conjice ex his ipsius verbis: *sed inde vim argumenti non effugies. Quo scilicet suadetp auperem* posse furari. Deinde quis unquam talem audivit cavillandi artem? *Si pars affirmativa est D. Thomæ (inquit Cardenas)* id est, si pauper possit furari, *opinio stat pro libertate pauperis.* Si negativa est D. Thomæ, Id est, si non possit pauper furari. *Opinio S. Thomæ*, inquit, *stat pro libertate divitis.* An poterat Cardenas evidentius docere artem hanc à Deo & hominibus reprobatam, semper claudicandi in utramque partem: omnibus veritatis amatoribus mirum in modum exosam? Alius est quasi perpetuus Cardenæ ludus in usu vel potius abusu prudentiæ, quâ ab ipso imbuuntur omnes opiniones etiam minus propabiles legibus adversantes: sed quia hoc ipsi commune est cum cæteris Defensoribus Probabilitatis, qui omnes opiniones probabiles obtrudunt nomine prudentiæ fucatas: hîc paulò accuratius ad calcem hoc negotium rimabimur: ne deinceps illudant lectoribus specioso prudentiæ titulo. Inter se quidem comparantur ars & Prudentia: & sicut ars est recta ratio factibilium: ita & prudentia agibilium; seu rectrix actionum humanarum ad debitum finem contendentium: unde & vetus illud adagium, *quidquid agas, prudenter agas, respice finem.* Ex quo licet inferre relationem seu respectum ad finem esse prudentiæ non minùs intrinsecum & essentialem, quam sit proprium justitiæ, reddere unicuique quod suum est.

Ars verò non curat de fine, sed tantum de artefacto seu opere; unde ait D. Thomas, 1. 2. q. 57. a 3. *Dummodo verum Geometra demonstret, non refert qualiter se habeat secundùm appetitivam partem, utrùm sit lætus vel*

iratus, sicut nec in artifice refert. Quod fusiùs explicat ibid. art. 4. *Ars* (inquit) *facit solùm facultatem boni operis, quia non respicit appetitum;* secùs prudentia, *quæ etiam respicit usum.*

Ratio fundamentalis hujus diversitatis est, quòd theoricæ virtutes intellectui tantummodò conferant rectè operandi facultatem secundùm proprias cujusque regulas, non verò studium. At virtutes morales, & præcipuè prudentia, quæ facit hominem sui studiosum, eidem conferre debet rectè agendi affectum in quo præeminet finis, quæ est prima causarum, & à qua in actibus humanis movetur causa efficiens: unde *magis laudatur artifex (inquit D. Thom.) qui volens peccat, quàm qui peccat nolens: magis autem contra prudentiam est, quod aliquis peccet volens, quàm quod nolens, quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ.* Porrò hæc voluntatis rectitudo fit per ordinem ad debitum finem; unde ut quis dicatur prudens in uno genere: v. g. Medicus, debet de fine, scilicet sanitate præ cæteris curam habere: sicut & Christianus, de æterna fœlicitate; alioquin uterque in suo genere prudentiâ carere judicabitur.

14. Igitur quemadmodum Medicus meritò ab omnibus imprudens judicabitur, si utatur medicamentis aut alimentis ad sanitatem recuperandam aut conservandam minus aptis & efficacibus: Ita & Christianus dicendus est imprudentissimus, qui in rebus suæ salutis æternæ confidit opinionibus minus probabilibus, quibus non nisi falsò potest tribuere nomen prudentiæ, cum magis repugnent ultimo fini, quàm eidem conveniant.

Quod diximus de Medico, dicendum quoque est de aliis professionibus; v. g. de arte militari; nam in bello nunquam dicetur Dux prudenter exercitum disposuisse, nisi id fecerit secundum regulas artis militaris ad victoriam reportandam (quæ est finis belli) aptiores: nec excusatur ex hoc, quod sibi persuaserit se posse aut debere secùs facere. De aliis itidem virtutibus non secùs sentiendum: etenim quia prudentia est illarum Rectrix, semper finem intuetur, mediaque ad hunc consequendum convenientiora eligit, fugitque à contrariis. Sic prudentia temperantiam regit, consulitque: v. g. moderatè comedendum, vel propter sanitatem tanquam finem, vel propter bonum rationis. Item quatenus est custos castitatis prudentia, abhorret non solùm ab omni re certò mala, quales sunt tactus & oscula; sed etiam ab omni alia vel probabiliter castitati periculosa, quales sunt familiaritates, colloquia, & mulierum aspectus: *Noli intendere in faciem virginis, ne ipsa scandalizet te.* Et sic dicendum de omnibus aliis, in quibus si sit prudentiæ locus, semper convenientiora ad finem eliguntur, & ab incertis ac periculis cavetur.

- Porrò prudentiæ sunt duæ dotes, in quibus vera illius essentia salvatur. Primò, ex recto circa ultimum finem appetitu: & sic prudenter agit, etiam in administratione Sacramentorum, qui ex duobus malis, minus eligit, & v.g. urgente necessitate, Baptismum probabilem aut dubium confert potiùs quàm nullum: quia minus est malum, minus decenter administrati Sacramentum, quàm Animam periclitari.

Secundò. Prudentiæ ratio salvatur aliquando per ordinem ad rem verè in se sic existentem, modo aliarum rerum speculativarum, in quibus ex eo quod res est, vel non est; oratio dicitur vera vel falsa. Ita D. Thomas 1. 2. q. 64. a. 3. in o.

At his omnibus præsidiis destituta est opinio minus probabilis legi contraria, quæ pugnat pro commodo, voluptate, lucro aut libertate, contra officium, bonum rationis, honestatem aut legem charitatis, ex qua, ut diximus cum D. Thoma, proximi opera semper meliorem in partem interpretari debemus, ubi non fuerint evidentia malitiæ argumenta.

15. Non (inquam) habet præsidium opinio minus probabilis ex primo, scilicet ex fine, seu ex recto circa illum appetitu, circa quem apparet malè dispositus, eo ipso quòd de industria contendat eligere media minus probabilia; id est, fini magis contraria & repugnantia, ut de Medico relinquente medicamenta efficaciora ac certiora sentirent omnes.

Nec etiam juvatur ex altero: ad quod probandum nullo alio opus est, quàm quo usus est Sanctus Augustinus contra Academicos argumento: *Si nunquam vidisti Patrem meum, quâ fronte audes asserere fratrem meum Patri meo esse similem?*

Itidem si de quadam re, nullâ arte aut indagine potuisti veritatem tibi comparare: quî audes de eadem, propositionem (quæ magis videtur ei repugnare qualis est opinio minus probabilis) asserere, adhuc esse probabilem; id est, veritati (quam hactenus cognoscere nequivisti) similem? Hoc enim sonat nomen Probabilitatis; quam ob causam, ignorantiam illius esse invincibilem asserunt Defensores Probabilitatis.

Explicatur magis. Quæritur an Petrus teneatur resarcire damnum grave, quod intulit Joanni cum sola culpa veniali? v. g. furtum notabilis Summæ per furta venialia sensim comparatæ? Ait Cardenas, pag. 231. nu. 466. *A pluribus annis Doctores circa quæstionem directam nihil certi invenire potuerunt, desperant omnes de evidentia aut certitudine comperienda in ea quæstione.*

Unde igitur certitudo comparabitur? Ex reflexione supra Probabilitatem, inquiet Cardenas.

At falsum ac ruinosum esse hoc fundamentum supra apertè demonstravimus. Unde ergo asseris propositionem Petrum absolventem à restitutione probabilem esse seu verisimilem; id est, veritati similem, quam invenire nunquam potuisti, quamque, ut ait Cardenas supra relatus, *desperant omnes se posse invenire?*

En igitur Cardenas ipse (qui vult haberi tanquam Reformator remissæ Probabilitatis) in eadem navi cum veteribus Academicis, (idque ex propria ejus confessione) contra quem statim & recurrit in toto suo robore præfatum D. Augustini argumentum, dicentis: *Insanum est & ineptum eum.* qui hæc audet definire, seu asserere talem propositionem esse certò probabilem; id est, veritati similem: hoc enim sonat nomen Probabilitatis, cui, ut ait D. Bernardus supra laudatus, *non sine temeritate, securitas asseritur.*

Sic in se confutatâ Probabilitate, quasi suâ sponte etiam corruunt ac dissolvuntur duo illius aggeres. Primus quidem quo asserunt quidam Probabilitatis Defensores, esse probabile, quidquid non fuerit Scripturæ oppositum, aut contrarium definitioni Ecclesiæ. Ex quo alterum inferunt, nullam etiam legem obligare, utpotè non sufficienter promulgatam, nisi ita evidens fuerit, ut adversus eam, nulla sit opinio probabilis, nam utrumque

que

que falsum est : etenim præter præfata duo membra, scilicet Scripturæ & definitionis Ecclesiæ, adhuc agnoscunt Thomistæ synderesim & prudentiam Christianam, contra quas sæpius peccatum committitur, ut supra diximus cum D. Thoma, de conscientia erronea. Neque hoc negare possunt Probabilitatis Defensores.

Innumeræ sunt etiam propositiones sparsæ in Casuistarum libris tanquam probabiles; ex quibus non paucæ sunt admodum scandalosæ, ac in communem perniciem vergentes, quæ cum nondum sint ad examen vocatæ nec condemnatæ, interim obtinerent non sine magno Reip. Christianæ detrimento.

16. Quare facillimè solvitur argumentum quod P. Fabri existimabat ineluctabile; quodque totum consistit in caligine Probabilitatis, quam satagunt novis obscurare nebulis Defensores Probabilitatis, confundentes virtutes speculativas cum moralibus & practicis, in quibus tanta evidentia non requiritur, ut quis quandoque agere teneatur. Sic ergo argumentatur: *Si non teneor* (inquit P. Fabri, qui re verâ non tenetur) *illud credere, quod certò mihi non constat revelatum à Deo fuisse, & ab Ecclesia propositum; non teneor etiam illam legem servare, quam certò non constat à Deo vel Ecclesia latam esse : Et sicuti certò judico me non peccare quando illud primum non credo ; ita certò judico me non peccare quando istud secundum non facio.* Ex quo omnis lex quæ habuerit quidpiam obscuritatis, continuò ceu insufficienter promulgata ac nota, exulabit apud Adversarios.

Pro præfati argumenti solutione, neganda est sequela, quæ tota latet in prædicta confusione distinctionis, speculativæ & practicæ virtutis.

Cum enim fides pertineat ad speculativas virtutes, more illarum evidentiam & certitudinem habere debemus revelationis à Deo factæ, & ab Ecclesia propositæ, antequam credere teneamur.

At non est idem de agendis & practicis, in quibus sufficit veritas practica judicii consentientis cum recto appetitu circa finem, officium & legem; & præcipuè in re, de qua majorem habere non possumus evidentiam. Sic filius prudenter honorare patrem, ipsique obtemperare censetur, licet non habeat omninò certam & evidentem suorum natalium notitiam. Item piè prudenterque adoratur hostia à Sacerdote consecrata, dum in Missæ sacrificio ad cultum ac venerationem populo exhibetur. Denique quis neget eum prudenter agere, qui abstinet ab iterando Baptismo, si probabiliter existimet, Baptismo primùm administrato, nec formam nec materiam, nec etiam defuisse Ministri intentionem ? Sed quæ conventio lucis ad tenebras, seu prædictorum cum iis in quibus de industria legibus contradicunt & adversantur, pretextu opinionis probabilis eis contrariæ ? Itaque asseruimus eos quidem peccare, qui in injustitia veritatem detinent, seu qui eam evidenter cognitam impugnant, quibus eos accensebimus, qui quidpiam affirmant aut negant contra Scripturam aut Ecclesiæ definitionem : sed hæc duo membra non sunt adæquata peccatorum causa, tùm propter rationem jam dictam, tùm quia juxta Probabilitatis doctrinam absolvendi essent Epicurei ab omni peccato circa Dei existentiam, Numinis providentiam, & Animarum nostrarum immortalitatem : siquidem exerto ore, per omne sanctum jurabunt, hæc diligenter inquisiisse,

seque nullam de his unquam habuisse, vel evidentem demonstrationem, vel fidei divinæ revelationem.

17. Ex hactenùs dictis manifestè declaratur quàm indignè abutantur Antithomistæ vocabulo prudentiæ, quàmque immeritò illud tribuant opinioni minus probabili, ut Probabilitatis nomen cum Cardena possint consecrare superiùs querimonias agente, quòd multi *sacrum Probabilitatis nomen corrumpant.* Quam ipse ita remissam fecit, suisque evanidis distinctionibus implicuit, ut jam omnes ab ea abhorrere debeant, sicut & à fucata quam ei affingit prudentia, juxta quam contra omnes ipsius naturæ & charitatis leges, asserit eum prudenter agere, qui temerè judicat etiam de homine integræ famæ, defectu scilicet perfectæ evidentiæ.

Non minus injusta est usurpatio Scripturæ, dum ex ea hoc testimonium, *Qui citò credit, levis est corde,* excerpunt; de communi tantùm inter homines credulitate seu fiducia intelligendum, ut illud etiam pro fide Divina omnibus obtrudant; quâ novitate inauditâ, & omnes qui prompto animo Deo vocanti citò obtemperarunt, ut Apostoli, tacitè arguuntur levitatis temerariæ, & quæ sunt fidei Divinitùs infusæ, reducuntur ad tricas & tribunal Probabilitatis, quâ tam facilè tot, adeóque horrenda tormentorum genera innoxiè potuissent omnes fidei Pugiles evadere, si vel semel obtineant Neotericæ Probabilitatum tricæ, eò periculosiores, quò omnibus morum ac fidei rebus occultiùs serpunt ac immiscentur.

Non miror quòd tam apertè supra relatam Divi Thomæ doctrinam ita corruperit Cardenas; cum non magis sincerè sanctissimi sui Patriarchæ Ignatii exponat regulas, ne à sua fucata Probabilitate videatur recedere. Etenim in libro de ratione studiorum Societatis Jesu, Antuerpiæ, apud Mursium 1635. authoritate septimæ Congregationis edito, pag. 30. n. 4. de Præfecto studiorum legitur: *Professoribus omnibus regulas sedulò curet (scilicet Præfectus) observandas; præcipuè verò eas quæ de doctrina D. Thomæ..... præscribuntur.* Porrò ex iisdem Societatis constitutionibus alibi ostendimus; quî præscribant esse repellendos à docendi munere, minùs benè affectos circa doctrinam Divi Thomæ.

Et ipsemet sanctus Patriarcha Ignatius de Loyola, non minus favens Thomistis in securiore opinione eligenda, quàm pro gratiæ efficacia, ut fusiùs alio libro ostendimus; non magis verè ab ipso Cardena exponitur. Nam 4. parte Const. editionis præfatæ, cap. 5. nu. 4. ubi ait S. Ignatius: *Sequantur (scilicet Professores Societatis) in quavis facultate securiorem & magis approbatam doctrinam, & eos Doctores qui eam docent,* sic illum interpretatur Cardenas, pag. 216. num. nu. 317. *Præcepit ergo Legislator noster ut doctrinam securiorem amplectamur:* (id est, inquit Cardenas, non suspectam.) Ita ne, Pater mi, licebit tibi *securiorem doctrinam* interpretari? An apud te dicetur optimus aut melior, omnis cibus veneni non suspectus?

Quare, mi Cardena, jam non miramur si nobis hac in parte contradicas, cum tam apertè sanctissimo tuo Patriarchæ illudas, ut vagam, quam tueris Probabilitatem, in Angelicum Doctorem refundere valeas, cujus non est Author aut Defensor, sed verus morbi hujus spiritualis Medicus, ut satis patet ex dictis. Quod si quidpiam recentius in hujus rei fidem à

me requiras; lege librum recentissimum, cui idiomate Gallico titulus est, *Le Iournal des Sçavans*; id est, *Diarium Doctorum*; ubi pro doctrina D. Thomæ, quam labefactare satagis, testimonium reperies pag. 55. datum à viro integerrimo nulli partium, sed uni veritati addicto 2. Martii 1676. *Le Pape Alexandre VII. (dit-il) voulant remedier à cet abus (c'est à dire à la corruption des mœurs, causée par la Probabilité;) aprés avoir condamné le sentiment de quelques autres qui s'estoient un peu écartez de la veritable Regle Chrestienne; ordonna, que comme la doctrine de Saint Thomas avoit toûjours passé pour la plus saine & la plus solide de toute l'Eglise, on tirast de ses œuvres une Somme qui pût servir de regle pour la conduite des Fideles.* Porrò hanc Summam eduxit Getius Ord. Prædic. Burdigalæ; & reperitur Parisiis apud Viduam *Thiboust*, quæ Angelici Præceptoris doctrinam sincerè refert, quam si sequi volueris, præceptis ac legibus adhærendum semper nobiscum judicabis: si secùs, quidquid in oppositum dixeris; veritas (quæ vino fortior est) semper prævalebit. Nec deerunt qui oculos aperiant, librosque evolvant, ut Probabilitatis fucum auferant, ac fallaciam refellant.

Quòd si causeris nimium à nobis exigi, dum securiorem partem semper esse sectandam contendimus; unum est quod reponamus cum Gregorio VII. *Nihil tibi præter quod Scriptura & sacri Canones (immò & ipsa ratio) præcipiunt, respondere possumus. (Quia) nulli licentiam peccandi dare possumus, nec debemus, cum ipsi eam non habeamus.* At tota doctrina de Probabilitate remissa, nihil est nisi ars cavillandi, vel potius fucata peccandi licentia, simplicitati Christianæ prorsùs inimica, & toti humano generi perniciosa. Unde S. Augustinus, lib. 22. de Civit. cap. 23. inter mala quæ specialiter ipsis justis sunt hîc metuenda, Probabilitatem annumerat; quos hortatur, ut continuis excubent vigiliis, *ne opinio verisimilis fallat; aut quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur.* Nam, ut supra cum D. Bernardo jam diximus, *Væ utrique dicitur.*



APPENDIX PRIMA.

De reliquis Probabilitatum Cuniculis.



E quid desiderandum supersit ad complementum hujus Apologiæ doctrinæ Thomisticæ, pro qua usurpare possumus illud Ecclesiastici 6. 31. *Decor vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris*; hîc brevem adjiciemus Appendicem, quâ tum reliqui Adversariorum Cuniculi aperiantur & expurgentur; tum quæ supersunt solvenda dirimantur argumenta, quæ certè ad tantum ac talem pervenêre excessum, ut expediat, immò sit prorsùs necessarium, omnes agnoscere Probabilitatis doctrinam; nec ad D. Thomam aut Sanctos Patres pertinere, nec ad Ecclesiam. Decorem vitæ in doctrina Divi Thomæ hac in parte Probabilitati opposita esse diximus, qui bonum honestum (homini adeò proprium) ait semper esse præferendum cæteris boni speciebus Unde de verit. q. 18. a. 6. *Semper contingit* (inquit) *inordinatio, quando aliquid movetur à non proprio motivo, sicut si voluntas moveretur à delectabili sensus, cum debeat tantummodo moveri ab honesto.* Quô unô sancti Doctoris testimoniô, tota Probabilitas perturbatur, quæ ipsa perturbat omnia, dum bonum utile, jucundum seu delectabile non rarò præfert honesto, idque aliquando contra legem aut officium: & hoc, propter lucrum, libertatem, commodum aut aliquam voluptatem capessendam: Et quod pejus est, suadere nituntur Adversarii id ita fieri debere ex mente D. Thomæ: qui si viveret, non dubito quin indignabundus in hæc verba Socratis prorumperet: *Quàm multa falsa mihi imputantur.* Dicitur etiam *Alligatura salutaris.* Quia rerum naturalium cognitionem mirum in modum cum rebus fidei sociavit: ut tàm hæc quàm illa saluti deserviret. Quare sit



CVNICVLVS PRIMVS.

Vtrum prætextu opinionis hinc & indè probabilis, ritè absolvatur quis ab obligatione legis, prætensâ possessione libertatis?

SECTIO I.

Quid sit Lex humana, unde ipsa? Cur sic dicta? & quàm necessaria sit? Vbi primo intuitu ostenditur Probabilitatem non esse in statera appendendam cum tot egregiis dotibus legis. Quid intelligatur possessione libertatis? Et fundamentum obligationis legum humanarum declaratur.

Nu. 1. NIhil frequentius apud Adversarios, ut patet ex dictis; quàm unumquemque tutò sequi posse opinionem probabilem etiam legi contrariam, multis quidem de causis; sed potissimùm ex titulo & jure

possessionis libertatis, quâ (inquiunt) nemo debet spoliari sine evidenti & manifesta legis evidentia, quæ nunquam verè talis judicatur; quandiu contra legem opiniones utrinque probabiles reperiuntur. Existimant enim Adversarii legem non esse sufficienter promulgatam, nec subinde in conscientia obligare, nisi sit evidentior (ut cum quibusdam loquar) ipsâ luce meridianâ.

Quare priusquam hanc prætensam libertatis possessionem refellamus, hîc breviter attingemus, quæ fusiùs exposuimus in Tractatu de Legibus (ubi securiores semitas Moralis Theologiæ pro modulo assignavimus;) ut meliùs innotescat, quàm immeritò prætendant possessionem libertatis contra jus & authoritatem legis, supremæ hujus Majestatis, quæ non tantùm hominem sibi subjicit, sed & totum subdit suis orbem legibus: qui enim in æterna sua dispositione & providentia, jam certa lege & gyro ipsas vallabat abyssos, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; nullatenùs existimandus est hominem sibi ipsi reliquisse sine lege; qui eâ præ cæteris indigebat propter libertatis creatæ indifferentiam & cordis humani pravitatem.

Ne igitur actum agamus prætermisso tractatu de Legibus, scilicet æternâ, naturali ac divinâ; de quibus fusè satis egimus, quibusque semper & in omnibus obtemperare ac subesse debemus; obiter nonnulla adjiciemus de lege humana, ab homine suo Authore sic dicta; à quo tanquam Dei Ministro instituitur ceu medicina infirmis necessaria, maximè in rerum commutationibus & contractibus, ac potissimùm propter avaritiam ac regimen seu gubernandi necessitatem, quibus vis coactiva & punitiva erat necessaria, quas pœnas non infligit lex ipsa naturalis, sed determinandas & infligendas relinquit. Lex igitur humana definitur: *Recta & naturalis regula prodiens à sapientia Principis, certo ordine ad bonum, finemque debitum deducens subditos.* Quæ ex D. Thoma 1. 2. q. 96. a. 4. ab æterna lege per naturalem derivatur, juxta illud Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.*

Porrò legis humanæ dotes ab Isidoro assignatæ, sunt istæ, ut scilicet lex sit *justa, honesta, possibilis, secundùm naturam, & patria consuetudinem; loco ac tempori conveniens, necessaria, utilis, manifesta, nullo privato commodo studens; sed pro communi omnium utilitate conscripta.* Has omnes legis conditiones ad istas tres nonnulli reduxerunt, ut scilicet *lex Religioni congruat, disciplinæ conveniat & saluti proficiat.*

His dotibus & prærogativis decorata lex humana, in infinitum nihilominùs inferior est & imperfectior lege æternâ, naturali & positivâ Divinâ; à quibus omnibus si notio legis abstrahatur, inquiritur an tanti facienda sit libertas creata, ut vi solius Probabilitatis, sit legibus anteponenda, quotiescumque non fuerit perfecta legis evidentia; ita ut habenda sit ratio possessionis libertatis, sicut in rebus ad justitiam spectantibus, specialis habetur titulus de jure possessionis seu usucapionis?

Hoc posse ac fieri debere affirmant Adversarii: negant verò Thomistæ, contendentes hunc titulum possessionis libertatis esse falsum ac nullum, ac præsertim contra legem Dei æternam aliarum scaturiginem. Utris verò adhærendum sit; id est, nobis aut Adversariis, utrisve potior ratio suffragetur, id quod sequitur, palam declarabit. S iij

2. Primum igitur Cuniculum à libertatis possessione contra legem aut præceptum excogitarunt Antithomistæ, asserentes hunc titulum valere contra quamcumque legem, de qua hinc & inde sunt opiniones probabiles etiam extra justitiæ materiam. Quo in quæsito aperienda est magni momenti æquivocatio, quâ non parum obscuratur hoc negotium.

Cum ergo inquiritur utrum aliquis remanere debeat in possessione suæ libertatis contra legem & præceptum; idem est ac si inquireremus utrùm v. g. is qui probabiliter credit se non vovisse, aut Officium Divinum non recitasse; vel diem Jovis nondum esse circa mediam noctem Veneris transactum; possit sine scrupulo votum non adimplere, Officium non recitare, & adhuc carnes comedere? Non est sermo de potentia naturali, quæ est capax boni & mali, seu benè & malè faciendi; sed de potentia morali, quæ, ut supra diximus, est tantùm de eo quod licitè & secundùm Deum quisque potest facere.

Intellectâ igitur controversiâ de potentia morali, quùm inquiritur v. g. aut dubitat quispiam an voto satisfecerit, remaneat securus in conscientia, possessione libertatis probabiliter suadentis se voto fecisse satis, quamvis probabilius oppositum existimet? Quæstio est de *subjecto non supponente*, ut loquitur Celladeus, seu de ipsa re, pro qua sumus sub lite: Et quicumque hac in re judicat aut definit per possessionem libertatis moralis; judicium fert per id quod non est, sed de eo, de quo inquiritur utrùm esse possit. V. g. utrùm sutor possit licitè non jejunare; ex eo quòd probabiles hinc & inde sint opiniones, ex quibus una asserit ipsum non teneri jejunare; vel ex eo solo quòd sit, in possessione suæ libertatis.

Sublatâ igitur æquivocatione, & factâ distinctione potentiæ moralis, quæ est tantùm de eo quod licitè fieri potest: falsò ac perperam quis innititur possessione libertatis, quæ nunquam fuit, cum hactenùs dubitatum sit, utrùm in prædictis casibus & his similibus esse possit: & sic patet hallucinatio, nam possessio stat pro eo quod est, ac certò; idque bonâ fide possidetur: & tunc erit pro lege quæ est antiquior.

Et quamvis esset sermo de lege justa recens instituta, adhuc argumentum valeret: nam omnes leges justæ, sunt libertate nostrâ semper priores in radice; sunt enim legis æternæ, naturalis ac Divinæ participationes, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Et ad Rom. 13. *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo.* Et consequenter nullus potest etiam respectu novæ legis justæ, possessionem suæ libertatis prætexere: quomodo enim esset aut esse posset justa possessio libertatis, quæ non est, nec unquam fuit respectu justæ legis institutæ aut instituendæ à potestatem habente; cui si subditus resistit, teste Apostolo, damnationem sibi acquirit?

Legatur si occurrere possit Celladeus de recta morum doctrina, Lugd. 1670. editus apud Petrum Chevalier, ne pluries eadem repetere cogar. Nec quis miretur si de hoc egregio ac subtili Authore mihi frequens sit sermo in hac Appendice; accepi enim omnia ferè primæ editionis volumina fuisse suppressa, tùm ob perfectam nobiscum consensionem circa doctrinam morum ex mente Divi Thomæ; tùm quòd nimis efficaciter & apertè Probabilitatis nævos aperuerit: quare plurimùm interesse arbitratus sum si datâ

quacumque occasione ipsum insererem, ne saltem pereat hac in parte.

Fretus hac libertatis possessione præco magnus ac insignis Probabilitatum Defensor Dominus Caramuel citatus in Ethica Christiana, pag. 131. sic ait: *Qui dubitat an dies Iovis effluxerit, & incœperit dies Veneris, debebit sic discurrere: Dies Iovis est prior die Veneris: ergo est in possessione. Ergo non teneor credere esse diem Veneris, quousque detur ratio tam clara, quæ diei Iovis possessionem elidat. Mirabilis planè possessio!*

At in oppositum stant Thomistæ asserentes standum esse pro lege, aut præcepto vetante; & tutiorem partem eligendam esse, atque in casu prædicto à carnibus comedendis abstinendum esse, ac denique vanam esse ac futilem libertatis hujus possessionem.

3. Declaratur ex justitiæ & aliarum virtutum discrimine. Æqualitas rationum, jurium vel Authoritatum in materia justitiæ, rem propriè facit dubiam; tuncque *melior est conditio possidentis;* dummodò bonâ fide inchoata fuerit possessio, certoque continuata tempore prolixiori aut minus longo pro rerum ac personarum diversitate. Et tunc possessor non est removendus, nisi contra ipsum major stet probatio: in pari siquidem casu ipse impar ac potior evadit solo jure possessionis, quæ deducitur ex jure naturæ, accedente Authoritate Reipublicæ, ad quam spectat plura determinare.

Explicatur magis. Diximus in Tractatu de Legibus, faciendam fuisse rerum divisionem, propter quorumdam hominum pigritiam, qui non satis diligenter colebant agros, quos (quia communes) respiciebant tanquam alienos: tum propter insatiabilem aliorum avaritiam, qui omnia sibi coacervare voluissent. Meritò igitur accessit authoritas Reipublicæ, ad cujus pacem ac tranquillitatem plurimùm confert, ut unicuique jus suum servetur, resque remaneant in eo ordine, in quo justâ & maturâ deliberatione fuerunt dispositæ; semotâ innovatione, quæ ut plurimùm, non est sine aliquo perturbationis aut alterius damni periculo. Eadem de causa diximus pag. 109. de legibus, ad debitam legum observantiam non parùm valere consuetudinem; & nunquam veteribus derogandum esse legibus, nisi sit vel urgentissima necessitas, vel evidentissima utilitas: & ibidem utriusque rationem assignavimus præsenti instituto penitùs faventem.

Hæc clamant jura, ex quibus deprompta sunt & inductæ leges præscriptionis & usucapionis circa materiam justitiæ, ut dictum est, ob pacem ac tranquillitatem Reipublicæ, sine quibus nihil tutò vendi, emi aut transferri posset; nec quisquam contractibus suis aut donationibus fidere posset, si suffragium temporis rerum possessionem nihil juvaret. Hinc omnium Sapientum consilio ac consensu sancitum est possessionem aliquid conferre ad verum dominium & proprietatem rerum; sicut & ad dubitationem solvendam cujus res sit: nam possessor qui bonâ fide, diù pacificè & nullô contradicente rem servavit; legitimo jure illam adivisse, juxta Christianæ prudentiæ regulas, credendus est. Legatur Celladeus citatus, qui hac de re cum Palavicino subtiliter disserit, ostenditque circa materiam justitiæ & bonorum temporalium dispositionem, esse aliquod speciale fundamentum, possessionis justæ ex authoritate Reipublicæ, quod non reperiatur in aliis virtutum officiis.

Nam inde depromuntur leges æquissimæ, quæ proprietatem rerumque dominium ac veritatem inducunt. Veritatem dico; quod enim in re est proprietas: in intellectu circa rem possessam est veritas, (cum de legitima ejus possessione dubitatur) juxta quas leges ritè justitiam administrant, & sine quibus pax & tranquillitas non servarentur. Dixi etiam justas esse possessionis & usucapionis leges: tùm voluntate, quam vocant *derelictionis & abjectionis*; illius scilicet qui tandiu rem suam neglexit, tùm authoritate reip. quæ potestate à Deo accepta bono communi (quod divinum est) intendit, pacis ac communis tranquillitatis sollicita.

At, quid commune habet præfata rerum materialium dispositio, ob incuriam & avaritiam potissimùm corrigenda, ut dictum est; cum spiritualibus & æterna Dei lege? Quid simile fingi potest à Republica determinandum circa spiritualia, quibus ipsa summo jure subdita esse debet? An pertinet ad Remp. definire, utrum Deo opt. ejusque præceptis ac legibus obtemperare debeas? Nam si teste Cicerone *nihil mortales à diis immortalibus usucapere possunt*: certè potiori jure nec à Deo: contra cujus legem, injusta creaturæ rebellio aut negligentiæ reatus nullam inducunt possessionem, ut per se notum est.

4. Confirmatur. Lex æterna dicitur summa ratio in mente Divina ab æterno existens: seu effectiuus rerum omnium præconceptus, quo Deus singulis rebus, suos indidit stimulos & instinctus, quibus in suos fines agerentur: & præcipuè homini, in cujus mente naturalem impressit agendi normam, quâ secundùm rationem ageret (quæ ei naturalis est) quamque non potest præterire, nisi conscientia reclamante; & synderesi exprobrante. Et quia non ad finem tantùm naturalem, sed & ad supernaturalem homo conditus est: duplicem aliam legem Deus concessit eidem, Mosaïcam scilicet & Evangelicam: & in has leges nihil omninò potest Reip. authoritas vel hominis voluntas, propter supremum Dei dominium in voluntatem creatam. Ubi ergo prætensa libertatis possessio adversus hujusmodi leges, non solùm tempore priores, sed & dignitate, à peccato immunitatem & securitatem, faciens? Etenim legis æternæ promulgatio cœpit in nobis à primo usus rationis momento; ac proinde lex æterna antiquior voluntate creaturæ, jusque obtinet dominii supra voluntatem creatam. At quodnam dominium magis justum quam Conditoris & Conservatoris? Inter quem & creaturam si per impossibile aliqua reperiretur juris & libertatis æqualitas; adhuc merito jure, præsumendum esset pro Superiore prout cæteris paribus, bonum commune præferendum est privato, Divinum creato, & jus altioris ordinis juri inferioris: nisi velis per summam rerum subversionem, bellum ex utraque parte justum esse & jus Divinæ legis, quæ non solùm prioritate sed & honestate ac indubitata æquitate semper vincit, justè etiam vinci libertate voluntatis creatæ capacis tam mali quam boni: & hoc argumentum deberet apud Adversarios esse invictum, apud quos tantum valet falsa possessio libertatis vel ob solam dierum & horarum prioritatem. Numquam ergo præsumendum pro possessione libertatis creatæ, nisi fortè cum res sunt indifferentes: quod desinit esse, ubi primùm prudens oritur controversia, an res aliqua sit mala vel à Superiore prohibita.

SECTIO

SECTIO II.

Non favet libertati Regula communis (melior est conditio possidentis) tantùm usurpanda in materia justitiæ. Cur facienda fuerit rerum divisio? Neque unquam esse potest justa præscriptio contra legem Dei æternam, prætextu probabilitatis, hic quoque speciali Scripturæ exemplo profligata.

Nu. 5. DEclaratur magis. Lex æterna est prima & principalis actuum humanorum Regula : secunda verò est ratio humana prioris manifestativa, quæ huic debet conformari, sicut justi horologii motus, motui primi mobilis conformatur. Non tamen ita clarè fuit intimata omnibus rationis lumine, neque ita perseveranter innotuit; quin in pluribus valdè obscura fuerit ; quare æquum judicavit misericordiarum Pater, legem æternam iterùm per Moysen Primùm mortalium legislatorum, in Decalogo velut in lucerna accendere : ac tandem per Evangelium ceu super candelabrum, eandem omnibus proponere fidelibus, & signanter per Christi exemplum , qui est Mons in vertice montium, Ecclesiam illuminare : quam audire tenemur, cæterisque legislatoribus obedire, juxta illud : *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Item : *necessitate subditi estote, non solùm propter iram (id est, obligationem ad pœnam) sed etiam propter conscientiam.*

Ubi ergo prætensa libertatis possessio? Quæ si vel semel admitteretur, numquam in dubia aut pari causa locum haberet omnium Sapientum commune adagium seu Regula generalis; in hujusmodi *tutiorem partem esse eligendam.*

Confirmatur secundò. Obligatio sequendi partem tutam in dubiis nascitur ex ipso jure naturæ & Divino, inuitante ut *æmulemur charismata meliora, ut per arctam viam ingredi contendamus*; & declaratoriè ex jure canonico, pluries; ut cap. *Ad audientiam.* Cap. *Significasti.* Hac de causa jubemur ritè scire legem Dei: ejus præcepta meditari, Scripturas scrutari, ut per eas nobis innotescat Dei voluntas. At quicumque operatur contra legem sibi cognitam, prætextu possessionis libertatis : ait, sin voce, saltem operibus & virtualiter: *Fortasse lex hanc operationem prohibet.* Verùm quicumque sic operatur, certissimè peccat, estque temerarius. Et sicut ludentibus, si quæ in ludo jactura contingat, meritò imputatur: nec excusantur per hoc, quod dicant se nescivisse an perdituri essent : ita & qui operatur dubitans, an lex Dei aliquid prohibeat, quod agere delectat: non obstante opinionum diversitate, quarum una (ut volunt) est contra legem, peccat sequens minùs probabilem legi contrariam.

6. Confirmatur 3. & magis explicatur præcedens ratio. Si id quod est melius, magisque tutùm, ac minus peccatis & erroribus obnoxium; semper præferre debeamus, ut per se patet, idque juxta omnes humanæ & Christianæ prudentiæ leges; & ex Aristotele 1. Rheto. quantùm fieri potest omnia sunt definienda juxta leges, utpotè majori deliberatione & à prudentioribus stabilitas ac certiores; quia sunt à singularibus abstractæ,

T

ac proinde longè præstantes quoad æquitatem & certitudinem privato cujuscumque judicio, passionibus amoris, odii, voluptatis, lucri aut saltem acceptionis personarum adhuc obnoxio: certè non nisi immeritissime prætensa possessio libertatis uniuscujusque hominis, unquam præferri poterit legibus & presertim Divinis maturo æternæ sapientiæ judicio stabilitis. Nulla igitur Probabilitas indifferens ad concordiam aut discordiam cum lege divina; melior est aut securior Morum regula, quàm alearum ludus aut duella suscepta justitiæ causâ: etenim numquam pollicitus est Deus se pro meliori jure affuturum sic pugnantibus: & sicut hac de causa, omnis pugna singularis est criminosa, ita falsa est omnis securitas probabilitatis, in qua perperam sistitur contra Dei mandata, jubentis illa custodiri nimis, & maximè in re momenti longè gravioris, quàm vitæ corporis, utpotè in quâ (ut loquuntur adversarii) sæpius *jacitur alea de æternitate*. Profectò ista mihi videntur adeò certa, ut ignorem quî possint nonnulli ea in dubium revocare: & unum Saülis factum 1. Regum 15: in effrænem licentiam agendi contra legem aut præceptum; deberet omninò coërcere, ac metum omnibus injicere: nam ipse non carebat Probabilitate & quidem multò majore, illâ quam sæpiùs nobis obtrudere conantur: recta enim videbatur Saülis intentio: urgebat necessitas (quæ, ut aiunt, non habet legem) in qua Deo obtulerat holocaustum: Cui tamen responsum est à Propheta: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui*. Quare dicendum est, tentatam ab adversariis disceptationem, pro possessione libertatis contra legem; vi aut prætextu Probabilitatis propugnatam, prorsùs esse rejiciendam. Quod si fusiùs quàm forte par esset hoc prosequutus sim; facile ut arbitror ignoscet benevolus lector, ubi adverterit prætensam hanc possessionem libertatis, prætextum habere magis speciosum, esseque quasi domesticum inimicum, quem difficilius fuit expellere, quàm extraneos non admittere.



CUNICULUS SECUNDUS.

Utrum quando sunt opiniones hinc & inde Probabiles, possit quispiam indifferenter utramuis eligere beneficiô cujusdam ignorantiæ invincibilis (quam Casuistæ Moderni vocant vitalem) & an hæc ignorantia sit verè invincibilis, quæ actum seu opus possit ab omni peccato excusare illudque, meritorium & laude dignum efficere?

Nu. 1. Conclusio negativa quoad omnes suas partes stabilitur: subindeque ostenditur quomodo hæc vitalis ignorantia, nedùm mortua sit, sed & mortifera. Hic non agimus de ignorantia invincibili, cujusmodi est ignorantia fidei respectu eorum, ad quos vel minima numquam pervenit Evangelii aura: sed de quadam alia ignorantia, nuper excogitata (quam vocant vitalem, quamque sufficiunt ferè loco innocentiæ) quæ non solùm ex-

cuset à peccato, sed & opus reddat meritorium & laude dignum. Ex quo falso principio sic ratiocinatur insignis Defensor Probabilitatis. *Omnis ignorantia invincibilis in statu naturæ lapsæ, excusat à peccato: at ignorantia invincibili imbutæ sunt omnes opiniones probabiles. Cumque Probabilitas præstet ignorantiæ, sitque validior ad peccata excusanda: & ignorantia invincibilis excuset à peccatis: potiori jure Probabilitas excusabit.* Et quotiescumque se irretitos reperiunt hi Casuistæ, exitus quærunt, inquit Celladeus pag. *431. per appellationes vel ad possessionem libertatis, vel ad prudentes, vel ad non sufficientem legis promulgationem vel ad ignorantiam vitalem.* Adeòque opportuna est ipsis opinionum diversitas, ut ipsis ferè numquam desit Probabilitas: cum qua si sit transgressio legis, non multùm curant, quia est tantùm materialis, *per quam, ut ait referendo Celladeus pag. 433. nullus homo occiditur.*

Porrò magnus est Probabilitatis & ignorantiæ hujus vitalis Defensor Terillus Angelus, Tractatu de conscientia, Leodii ex Typogra. Mathiæ Jouii 1669. edito: qui ab ipsa præfatione rei gravitatem sic exprimit. *Celeberrima hoc tempore pugna scholastica de conscientia probabili, quâ nulla unquam aut gravior aut acrior mundum implevit.* Sed quia Terillus iste jam ab aliis Thomistis usque ad satietatem confutatus est, hic tantùmmodo ex illo annotabimus id quod ait pag. 448. q. 23. ne quis suspicari possit ipsi à me istud imponi. *Omnis Probabilitatis, quod objectum non sit prohibitum, etiam in contradictione Probabilitatis directè majoris pro parte contraria, necessariò convertitur cum invincibili ignorantia legis Divinæ probibentis tale objectum. Ergo*, inquit, *quævis Probabilitas excusat à peccato & sufficit ad securitatem conscientiæ.* Qui ignorantiam illam, quæ provenit ex totali ignorantia objecti, vocat *mortuam*: hanc verò, quæ est ex opinionum diversitate, dicit *vitalem* quam multùm extollit supra priorem.

At ignorantiam, quam ille vocat *vitalem*; hanc dicunt Thomistæ nedùm mortuam, sed & mortiferam, quâ gravissimè decipiuntur Animæ, etiam in rebus ad æternam salutem pertinentibus: eandemque existimant vincibilem, & unumquemque illam posse ac debere vincere, vel cessando ab operatione, vel electione partis tutæ, pro lege aut præcepto stantis: quod invicto argumento, & ut loquuntur (ad hominem) iterum sic contra citatum Terillum pag. 449. ostendo. Ait enim Terillus: *Qui dubitat tenetur aut tutiorem partem sequi, aut veritatem investigare, atque ita prudenter dubium deponere: si hoc non agat*, inquit, *ignorat legem vincibiliter* ac proinde culpabiliter. Sed ut fusiùs supra ostendimus, quicumque habet hinc & inde opiniones probabiles, ob æqualitatem rationum, vel propter authoritates æqualis fidei; habet dubium, ergo juxta ipsum Terillum ignorat legem vincibiliter & culpabiliter, ac subinde & longe potiori jure quando operatur contra rationes probabiliores pro lege aut officio stantes. Major est ipsius Terilli: minorem supra probavimus rursumque ex D. Thoma de verit. q. 14. ar. 1. confirmamus. *Dubium*, inquit, *est contrariarum rationum æqualitas.* Et in 3. sent. dist. 17. q. unic. ar. 4: *dubium est motus rationis supra utraque parte contradictionis cum formidine determinandi alterutram.* Idque ex defectu medii convincentis.

Idem confirmatur ex Celladeo pag. 562. *Ponimus ergo*, inquit, *omnem*

æqualitatem rationum vel authoritatum, tam circa factum, quàm circa jus, proprissimè facere rem dubiam.

Confirmatur adhuc efficacius ex eodem Celladeo pag. 586. ubi ait. *Si habens æquales causas & rationes affirmandi & negandi in hac quæstione: an scilicet re ipsâ hic & nunc detur voluntas Dei, quâ velit à me rem istam fieri: si inquam, rem illam facio; virtualiter saltem dico: sive Deus velit, sive nolit, volo eam facere.* At, qui sic agit aut ait, gravissimè peccat; vel ex eo solo, quod se exponat peccandi periculo, tamque parvi faciat voluntatem & amicitiam Dei.

Item, quid diceres de Præcone seu Nuntio denuntiante quidpiam sic faciendum esse (quod ritè omitti, vel melius fieri posset) sive Rex vellet, sive nollet? At conscientia nostra est Præco seu Nuntius legis æternæ & voluntatis Divinæ: quæ cum asserit nos posse sequi opinionem etiam legi contrariam: idem omninò est ac ipsum quod supra dictum est, quodque vel cogitari non potest, sine saltem virtuali contemptu legis Divinæ, cui melius conformaremur vel abstinendo ab opere prohibito, vel illud efficiendo juxta legem nobis præscriptam, spreto in oppositum suadente, omni Probabilitatis commento. His rationum momentis maximè refugit à Probabilitate idem Celladeus, asserens pag. 504. *Motiva æqualia facere conclusionem neutram seu ad utrumlibet.* Sicut quando apud medicos (inquit) duo occurrunt signa, scilicet urina bona, quæ sanitatem indicat: & pulsus malus qui indicit infirmitatem. Quo in casu non potest Medicus ullum certum de sanitate aut morbo ferre judicium: Ergo & potiori jure, nullus poterit prudenter asserere actum aliquem esse bonum, quem Probabilius judicat esse legi contrarium.

3. Sed quia res est magni momenti, magis explicatur. Quæritur primò an is qui post debitam diligentiam non potest certam habere notitiam, utrum v. g. hic contractus sit à Deo prohibitus tanquam usurarius aut simoniacus ejusque legi æternæ (cui omne malum repugnat) contrarius: possit tamen illum contractum efficere, ex eo solo, quod pro eo efficiendo suppetant rationes aliquæ vel authoritates, quæ partem hanc affirmativam efficiant probabilem: Et an ignorantia in hac opinionum diversitate reperta, dicenda sit invincibilis, quæ excuset à peccato, & actum efficiat meritorium, & vita æterna dignum. Affirmant Probabilitatis Defensores; negant verò Thomistæ. Jure an injuriâ, penes cordatos lectores sit judicium. Et licet in præcedentibus fusè satis partem negativam probaverimus; attamen rationes prædictis adjiciam omninò convincentes.

Sicut qui absoluit ex jurisdictione tantùm probabili, spe ratihabitionis, peccat; vel ex eo solo, quod hanc Superior fortasse recusabit: ita & qui facit contra legem aut præceptum, licet probabiliter existimet nullum aut leve esse malum: nam fortasse erit verè malum & quidem grave. Ex eo igitur delinquit non solùm quod omnes legis dotes supra ex Isidoro assignatas spernat; sed etiam quod imprudenter agat: Nam ad prudenter agendum requiritur certitudo; & sicut reus est homicidii, qui ut cumque prævisо se se exponit periculo interficiendi hominem: ita & cujuscumque peccati, qui sibi non cavet ab occasione prævisa illud committendi; non

solùm ubi sunt æquales hinc & inde rationes; sed etiam ubi vel minima justa est ratio dubitandi. Quod ritè explicat Celladeus exemplo familiari, pag. 336. *Videt eminùs*, inquit, *animal venator & existimat esse cervum: adsint cum eo 30. alii homines, ex quibus 28. contestentur illud animal esse cervum: & duo tantùm contendant esse hominem. Ponimus in his omnibus aqualitatem, visus perspicacitatem, &c. In hoc casu*, inquit, *peccaret venator ille, si vel sagittam ad interficiendum emitteret: & tamen probabile est, illud animal non esse hominem, immò probabilius quandoquidem multò difficilius est, 28. homines falli; quàm duos: nec plerumque contingit primum.* Quicumque igitur in hoc casu reperitur, *ad novam investigationem obligatur, nec interea licet sagittam emittere ut idem ait pag. 347. & 437. Ergo longè potiori jure peccat qui contra legem sequitur opinionem minùs probabilem; ut vult Terillus supra citatus.*

4. Probatur ergo conclusio ex D. Thoma 1. 2. q. 19. ar. 6. *Ignorantia* (inquit) *quæ tollit voluntarium, tollit rationem boni & mali moralis*: & vicissim, quę non tollit voluntarium, non tollit rationem boni & mali moralis. Sed excogitata à Defensoribus Probabilitatis hæc ignorantia vitalis voluntarium non tollit: ergo non tollit rationem boni & mali moralis, ac proinde non excusat à peccatis. Minor in qua sola est difficultas, declaratur ex Angelico Doctore etiam 1. 2. q. 74. ar. 1. ad 2. ubi ostendit ignorantiam non esse invincibilem nisi omnem excludat cognitionem & affectum: ita ut defectus apprehensivæ virtutis, nec subjaceat voluntati, nec sit volitus etiam indirectè: ut ibid. ait S. Doctor q. 76. ar. 3. Sed hæc nova & hactenùs inaudita vitalis ignorantia, non excludit omnem cognitionem aut peccati affectum: ergo, &c. Non quidem cognitionem, quia eligens opinionem minùs probabilem legi contrariam, non minùs evidenter erroris aut peccati periculum & legis transgressionem prospicit; quàm qui pugnans in duello, propriam prævidet aut alienam vel utriusque mortem: quæ si aliquando non contingat, est merè per accidens, nec ob hoc quisquam excusatur. Peccati etiam affectum satis ostendit hæc prætensa vitalis ignorantia falsò proinde invincibilis aut excusabilis: dum magis de ipsa Probabilitate satagit ex authorum multitudine, quam undique colligit, opinionem tueri; quàm ipsam rerum veritatem agnoscere & scrutari: unde effatum commune Probabilitatis Defensorum: *Authore non caret, ergo probabilis est: ergo secura morum regula.*

5. Probatur secundò. Ignorantia non debet censeri invincibilis, nec proinde poterit eum à peccato excusare, cui sufficienter innotescit modus aliquis vitandi peccatum: sed quicumque constitutus est inter duas opiniones ptobabiles, quarum una favet legi, altera verò est legi contraria, eidem sufficienter innotescit modus, & quidem facilis vitandi peccatum, scilicet vel tutiorem partem eligendo & legi obsequendo, vel abstinendo ab actu: v. g. à contractu faciendo, quem vel probabiliter existimat usurarium aut simoniacum. Major est nota lumine naturali; minorem etiam nemo nisi protervus negare potest. Ergo, &c. Legatur Doctor Angelicus 1. 2. q. 76. a. 3. Et de malo, q. 3. a. 8. ubi ostendit quomodo reus peccati quis efficiatur etiam ex ignorantia indirectè voluntaria, & nemo dubitabit de veritate nostræ conclusionis.

6. Præterea ex D. Thoma, q. & art. ſupra citatis de Malo: Ignorantia non eſt immunis à peccato, quando eſt cum voluntaria inordinatione voluntatis; quod contingit quando bonum honeſtum poſtponitur aliis boni ſpeciebus, ut contingit ex Probabilitate. Quod confirmatur rursùm de verit. q. 18. art. *6.* citato in principio hujus Appendicis. Sed tota Probabilitatis ſolertia, totuſque hujuſce vitalis ignorantiæ invincibilis conatus eſt pro tuenda libertate contra legem; commodo, voluptate & lucro contra honeſtatem, quæ eſt bonum homini maximè proprium: Ergo hæc ignorantia falsò dicitur invincibilis, quæ proinde à peccato excuſare nequaquam poterit.

7. Prædicta omnia confirmantur. Nam ut ignorantia à peccato excuſare poſſit, debet eſſe omninò impræviſa: at non eſt talis hæc Antithomiſtarum ignorantia vitalis in opinionibus utrinque probabilibus; quia ſic operans jam cogitat de malitia objecti, & videt illam eſſe verè probabilem; jamque ita peccati aut erroris malitia apparet & tùm maximè, quod quis id ſequatur, quod probabilius legi aut præcepto adverſatur. Neque poteſt is verè comparari cum eo, cui nihil unquam venit in mentem de peccati aut erroris periculo, niſi velis monoculum aut luſcioſum, in omnibus & per omnia, prorsùs cæco æquiparare: quod nemo ſanæ mentis unquam dixerit.

Hîc jam, ut arbitror, ſatis patet ex dictis tot rationibus & exemplis, quî prædicta vitalis ignorantia falsò invincibilis, nedum etiam mortua ſit, ſed & mortifera; quâ falsò ac perperam fucentur graviſſima in Deum & proximum peccata: ipſique Crucifixores Chriſti, nec non antiqui Philoſophi, quos circa cultum ac venerationem Dei ait Apoſtolus inexcuſabiles, eſſent omninò inſontes, cum hac ignorantia vitali non caruerint; utpotè non habentes de Deo & Chriſti Divinitate perfectam evidentiam, ut infra dicemus cum Angelico Doctore; quem tamen pro ſua ſententia adducere non verentur moderni Probabilitatis Patroni.

Quare hîc nequeo mihi ipſi non gratulari, quòd rem habeam cum viris qui ſe dicunt veros Divi Thomæ diſcipulos: Magiſtrum ergo unà audiamus. Fateor cum ipſo de Malo, q. 3. a. *6.* quòd qui ſagittam emittit, putans ſolummodò occidere hominem, & Patrem ſuum interficit, qui nunquam in hoc caſu ipſi venerat in mentem, *Reus eſt ſolùm homicidii & non parricidii*: At ſecùs omninò dicendum eſſet, ſi pater ipſi in mentem veniſſet, vel probabiliter crediidiſſet ipſum poſſe tunc occurrere: nam ut ſtatim conſtabit, non minus eſſet parricidii quàm homicidii reus.


Confirmatur & explicatur evidentibus D. Thomæ Authoritatibus, quibus conſtat cognitionem etiam imperfectam & tantùm probabilem de aliquo objecto, lege aut præcepto habitam, verè efficere, ut de illo ignorantia dici non poſſit invincibilis quæ valeat aut à peccato excuſare, aut actum malum honeſtare; & ut volunt Adverſarii, meritorium & laude dignum efficere. Nec neceſſarium eſſe (quod notatum velim) cognitionem de aliqua lege aut objecto, aut aliquo ipſi annexo, debere eſſe (ut loquuntur) luce meridianâ evidentiorem, ut illius ignorantia verè imputetur ad culpam.

8. Probatur ex 3. cont. Gent. cap. 50. *Omne quod eſt imperfectum in ali-*

qua ſpecie, deſiderat conſequi perfectionem illius ſpeciei : qui enim habet opinionem de re aliqua, quæ eſt imperfecta illius notitia, ex hoc ipſo incitatur ad deſiderandam illius rei notitiam. Unde ibid. ait ſanctus Doctor: *Sicut naturale deſiderium ineſt omnibus intellectualibus naturis, ita ineſt eis naturale deſiderium ignorantiam ſeu neſcientiam pellendi.* Ex quo apparet tantum eſſe diſcrimen inter eum qui nullam unquam habuit de aliquo notitiam; & illum qui jam habet de eodem cognitionem probabilem, quantùm & inter eum qui naturaliter aliquid appetere ſeu deſiderare poteſt; & inter illum quem impoſſibile eſt aliquid deſiderare : At is qui nullam unquam habuit de objecto cognitionem, impoſſibile eſt ipſum illud deſiderare aut appetere; *quia nihil amatum niſi præcognitum.* Unde de his qui Chriſtum per ſe vel per Apoſtolos prædicantem audierunt, ait D. Auguſtinus, *crediſſent, ſi voluiſſent :* fueruntque inexcuſabiles, quorum ignorantia dici non poſſit invincibilis, quamvis perfectam non habuerint myſteriorum fidei notitiam; cum ſæpiùs non intelligerent quæ audirent, niſi forſitan valdè imperfectè.

9. Urgeo magis. Non habet quiſpiam evidentem notitiam, an opus faciendum ſit æternâ Dei lege prohibitum, ſed probabilem tantùm : at ſi cum tali cognitione hoc opus exerceat, hoc ipſo fit reus, & prædictæ legis transgreſſor convincitur ex D. Thoma, 3. p. q. 47. a. 5. ad 3. *Iudæi* (inquit) *peccaverunt non ſolùm tanquam hominis Chriſti, ſed etiam Dei Crucifixores.* At non habuerunt perfectam de Divinitate notitiam, cum ipſi dæmones longè perſpicaciores, de ea habuerint tantùm probabilem, ut ait idem ſanctus Doctor, Opuſc. 60. a. 1. *Dæmones non cognoverunt Chriſtum certitudinaliter, &c. ſed conjecturaliter.* Unde ſuper illud Lucæ 4 *Scio quòd ſis Sanctus Dei,* dicit Gloſſa : *Vehementer opinor.* Quicumque igitur probabilem habet notitiam aliquid æternâ Dei lege prohibitum eſſe; debet ab actu ceſſare, vel tutiorem partem pro lege ſtantem eligere, ne peccandi periculo ſe committat. Quod ſi cavillis utatur Probabilitatis, & in actum vetitum prorumpat, reus verè & tranſgreſſor legis efficitur. Abit ergo in fumum nova hæc & fictitia ignorantia vitalis cognita, falsò dicta invincibilis; ex eo quòd hinc & inde probabiles habeantur opiniones : nec res poſſint (ut loquuntur) *evidenti & apertâ cognitione vinci.* Sunt enim res innumeræ de quibus perfectam non habemus evidentiam; & plures ſunt qui cum, ut ait D. Thomas ſupra laudatus, vim non capiant demonſtrationum, probabilem tantùm habent de rebus notionem, qui proinde & ob ſuam imbecillitatem eſſent conditionis longè melioris, quàm docti ac prudentes viri : poſſent enim liberè ac tutò utramque partem amplecti; cum tamen nequirent prudentiores adhærere niſi uni.

Sed quia recurrit ſermo de prudentia, de qua jam egimus ſupra, & ex qua aliud ſibi ſubterfugium conficiunt Defenſores Probabilitatis, ut inde etiam expellantur, ſit



CVNICVLVS TERTIVS,

falsò prudentiâ usque modò tectus, accedente insufficienti legis promulgatione.

Exponitur vera prudentiæ ratio. Varia etiam expenduntur Prudentiæ, Artis & Scientiæ discrimina. Sub umbra insufficientis promulgationis legis aperitur intolerabilis abusus Probabilitatis in perniciem totius Religionis.

Nu. 1. QUAMVIS sufficere possit id quod supra diximus lib. 1. cap. 9. ubi apertè ostendimus quàm injustè abutantur Adversarii vocabulo prudentiæ: nonnulla tamen hîc adjiciemus vel utilia, vel necessaria ad excludendum speciosum hoc subterfugium: qua de causa hîc obiter dicam me nescire cur tam severè puniantur falsatores & corruptores monetarum, quales sunt qui auricalcum pro auro obrizo obtrudunt; aut stannum v.g. pro argento; & pacificè audiant, impunéque abeant, qui virtutes ipsas corrumpunt, & exempli gratiâ, carnalem prudentiam pro Christiana sufficiunt, nisi fortè quod spiritualibus corruptibilia præferuntur indignè.

At nullus est major aut frequentior abusus quàm qui specie prudentiæ committitur, quâ quisque naturali quadam propensione seipsum sufficienter præditum esse existimat: unde aiebat Socrates: *Si quis in theatro juberet coriarios omnes surgere, illi soli surgerent..... Si verò prudentes, hîc omnes illicò consurgerent:* vel si qui modestiæ causâ non consurgerent, hi sibi adhuc prudentiores viderentur.

Quare non miror, si prudentiam singulis ferè paginis inserant Adversarii, ut ejus nomine fucum rebus faciant; seu, ut loquitur Cardenas pag. 4. *ut omnes opiniones, sive magis, sive minus probabiles, tutam esse, rectamque morum regulam, tradant; avidè arripientes hoc Probabilitatis medium, quò falsa & vera, & inter se dissentientia quoad mores, conciliarentur.*

Porrò huic Authori eò major est adhibenda fides, quò accuratiùs rem hanc indagare ac rimari studuit, ut suum ac Cardinalis Palavicini animum à Probabilitate revocaret, in qua, ut ipse testatur pag. 5. fuerat innutritus; seu ut idem loquitur pag. 13. quâ erat ita imbutus, ut *ante annos novem ipse vix placatè tulisset, quod quisquam contradixisset.* Quod velim notatum.

Quamvis innumeræ hactenùs fuerint artes, quibus usi sunt Probabilitatis Defensores, ut Probabilitatem tueri possent tanquam sufficientem morum regulam: nulla tamen frequentior aut speciosior fuit prudentia, cujus nomine decorant opiniones etiam minus probabiles legi contrarias; ad quod confutandum sufficere posset, vel sola prudentiæ notio, quæ est *habitus vera cum ratione activus, circa ea quæ vera sunt & conformia; sin rebus, ut in se sunt, saltem per ordinem ad appetitum rectum circa finem ultimum.* Qui appetitus est voluntas formalis, aut saltem virtualis ex amore proveniens exequendi omnia quæ jussit Deus, & vitandi quæ prohibuit, juxta

juxta hoc Divinum & infallibile oraculum : *Qui habet mandata mea & servat ea, hic est qui diligit me.*

2. Hæc est vera prudentiæ Christianæ ratio, quæ bonum honestum respicit, ut quoddam Divinitatis vestigium, respectu cujus, bonum utile & jucundum seu delectabile secundùm sensum, quatenùs huic contrarium, intuetur ut lutum platearum.

Studium tamen Probabilitatis, & quidem præcipuum videtur positum in solertia sufficiendi verisimilitudinem seu Probabilitatem pro ipsa veritate : unde & nomen prudentiæ tribuunt etiam iis quæ fieri non possunt nisi imprudentissimè. Et quia, ut supra dictum est, ipsis deest sufficiens fundamentum ex parte rerum ; nec illud nobiscum repetere volunt per ordinem ad appetitum rectum circa finem, illud depromere satagunt ex propria æstimatione; quasi verò judicium aliquod prudens dici possit ex propria uniuscujusque imaginatione ? Nam, ut ritè advertit Celladeus, 1. p. l. 3. qu. 5. sect. 3. *Hoc est discriminis inter Prudentem & prudentiam, inter Consultorem & consultationem; quòd vir etiam prudens potest aliquando errare, at non per prudentiam : bonus etiam Consiliarius potest aliquando deficere, at consultatio ipsa non erit bona in qua erratur.* Et ideò, ut ibidem paulò antè dixerat, *ficto casu quod quis enutritus in sylvis ita deliraret circa bonum & malum, ut furta, rapinas & homicidia, diceret esse bona: & justitiam, Religionem & pacem, judicaret esse mala : non prudens, sed stolidus & pejor fera dicendus esset; licet omnia, ut judicat, exequeretur.* Qui ergo se existimat prudenter agere, cum re verâ prudenter non agat, non magis prudenter agere dicendus est, quàm qui faceret solœcos, se loqui congruè existimans, diceretur congruè ac ritè loquutus : nam judicium de rebus ferendum est juxta veritatem ipsarum, earumque regulas : ex eo enim quod res est vel non est, oratio est vera vel falsa.

3. Est tamen hîc annotanda aliqua differentia quoad certitudinem inter scientiam & prudentiam : quòd is qui prudenter agit, necesse quidem est ut nec ignorare nec dubitare possit, quominùs id quod agit licitum sit & honestum, quia prudentia est virtus perfectissima, immò virtutum omnium moralium norma : ejus tamen certitudo non desumitur ex iisdem principiis ex quibus securitas scientiæ depromitur. 1. enim Scientia est de universalibus & necessariis : prudentia verò est de particularibus & contingentibus. Secundò, Prudentiæ certitudo desumitur ex pluribus probabilibus & variis hominum testimoniis, quæ (debitô modô) simul sumpta, vix in errorem inducere possunt. Scientiæ verò ex iis, ex quibus, ne vix quidem 3. Desumitur prudentiæ rectitudo ex recto circa finem appetitu : nam prudentiæ est curare & præcipere quid unicuique ex officio sit agendum in suo genere ad finem suum consequendum. In quo differt prudentia ab arte & Scientia, quæ non curant quo fine res fiant : unde non peccat contra Grammaticam : v. g. qui volens orationi solœcos miscet, ut imperitum se simulet: Item nihil deperit Mathematicæ demonstrationi, quô affectu aut fine, an studiô lucri, v. g. aut vanæ gloriæ facta sit, dummodò ritè observatæ sint regulæ. 4. Scientiæ certitudo desumitur ex vi & certa principiorum evidentia : prudentiæ verò ex variis titulis, à possessione, ab usu Ecclesiæ, à necessitate agendi & evitandi majus malum, prout supra Conclusione 9. diximus.

V.

4. Malè acceptam iri prudentiæ notionem prospexerunt Probabilitatis Defensores: quare huic addidêre insufficientem legis promulgationem; legem enim non existimant sufficienter promulgatam, nisi sit evidentior ipsâ luce meridianâ, quod nunquam est (inquiunt) quando sunt circa legem aut præceptum opiniones hinc & inde probabiles.

Verùm hoc vel semel admisso, vix ulla unquam erit lex, præceptum aut prohibitio, circa quam sagax quispiam non habeat sufficientissimum hujus Probabilitatis subterfugium. Quid enim clarius quàm quod sit Deus? Et tamen fiunt argumenta in oppositum longè graviora iis quibus Probabilitas non raro nititur: Et in hujus rei fidem, lege D. Thomam, 1. p. q. 2. a. 3. ad 1. ejusque, si possis, intellige profundam solutionem: Itidem quid magis perspicuum, quàm prohibitio facta Adamo? Quæ tamen, ut dictum est supra, pluribus fuit obnoxia Probabilitatibus. Item vide quæ supra diximus in perpetuum falsæ prudentiæ dedecus.

Ab hac tamen non facilè resipiscent Adversariii, nisi obruantur apertà veritate; vel, ut ait Celladeus, per imminentia absurda eorum de Probabilitate doctrina removeatur, quâ (inquit pag. 453.) *omnes Probabilistarum quæstiones & libri videntur exponi ludibrio hominum.* Sed quorsùm amabò, hominum ludibrio? quia contradictoria & impossibilia docent. Ut enim ritè ostendit idem Celladeus pag. 443. *Probabilitas non potest simul utrique contradictorio convenire: num recta linea non est, cujus contraria est recta.* Quando igitur inquiritur an lex jejunii v. g. obliget Sutores, & una opinio affirmat, altera verò negat; statim innotescit falsitas responsionis Casuistarum, quia ex contradictoriis, si una est vera, altera propositio est falsa: & idem dicendum est de omnibus aliis innumeris, in quibus afferunt esse opiniones pro utraque contradictionis parte probabiles.

Denique subterfugium insufficientis promulgationis legum, ritè profligavit idem Celladeus, pag. 416. hoc argumento (quod unum sufficere deberet) ostendens hoc prætextu posse infideles ritè seipsos facere excusatos à recipienda Religione Christiana: hocque argumentum (inqu Celladeus) *visum est Palavicino efficax & concludens.* Quod velim notatum.

Alicui Calvinistæ prædicatur Ecclesiam nostram esse veram, extra quam proinde non sit salus ..... *At ipse* (inquit Celladeus) *se expedit ab his omnibus, & dicit nihil necessariam esse veritatem, satisque esse probabile, & probabiliter catholicum sufficere in materia Religionis, sicut in materia morum sufficit non esse probabiliter usurarium. Omninò autem recusat directam de veritate vel falsitate disputationem; aitque Doctores suos audivisse fundamenta nostra, nihil tamen fuisse motos: quare legem si qua est acceptanda nostra Religionis, non fuisse satis promulgatam.* Ausculta, Amice Lector. *Verùm replicas* (inquit) *Doctores suos non esse prudentes, & Religionem proinde suam ex eorum authoritate non effici probabilem. At ipse vix non irascitur, & persuasionis loco rixa resultat. Quærit deinde cur & unde nostri in ipsis illis rebus in quibus sibi contradicunt & falluntur alterutri necessariò; sint intereà utrique simul prudentes. Et qui unum sentit, stare prudenter queat dictis sui Adversarii, quem falli credit: excludantur tamen ab hoc privilegio sui Doctores? An quia falluntur? Et hoc non, quia in materia morum*

constat evidenter falli alterutros? & utrique intereà simul prudentes esse & prudenter dicere creduntur. Non autem magis pugnat veritas Religionis cum falsitate Religionis, quàm veritas in doctrina Morum cum falsitate. Vel veritas necessaria est ad prudentiam? & tunc in alterutra parte, illa deficit, tam in doctrina Morum quàm fidei: vel nihil necessaria est veritas? & tunc quærit cur sui non sint prudentes? Hactenùs Celladeus qui id egregiè ac subtiliter prosequitur, ostenditque inane esse hoc hæreticorum subterfugium; sicut & futilem Antithomistarum evasionem ex prætensa insufficienti legis promulgatione depromptam: quâ impossibilem fieri etiam demonstrat pag. 419. Gentium Conversionem omnemque tolli scientiam Moralem: & hic est egregius *remissa* hujus Probabilitatis fructus, de quo jam fusiùs supra ab ipsa præfatione ac deinceps, quod certè deberet sufficere ad illam expungendam. Hic velim accuratius ponderari, superiùs obiter citata hæc verba Celladei, asserentis Calvinistam recusaturum *directam de veritate & falsitate disputationem.* Quibus verbis subtiliter indicit aliud non minùs evanidum Probabilitatis subterfugium, totum in reflexione supra Probabilitatem positum, pro quo confutando, præter ea quæ jam superiùs lib. 1. cap. 11. diximus, sit



QVARTVS PROBABILITATIS CVNICVLVS, in iudicio supra ipsam Probabilitatem reflexo consistens.

Proprius Reflexionum modus exponitur tanquam inutilis, idemque apertè profligatur.

Nu. 1. Quia prospexerunt Probabilitatis Defensores Probabilitatem ad utramque contradictionis partem, coram Cordatis non posse subsistere; nec ullam veritatis umbram habere: aliud subterfugium excogitarunt, & duplex de rebus judicium distinxerunt. Unum directum, ex eo scilicet quod res est vel non est. Alterum reflexum in hunc modum. Si ostendas v. g. falsam esse alteram ex iis duabus contradictoriis propositionibus probabilibus: *Sutor tenetur lege jejunii: sutor non tenetur lege jejunii.* Non gravatè concedunt alterutram esse falsam: hanc tamen dicunt esse in conscientia securam, utpote probabilem: cujus securitas comparatur (inquiunt) ex hoc judicio supra ipsam Probabilitatem reflexo: *Omne probabile est tuta & sufficiens morum Regula.* Quæ propositio, inquit Celladeus pag. 428. *In sensu arguentium (id est Probabilitatis Defensorum quos vocat Refexistas) est manifestè falsa: ad quam intereà tanquam ad primum principium volunt resolvere totam vitam Christianam.* Nam ut de Terillo nominatim loquar; sic argumentatur ex D. Thoma quodl. 9. ar. 15. in argumento *sed contra. Quod vergit* (inquit S. Doctor) *in commune periculum: non est ab Ecclesia sustinendum*: Ex quo sic subsumo, inquit Terillus pag. [illegible] *Sed Ecclesia jam à multis annis toleravit & tolerat opinionem ab Authoribus practicè propositam pro Regula conscientiæ, docentem (quod liceat cuique sequi opinionem, etiam directè minùs probabilem, minusque tutam) & cum premi-*

tur prædictis & similibus argumentis, omnibus illudit suâ distinctione indicii directi de rebus, & reflexi supra ipsam Probabilitatem, ut legenti eius librum patebit. Et quamvis jam supra lib. 1. cap. 11. apertè demonstraverim falsitatem hujus principii, tamen ad ampliorem ac evidentiorem ipsius confutationem, hic nonnulla adjiciam, si priùs dixero, subsumptam Terilli Minorem ex Ecclesiæ tolerantia sumptam, esse manifestè falsam. Nam ubi primùm præfata de Probabilitate doctrina sufficienter innotuit: tota adversus eam insurrexit Ecclesia, ut patet ex tot scriptis & censuris contra Caramuëlis Apologema & Apologiam Casuistarum editis.

Contra hanc igitur reflexionem supra Probabilitatem sic argumentor cum Celladeo pag. 712. *Per omnes* (inquit) *istas cogitationes reflexas intellectus ipse sibi non potest persuadere, ut probabilibus notis seu incertis assentiatur tanquam certis: sicut nec fieri, ut dubiis certam det fidem. Pone monetam, quæ tanti & non pluris valeat: an iniquitas non esset apud eum, qui vel pluris illam accipere suaderet? an dubia aut falsa moneta fiet certa aut vera per cogitationes reflexas?* Et idem omninò dicendum est de una propositione ex duabus contradictoriis, quæ est certissimè falsa: quomodo igitur fiet vera aut certa evadet Morum Regula per cogitationes reflexas?

Non minus subtiliter alibi passim discurrit idem Author contra hanc reflexionem. Si quis sibi persuadeat (inquit) perfectè & sine vitio rem aliquam demonstrasse, vel congruè loquutum fuisse: suo errori non medebitur, nec congrua ejus locutio efficietur suis cogitationibus reflexis, si constet peccasse contra stabilitas dialecticæ aut Grammaticæ regulas. Nam veritas cogitationum reflexarum pendet à veritate directarum; & ipsæ directæ ab objectis, à quibus scientiam desumimus: ex eo enim quod res est, vel non est, oratio est vera vel falsa. Et hæc ita fundata sunt & manifesta, ut mirum sit, quomodo reperiantur qui his vel contradicere ausi sint.

Sed non minus periculosa est alia hallucinatio' quæ provenit ex æquivocatione potentiæ naturalis quæ sæpiùs à Defensoribus Probabilitatis pro Morali obtruditur, quare pro hac confusione vitanda sit.



QVINTVS CVNICVLVS,

In quo ostenditur perperam pro potentiâ Morali, potentiam naturalem obtrudi. Dolosa Terilli, præsertim hac in parte statera, in referenda D. Thomæ & Thomistarum doctrina.

Nu. 1. MUtuam intellectus & voluntatis motionem & dependentiam, quantùm ad specificationem & exercitium omnes agnoscunt: causæ enim sunt sibi invicem causæ: sed nonnulli non satis cautè sibi caven[illegible] ab hallucinatione, quâ naturalem voluntatis potentiam (quæ est capax boni & mali) obtrudunt pro Morali, quæ est tantùm boni, seu ejus quod decenter, licitè & secundum Deum potest fieri: ex eo siquidem quòd ex imperio voluntas possit despoticè intellectum movere ad actum sicut & alias potentias, quarum est domina; inferunt ipsam moventem in-

tellectum etiam sine recta ratione, prudenter agere: quod tamen est falsum: nam potentia naturalis à Morali semper est distinguenda nec potest sic profanari venerabile & Christianum nomen prudentiæ. Item, potentia naturalis hic per nullum objectum, legem aut præceptum tollitur; secùs verò potentia Moralis, scilicet quotiescumque Dei præcepta transgreditur aut ejus resistit vel contradicit legibus, ut manifestis supra lib. 1. c. 11. declaravimus exemplis, pro quorum majori intelligentia.

Sciendum est, intellectum ita esse vero addictum, ut nullo possit imperio voluntatis, aut ab eo egredi, aut efficere ut vero adhæreat, ultra meritum objecti: unde ea quæ intellectus cognoscit tanquam incerta, nequit voluntas ei imperare ut assentiatur iis tanquam certis: nec potest efficere ut dubiis certam det fidem: semper enim negabit vel suum suspendet assensum, quidquid voluntas præcipiat in contrarium. At, voluntas ipsa potest considerari Primo ut compos & particeps rationis: Secundò ut est capax boni & mali. Primo modo non potest ferri, nisi ad id quod bonum est ac licitum, & de hac sola potentia agitur in Moralibus, quando inquiritur, *utrum possit quidpiam fieri?* Secundo verò modo, potest voluntas, & illicita amplecti: & tunc sua abutitur potestate nec sumendus est pro Regula hujusmodi abusus, nec secundùm eum, judicandum. Ubi ergo intellectus ab objecto non sufficienter movetur, non potest voluntas licitè in unam partem inclinare: quòd si faciat, idem est ac si quis stateræ in æquilibrio positæ unam lancem vi deprimeret in unam partem, potius quam in alteram. Id ipsum tamen faciunt Probabilitatis Defensores, utramque potentiam permiscentes: & id quod fit non solùm contra rationem naturalem, sed etiam contra Charitatem, (quæ nihil agit perperam, & non cogitat malum, ubi non sunt convincentia illius indicia, in quibus saltem excusat intentionem quando nequit excusare opus) asserunt prudenter fieri posse; ut constat ex Cardena supra citato cap. 11, asserente quempiam prudenter posse intellectum inclinare ad assensum contra probitatem viri, qui nulla unquam malæ famæ laboravit suspicione: posse inquam, ex eo vel solo, quod apertam non habeat de illius innocentia demonstrationem; quæ omninò rara est in Moralibus. Atqui si vera est hæc Cardenæ & aliorum Probabilitatis Defensorum doctrina hac in parte: non solùm sequuntur ea omnia, quæ ibidem diximus, sed & alia inconvenientia, non tantùm Christianæ Religionis, sed & totius rationis humanæ eversiva: Primò enim sequitur (inquit Celladeus pag. 645: nos sine vitio posse, singulis momentis opiniones mutare, & verè stantibus æqualibus rationum momentis & Authoritatibus idem affirmare & negare: possum enim, quia volo. Itidem positis æqualibus testimoniis ac juribus, judex poterit justè & prudenter hunc absolvere, & alterum omninò in omnibus & per omnia similem condemnare. Item modo secundum unam opinionem ferre decretum, & illicò juxta eamdem opinionem, contrariam proferre sententiam. Nullis enim juribus, testimoniis aut legibus naturalis potentia voluntatis aufertur. Denique juxta Adversariorum doctrinam, non esset ridiculus, qui in initio disputationis alicujus, quidpiam negaret; quod in fine ejusdem & fervente disputatione, stantibus iisdem rationibus; nec ullis novis supervenientibus id ipsum concederet. Quorsùm enim non concederet,

cum id, juxta Adversarios prudenter concedere possit? Habet enim potentiam naturalem, & in re, de qua ut supponitur, evidenti caret demonstratione pro alterutra parte

2. Et ne in infinitum proficiscar; sequitur litem ex utraque parte licitam esse & justam; & contradictoria simul esse vera, & quodcumque bellum rationis justum esse ex utraque parte: quia prudenter ille affirmat, quod & ego prudenter nego. Et quotiescumque in re aliqua non erit demonstratio convincens & aperta, omnes disputationes debent cessare: debet enim unusquisque tenere suum Adversarium rectè dicere; quia (ut volunt) habet fundamenta probabilia, vel æqualia vel majora, aut saltem minora, quæ testibus Probabilitatis Defensoribus ubicumque reperiuntur, semper benè & prudenter agitur.

Sed paulò fusiùs rem prosequamur. Sunt in dialecticis aliquæ quæstiones, quas vocant *impertinentes*, quæ extra limen Scholæ numquam audent frontem exerere. Certè quo nomine appellem nonnullas, quæ fiunt etiam in Theologia à Defensoribus Probabilitatis ex abusu potentiæ naturalis quam pro Morali sufficiunt, non facile dixerim: & de illis dicendum videtur id quod legitur Isaïæ 7. v. 13. *Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?* Etenim & de ipso movent quæstiones quæ sunt intolerabiles. Talis est quęstio, cujusdam Neoterici, quâ inquirit *utrum verbum per communicationem idiomatum denominari possit peccabile?* Respondet: *multi non reputant absurdum, inter quos* (inquit) *est Vasquez, verbum per communicationem idiomatum denominare peccabile*: & *denominatur*, inquit, *ab ipsa potentia Physica.* Porrò hoc loquendi modo, tota subvertitur locutionis humanæ consuetudo, & innumerę laterent æquivocationes & blasphemiæ, ut si absolutè respondeatur affirmativè v. g. quod Sacerdos degradatus possit consecrare: quod filius possit matrem percutere. Etenim ab hujusmodi non est ablata potentia naturalis de qua non est sermo in moralibus, & quamvis ipse Vasquez satis fœliciter videretur Christi impeccabilitatem defendisse, attamen poterat à similibus quæstionibus abstinere, qualis est illa, quâ in 3. part. D. Thomæ q. 15. c. 6 n. 36. ait: *Postremò sequitur nihil obstare, quominùs in humanitate Christi assumpta, & manente in verbo, esse possit habitus vitii & inclinans ad errorem, immò etiam error ipse.* Quod confirmat nu. 62. his verbis. *Ex quo etiam sequitur nihil obstare, quominùs naturam cum errore & ignorantia Deus assumere possit.* Huic viam aperverat pręfatus Neotericus istâ propositione non ferendâ: (Potentia physica proxima peccandi (inquit) si non repugnaret defectu Divini Decreti, non repugnaret ratione unionis & Sanctitatis à verbo participatę in humanitate Christi. Quod est expresse contra D. Angelicum supra laudatum.


3. Verum ad Terillum redeamus. Hîc enim non possum non conqueri de mala fidę illius; qui ubi loquuntur Thomistæ de bonis contradictoriè oppositis, ex quibus affirmatio unius est negatio alterius: ille obtrudit exempla de bonis disparatis ab invicem independentibus quę numquam negarunt Thomistæ. Explicatur. Fatetur Terillus q. 8. pag. 116. nu. 20 quæ sequuntur ex nostro Mercoro, (cui hac in parte assentiuntur ex animo reliqui D. Thomæ Discipuli) 2. pag. art. 3. *Ideò voluntas liberè eligit unum ex duobus*

mediis æqualibus, quia illa media sunt ab invicem disparata: nam certum est quòd si unum eorum sit bonum, alterum quoque sit bonum; ideòque voluntas certa est quòd utrumque medium sit opportunum. At nihil simile contingit in intellectu inter æqualia motiva constituto: loquimur enim (inquit Mercorus) de opinionibus contrariis, *quarum si una sit vera, altera certò sit falsa.* Exempli gratiâ, duo testes hinc affirmant crumenam inventam ad Tullium pertinere: duo alii inde æqualis fidei id negant; in hoc casu, eodem modo est Judex coram quo litigatur, ac si nullos haberet testes, qui proinde imprudenter & malè ageret, si Tullio crumenam adjudicaret. Nisi fortè dixeris prudenter id posse, quia reipsa non est ei ablata naturalis potentia, quâ sive benè, sive malè potest hanc illi adjudicare, jamque non Thomistas, sed totum mundum habebis Adversarium.

Et tamen Terillus quasi voluisset in hac re, de industria nobis imponere, vel in derisum traducere doctrinam, quam vel nunquam intellexit, vel perpetuò datá operâ dissimulavit, pag 114. n. 14. ait tanquam illud negaremus: *Sic eligo pro arbitratu unum ex duobus aureis, quos constat esse æqualis ponderis & pulchritudinis..... & si.... nullam circunstantiam afferat, ratione cujus nullatenùs appareat alterò præstantior.* Eodem modo nostram doctrinam dissimulat Terillus, pag. 149. loquens de bonis disparatis, de quibus non loquebatur Doctor Angelicus 1. 2. q. 13. a. 6. ad 3. ut legenti patebit.

Legatur totus Terilli Angli Tactatus de Conscientia, Leodii ex Typographia Mathiæ Hovii 1669. editus, in quo præter falsas suppositiones, vel ejus novas adinventiones *ignorantiæ vitalis* falsò invincibilis ab ipso excogitatæ, & *reflexionis* jam supra etiam confutatæ; vix quidquam reperies, quod vel in speciem, verum dici possit, quamvis ipse magnô verborum fastu ab ipsa præfatione polliceatur *se patenter evincere omnes Theologos quotquot hactenùs in Ecclesia floruêre, nec in ullo apice quoad rei substantiam ab ipso & modernis discrepare.* Quibus subdit: *At quid certius quàm id in quo omnes omninò conveniunt?* Cui sic reponam unô verbô: *Quid magis incertum quàm id cui Patres, Concilia, celeberrimæ totius Europæ Universitates, & ipsa ratio contradicunt & adversantur? At talis est Probabilitas (ut patet ex dictis) quam expugnamus.*

Sed quorsùm expugnare id quod ita promptum est ac facile ad securitatem conscientiæ? Sit igitur



SEXTVS PROBABILITATIS CVNICVLVS,

Quòd facilis ſit Probabilitas.

SECTIO I.

Miſera facilitas Probabilitatis, quæ primum & maximum mandatorum deſtruere ſatagit.

Nu. 1. PLURA ſunt ex quibus Adverſarii ſummoperè commendatam faciunt Probabilitatem: nihil tamen eſt quod magis alliciat, aut ex quo frequentius error irrepat, quàm ex prætenſa facilitate & ſpe reperiendi regulam conſcientiæ; ſin in propria, ſaltem in aliena conſcientia. Et cum intumeſcant libri Recentiorum reſponſis & reſolutionibus caſuum conſcientiæ in utramque contradictionis partem, vix excogitari poterit quidquam ipsâ Probabilitate magis commodum: Quare (inquit Celladeus pag. 497.) *Probabilitas in omnibus penè controverſiis ſpontè ſe offert in utroque contradictorio, & in eo quod pro me facit, & in eo quod contra me; ideò in manu me[illegible]ſt eligere quod volo.* At idem dici non poteſt de veritate, *cujus* (inquit idem Celladeus, pag. 490.) *prima & univerſaliſſima durities, quod utrique parti, ſicut favere non poteſt, ita nec placere.* Hac de cauſa dicitur ab Ariſtotele *illiberale quoddam* Quia igitur neminem palpat veritas, hanc ob cauſam ejus loco ſufficere moliti ſunt Probabilitatem, quò fatentur Antithomiſtæ (inquit Celladeus) *veritatem eſſe incommodam.* Commodior ſine dubio ſæpius Probabilitas reperietur, ſed non idcircò melior eſt via quâ ad Deum pergamus. Quòd ſi *omnes viæ ejus veritas,* ut ait Vates Regius, non eſt Probabilitas inter vias ad Deum dirigentes computanda, niſi comitem habuerit innocentiam, juxta limitationes in ſecunda Concluſione poſitas.

Cum dixi innocentiam, intellige famam viri boni, nullo rumore falſo, aut malâ ſuſpicione labefactatam. Sed facilis eſt Probabilitas. Quid tum? Certè malum Omen, *facilis deſcenſus Averni.* At arcta Cœli via aſſeritur ab eo qui neque falli poteſt neque fallere, Regnumque Cœlorum vim pati, atque ſolos violentos illud rapere.

Verùm quò tandem perrexit prætenſa facilitas Probabilitatis? Profectò non poteſt melius declarari quàm ſequenti exemplo, & iis quæ hîc dicenda ſuperſunt, quibus ſufficienter innoteſcet, quantùm exceſſerint ex hac vaga & effræni libertate opinandi, ex qua factum eſt intolerabile malum.

Ait D. Auguſt. Tract. 84. in Joa. *Meritò itaque Magiſter bonus dilectionem ſic ſæpè commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona.*

At huic occurrit Probabilitas facilitate fucatâ, ex qua *diſputatur* (inquit Celladeus, pag. 31.) *quando & quoties præceptum iſtud (ſcilicet dilectionis Dei) nos obligat? Alii reſpondent obligare ſemel ſaltem in die. Alii obligare*

obligare semel in hebdomada. Ab aliis hoc visum est nimis strictum & grave, & obligant semel in triennio. Alii rem distulerunt usque ad mortis periculum. Mox gradatim alii dixerunt, nullum esse praeceptum speciale diligendi Deum, sed sufficere si eum non offendamus.

SECTIO II.

Relaxationi praefatae remedium adhibetur tùm ab Angelico Doctore, tùm à Summo Pontifice.

2. SI D. Thomae adhaesissent Adversarii, in tot ac tantas exerrationes nunquam incidissent: siquidem 2. 2. q. 44. a. 1. reperissent, *speciale esse praeceptum charitatis, quae est finis omnium aliorum praeceptorum*: sicut sanitas est finis omnium medicamentorum; quo exemplo nihil aptiùs, ut quanti sit momenti charitas optimè declaretur.

Quantum autem ad ultima verba Defensorum Probabilitatis, quibus dicunt *sufficere ut alia mandata observemus, Deumque non offendamus*: vel prout alii loquuntur, *ut ipsum odio non habeamus*; haec propositio pluribus admodùm horribilis visa est, quia (inquiunt) *daemones ipsi aliquando obsequuntur ac obediunt, nunquam verò diligunt.*

Quare praedictis Defensoribus Probabilitatis respondemus cum Angelico Doctore, loco supra citato: *Praeceptum charitatis esse primum, speciale ac praecipuum mandatorum, quia id quod est per se, potius est eo quod est proter alind.*

Praeceptorum autem finis est unio hominis cum Deo: fatemur ergo cum Adversariis adimpletionem mandatorum esse signum charitatis, quod Christus ipse insinuavit his verbis: *Qui habet mandata mea, & servat ea, hic est qui diligit me*: sed non est fumus pro igne ipso accipiendus, aut cortex pro medulla sive pro arbore ipsa; id est, sola extrinseca mandatorum observantia, absque Dei charitate, sine qua virtutes ipsae morales mortuae sunt & vacuae quaedam imagines: etenim quidquid fiat, nisi id fiat ex radice charitatis, erit *aes sonans & cimbalum tinniens*, ut loquitur Apostolus, etiamsi quis corpus suum igni tradiderit. Apostolo suffragatur S. Jacobus, asserens beatum quidem esse virum *qui suffert tentationem*, quae quantumvis acerba sit, nihil tamen ipsi proderit ad salutem, sine charitate: etenim *coronam vitae non repromisit Deus, nisi diligentibus se.* Et *Qui non diligit manet in morte.*

Qui ergo jactant Deum Optimum à se minimè offensum esse, cum omnibus aliis ejus praeceptis fecerint satis, excepto primo, in aliis, (ut putant) sufficienter incluso; hi videntur mihi similes illis, qui assererent à se quempiam non fuisse laesum, ex eo quòd manum illius vel caput haud tetigissent, sed tantummodò cor ipsi transfixissent. Quare merito jure ab Alexandro VII. die 14. Sept. 1665 damnata est sequens propositio: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quae quidem propositio ipsi Summo Pontifici tam exosa & horribilis visa est, ut ab eo percussus fuerit anathemate, quicumque eam vel 49. alias à

Cardena relatas ex Probabilitatis officina eductas tueri, vel de ipsis loqui, nisi eas impugnando ausus fuerit, sibi ipsi reservatâ absolutione super istis, nisi in ipso mortis articulo.

Si quæris à Defensoribus vagæ Probabilitatis, cur sic relaxaverint conscientiæ habenas, ut ipsum præceptum diligendi Deum abstulerint?

Quia (inquiunt) jugum Christi suave est, & onus leve; & quantùm possumus, debemus viam cœli explanare, eamque facilem efficere. Verùm, sic ne comparantur habitus, quibus solis, teste Aristotele, res fiunt faciles ac jucundæ? *Nonne stultus esset Miles* (inquit Celladeus) *qui ut faciliùs pugnaret, in arte pugnandi se non exerceret?* Quis unquam excogitare posset methodum facilè v. g. scribendi aut cantandi magis ineptam, immò magis contrariam, quàm qui doceret aut rarò aut nunquam scribendum vel cantandum?

SECTIO III.

Periculosus & falsus esse convincitur ad alienam conscientiam recursus, reclamante propriâ.

3. NOn minus periculosum videtur hoc ultimum Probabilitatis subterfugium, in aliena conscientia, propriâ reclamante, positum. Jam supra diximus, quì aliquando possimus peritiores ac meliores adire & consulere, quatenus ex Christiana humilitate arbitramur ab ipsis veritatem melius esse cognitam. At idipsum efficere ex nupera Probabilitatis arte, donec aliquem reperiamus Casuistam nobis faventem: v. g. pro libertate contra legem; pro voluptate aut lucro, contra honestatem aut debitum proximo obsequium, aut quodcumque bonum quod quis verè & in conscientia judicat sic & non aliter faciendum: hoc est quod reprobamus: nam unicuique data est conscientia propria tanquam proxima agendi regula; & qui eandem sequi aut auscultare contemnit, ut aliam quærat regulam in Casuistarum libris, idem est ac si filius Patri resisteret, discipulus Magistro, aut pupillus Tutori, ut aliis obtemperaret. Potest enim fieri ut quis de hac ipsa re de qua quæris, ignorantiam invincibilem habuerit, vel mutatus sit quæstionis status ob aliquam circunstantiam, subindeque excusetur: At tu, qui (ut supponitur) notitiam habes; si illius conscientiam & judicium sequaris, nonne deviabis, & in foveam cades? Ignorant nonnulli rem aliquam, & interrogati, verè respondent se nescire: At tu qui nosti, si eidem respondeas, nonne mentiris? Quæcumque ergo sit de re aliqua aliorum conscientia, si contra tuam agas, certissimè peccas, nam tua tibi à Deo data est, non aliorum conscientia, & alios fortè aliqua latuit circunstantia tibi nota, quæ si ipsis innotuisset, nunquam id scripsissent quod assumis pro regula. Admittatur casus aliqualis Probabilitatis, vel ob æquales rationes, vel ob pares authoritates, tibique videantur tales: at qualescumque aliis apparuerint, intellectus tuus & ratio dicere tibi non possunt, utrùm sit bonum vel malum, sed te efficiunt dubium: si ergo illud tunc agas, de quo dubitas, an bonum sit vel malum: verè peccas, te exponens peccandi periculo: nam, ut supra diximus ex D. Thoma, aliquando con-

tingit ut quis non capiens vim demonstrationis de re aliqua, habeat tantùm de ipsâ opinionem vel etiam dubitationem, quam si sequatur, peccat, nec juvatur alienâ conscientiâ, ad cujus notitiam nequivit pervenire.

Hoc sufficienter definitum esse debebat ex Angelico Doctore, lect. 4. in cap. 1. secundæ ad Corinth. in hæc verba, *Gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*; ubi ait: *Non dicit conscientiæ aliorum, sed nostræ, quia semper homo plus debet stare testimonio conscientiæ suæ de se, quàm testimonio aliorum.*

4. Item 2. 2. q. 67. a. 2. ad 4. ait: *Homo, in his quæ ad personam propriam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia.* Etenim si ex aliena, in multis certissimè peccabit. Quod declaratur familiari exemplo. Scripserit Titius fœlici ac tenaci memoriâ præditus, se non teneri Officium recitare, aut votum adimplere, quando post sufficientem diligentiam & accuratum examen, certior fieri non potest, se voti adimplendi, aut Officii recitandi obligatione ligatum esse; quia talis certò ac prudenter potest credere quòd si voto non satisfecisset, aut recitando Officio defuisset, hoc minimè ipsum latere posset, ob egregium ac speciale, ut dictum est, memoriæ donum. At is qui obliviosus est, seu fluxæ ac labentis memoriæ, nequit Titii effatum sibi in sufficientem morum regulam assumere, aut exemplum sequi; sed hoc in casu tenetur & Officium recitare, & voto satisfacere (nisi fortè sit scrupulosus;) quia utriusque possessio stat pro lege. Nam conscientia Titii sufficiens ac prudens habet fundamentum, scilicet memoriæ tenacitatem, quâ alter caret; ac proinde non licet ex conscientia unius ad conscientiam alterius trahere consequentiam, aut universalem statuere regulam; nisi dixerimus *tutiorem partem esse eligendam.*

Hæc fusiùs prosequutus est Celladeus, cui fortè occasionem dederat propositio asserta à quodam insigni Defensore Probabilitatis, quam refert ac refellit P. Gabriel Carmelita, lib. *De remediis ignorantiæ*, pag. 374. *Si vir doctus* (inquit) *inveniat aliquam opinionem quam putat esse falsam, & observat falsitatem; & quòd principium cui innititur, est omninò falsum, inane & vanum: adhuc tamen iste vir doctus, qui hæc cognoscit, potest eam sententiam tutâ conscieniâ sequi, gerendo se ut indoctum.* At quæ major conscientiæ relaxatio, aut magis perniciosa totius moralis disciplinæ subversio?

SECTIO IV.

Magis declaratur Probabilitatis excessus, cui protinùs remedium adhibetur.

5. Certè eò processit Probabilitas, ut facta sit intolerabile malum; & quod pejus est, plurimi qui hanc compescere, & huic morbo se mederi velle pollicebantur, nihil omninò perfecerint; veriùs dicam, cæteros in sua laxissima Probabilitate confirmarint. Et talis mihi videtur Terillus Anglus, qui ab ipsa sui operis Præfatione promittebat *se plures vias ostensurum, quibus homines ad certitudinem absque ullis itinerum anfractibus facillimè pervenirent*: & tamen post inanes & evanidas distinctiones, *ficta vitalis ignorantia, falsò invincibilis*: *Probabilitatis reflexa*, iisque similes quibus satis spissum volumen intumescit, id quod nobis reliquit tanquam iter securum, est latissima via quæ certò ducat ad perditionem, utpotè

unicuique licentiam faciens, & viam aperiens vivendi ferè ad libitum.

Ipsum audiamus, q. 8. pag. 569. *In negotio Animæ* (inquit) *bona fides sufficit, quia cum Deus sit essentialiter incapax omnis mali, nulla est Dei offensa, nec ejus periculum ubi cor benè affectum est: Deus enim cordis obsequium intuetur, illoque unicè delectatur. Si ergo contingat habentem bonam fidem errare, opus ex illo errore causatum, non imputatur ad Animæ detrimentum, sed ad meritorum incrementum deputatur.* Ex hac doctrina Terilli, bonæ fidei imaginatione (quâ nobis in antecessum hîc conferatur beneficium, quod nobis cum Beatis credebamus reservatum) fit ut scilicet *nullam hic Dei metuamus offensam, nec ullum offensionis periculum*, dummodò *cor sit benè affectum.* Intereà tamen, si bonum sit ex integra causa, ut tota clamat Philosophia; sitque habenda ratio, non solùm finis operantis & circunstantiarum, sed potissimùm operis seu objecti; ruit tota Terilli Moralis Theologia, nec ab ullo hactenùs excogitata videtur latior via aut doctrina remissior, aut magis prona ad fucanda & excusanda peccata.

6. Prætereà, omnium Sapientum judiciô & consensu, omnis prudens electio libera & moralis, metienda est ex iis ad quæ per se tendit seu ex proprio & formali objecto, quod vocant *finem operis*: non verò ex iis quæ rei accidentariò adveniunt ex fine operantis; quæ si sint ex conscientia erronea, & contra legem, non excusantur à peccato propter operantis intentionem. Itidem, judicium quod fertur de bonitate & malitia rerum, ita pensatur ex objecto, ut pro nihilo habeatur operantis intentio, si objectum ex se sit malum; ut si quis furaretur pro eleemosyna facienda, qui nihilominùs justè à Judice puniretur. Eandem ob causam non excusaretur qui fornicationem committeret, existimans ex illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, illam esse à Deo præceptam. Et similiter quæcumque esse possit intentio adulterantis, semper reus erit, nec ulla ipsum Probabilitas aut ignorantia excusabit. Unde meritò ait D. August. Concione 25. in Ps. 118. *Nullus est qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit: in hoc enim transgreditur natura legem, quam ignorare non sinitur.* Lege sanctum Præsulem August lib. de decem Chordis, cap. 10. *Imple* (inquit) *quod dictum est* (*Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*) *quia Deo nocere non potes, in facinoribus, in flagitiis eum offendis, in te illi injuriam facis .... Nescitis quia Templum Dei estis vos? Non vis corrumpi domum tuam; quare corrumpis domum Dei? Vis ut serviat tibi servus tuus homo; & tu non vis servire Domino Deo tuo: facis Deo quod tu pati non vis.*

Sed ne tam citò Terillum dimittamus, adhuc unum peto ab ipso: an scilicet *bonam non haberet intentionem, & cor bene affectum* (ut ejus utar verbis) ille propheta de quo 3. Regum cap. 13. qui ut loquitur D. Augustinus de cura pro mortuis *se Deo obedire credebat*, recipiens ab alio hospitalitatis jura? Et tamen in pœnam inobedientiæ à leone interfectus est. Hic obtestor Terilli conscientiam, an speciosior unquam fuerit Probabilitati Locus, seu ratio agendi contra præceptum, quàm in hac occasione? Prohibuerat Deus, ne in loco, quò missus fuerat à Deo Propheta *panem comederet aut aquam biberet*: fideliter ille obtemperavit, sibique oblata ab ipso Rege constanter recusavit. Sed progressu itineris; senex non minus ætate quàm labore confectus, jacet sub Terebintho ceu alter Elias sub juni-

pero. Ad eum accedit homo, qui se prophetam dicit, asseritque Dei nomine se monitum per Angelum, ut panem & aquam ei subministraret. Quis non credidisset? Certè id habuisset Terillus, ni fallor, pro Morali demonstratione, & maximè urgente necessitate: & tamen tam severè à justo judice punitur ille, qui ut loquitur Cassianus, *non de industria, nec vitio propriæ voluntatis; sed alterius circumventione culpam contraxerat.* Nam ad peccatum pertinet, ut cum Bernardo loquar cap. 18. de præcep. & dispens. *non solùm malitia cæca sed & decepta innocentia, & sicut bonum prorsùs condemnat intentio prava; ita & malum non penitùs excusat intentio recta.*

7. Ad Terillum iterùm redeamus, quem libentius haberem excusatum, nisi ipse pro Reformatore Probabilitatis nimiùm remissæ haberi voluisset, quam tamen ita extendit, ut parùm absit, quin Albo Sanctorum adscribat eos, à quibus constat violatas esse omnes naturæ leges; quos veriùs dicere possemus feras quàm homines; ex quibus quosdam, Deus ipse aliquando, in pœnam suorum scelerum aut fulmine percussit, aut potestati dæmonum ab hac luce in æuum cruciandos tradidit. Et ne quis existimet à me præfato quidquam imponi Terillo, ipsummet legat qui voluerit q. 23. pag. 467. n. 154. ubi ut ostendat Sectatores Probabilitatis, nec contra conscientiam, nec contra legem peccare, ait: *Sicut qui interficiunt Martyres, quandiu putant se Deo obsequium præstare, non peccant contra conscientiam: ita operans juxta dictamen sententiæ benignæ non peccat contra conscientiam..... Sed neque peccat*; inquit, *contra legem.* Quod ut probet utitur argumento falsissimo, in quo nomine Prudentiæ ut supra abutitur: nec erubescit citare D. Thomam de verit. q. 17. art 3. ad 4. ubi S. Doctor ostendit *conscientiam erroneam non excusare, quando in ipso errore peccat*: ut re ipsa gravissimè Tyranni & carnifices peccabant; qui contra omnes naturæ leges; adversus Martyres vel solo Christi nomine audito, sine ulla causæ ipsorum discussione & evidentia, omni crudelitatis genere deſæviebant; quorum innocentiam ne agnoscerent obturabant aures suas: in quibus tamen excusandis insudat Probabilitas, quatenùs eos accensere conatur laborantibus ignorantiâ invincibili; ipsis tot Miraculis à Deo factis, ereptâ: quæ non solùm tollitur per evidentem demonstrationem, sed etiam per quodcumque testimonium probabile. Nam si Medicus asserat: v. g. ex duobus cibis seu ferculis, unum esse veneno infectum; fatuus meritissimè ab omnibus judicabitur quicumque ex illis, nullo priùs facto discrimine, comedere præsumpserit. Quantum ergo distet non tantùm à Sanctis Patribus supra laudatis, sed etiam ab omni ratione, præfata Terilli doctrina. quâ gravissima excusantur scelera, facile judicabit prudens lector. Nam juxta illam, ut loquitur ipse Terillus quæst. 8. sui Tractatus pagina 569. *ad reatum aut Animæ detrimentum haud deputabitur, sed ad meritorum incrementum*; cæcus furor illorum, qui zelo legis, bonæ fidei nomine, *devotione devoverant se non manducaturos priusquam Apostolum occidissent.*

Sed quid de ipsomet ante conversionem loquar (sicut & de cæteris, qui tam ipsum quàm cæteros ad necem persequebantur Apostolos?) Pro hoc, ac similibus audiendus est quidam Anonimus à P. Sirmundo in lucem editus (perpetuis tenebris meritò damnandus) curioso hoc vocabulo, *Prædestinatus*, qui præfato Terillo viam straverat, quique ita excusat Saulum fu-

rentem, ut ibi Ecclesia ait quòd ille insaniâ ferebatur in terris Christi membra dilanians; etiam tunc ab hoc Anonimo prudentissimus & sapientissimus dicatur; *cujus multa erant tunc merita* (inquit D. August.) *sed mala.* At præfato Authori erant optima, jamque Paulus *meritis Apostolicis erat plenus.* Unô verbô, quando Apostolus adhuc erat blasphemus, persecutor & contumeliosus (ut ipse loquitur). & Ecclesiam Dei persequebatur; jam erat Anonimo *vas electionis:* dumque intrans domos, & inde extrahens viros ac mulieres, in infidelitate ac damnabili legis (cujus zelum habebat, sed non secundùm scientiam) ignorantia, & id genus alia mala patrabat, propter quæ ingemiscit ipsemet Apostolus, vocans se abortivum & indignum qui vocetur Apostolus: hoc est præfato Authori bonum, meritorium & laude dignum; pro quibus ipsi non erat poscenda Dei misericordia, sed merces repetenda: bonam enim habebat fidem *quâ Deus* (inquit Terillus) *unicè delectatur.*

8. Sed ne quis existimet ulli quidquam à me imponi; legat P. Sirmundum in suo Prædestinato Parisiis apud Cramoisy 1643. edito pag. 137. ubi ait: *Nunc veniamus ad Magistrum bonum & verè beatissimum Paulum..... Non ergo sicut vos putatis, Cain imitatus est Paulus, sed zelo Dei ductus Heliam sequutus est. Dicas forsitan: unde hoc probas? Lege ad Gal.* 1.14. *eumdem dicentem* (*persequebar Ecclesiam Dei..*) *quem ergo defendebat? Patrem sine dubio; quia Sacerdotes sui ei dixerant, hunc non esse Filium Dei quem crucifixerant.....* (*nonne excellentissima Probabilitas ex authoritate!*) Eratque Paulus (inquit Anonimus) *vir prudentissimus atque sapientissimus, qui sciebat se zelo Dei agere: sine dubio videbatur ei, quod inimicos Dei persequebatur: pro fide enim Dei & pro veritate currebat. Non enim filium Dei esse Dominum nostrum Iesum Christum didicerat, sed seductorem & deceptorem populi sui à Magistris & Sacerdotibus suis, ut audierat, æstimabat. Animum itaque Heliæ, non Cain habens, erga novos cultores Dei fortiter insistebat: & ignorans, crimina pro virtutibus exercebat.* (Nota hoc Amice Lector.) *Deus autem cordis inspector & fidei contemplator, fecit eum misericordiam invenire, quia ignorantiam ejus innocentiæ comprobabat. Vnde hoc probamus?* (inquit Anonimus;) *Ipse dicit ad Timoth.* 1. 33. *Fui persecutor.... Vides ergo quia ubi ignorantia est, invidia non est?.....* (Quasi vero nullum esset peccatum, nisi ex invidia exortum.) *Vnde*, inquit, *per ignorantiæ obscurum ambulans Paulus, putabat se inimicum Dei sui persequi. Ardebat in persecutione; quia placere Domino bonus famulus studebat. Non quiescebat, abundantius omnibus zelator Paternarum traditionum....* Et factâ comparatione ab hoc Authore servi nocte vineam Domini sui custodientis, & errore facti, ipsum Dominum ignoranter repellentis: Errantem Apostolum circa legem quam scire debebat, excusat Anonimus, & eo judice non minùs Paulo pro sua tàm injusta, quàm cæca persecutione, laus aut premium debebatur, quàm huic servo merces pro obsequio. Quare pag. 141, ait. *Ita ergo tunc beatus Paulus missus à Sacerdotibus Dei, jam meritis Apostolicis plenus, vas electionis erat, habens intra se spiritum Heliæ.* Deinde addit hæc verba: *Scias te, etiam si volueris peccare non posse.* Magnum ergo & inauditum Probabilitatis privilegium, ut jam peccare non possint etiamsi velint; non solùm qui cæci sunt; sed & qui missi sunt à ducibus

cæcorum: At si ii propter bonam fidem non peccaverunt, cur iis dicitur: *pœnitemini*.... & non potiùs ipsis prædicatur: vobismetipsis congratulamini, quia crudeliter persequuti estis eum quem existimabatis Dei inimicum? At quis unquam audivit majorem rerum subversionem; quàm id, quod omnes Theologi cum D. Thoma de verit. q. 17. ar. 2. in *sed contra* dicunt erroneum: hic Author dicere audeat bonum & vitæ æternæ meritorium? Hinc judicet lector, an merito jure Probabilitatem supra diximus *Novantiquam*. Ex prædicto siquidem Anonimo vides, jam à ducentis supra mille annis suum venenum effudisse, in Animarum perniciem & dedecus Religionis Christianæ. Et sanè dolendum, quod vir Religiosus de Ecclesia benè meritus suis aliis operibus, qualis fuit P. Sirmundus; publicæ lucis fecerit hunc Anonimum, & non potius ipsum flammis addixerit: à quo si non fuisset deceptus ipse Sirmundus, eidem ut arbitror ab ipsa sua præfatione, hoc encomium non dedisset; *Authorem damus, cujus ipsi judicium, si verum amant, aspernari nolint, & adversus quem præscribere vel excipere non liceat.* Idque prætextu chimericæ hæresis impugnandæ quæ probabiliter numquam fuit, nisi in Pelagianorum maligna imaginatione. Porrò ipsum Sirmundum fuisse deceptum verba Censuræ præfati hujus libri, cui titulus est *Prædestinatus* Parisiis editæ anno 1644. mihi satis superque suadent integro volumine, & nominatim cap. 5. pag. 97. ubi idiomate gallico hæc latinè reddita leguntur. *Finem*, inquit, *huic sermoni imponam, adjurando patrem Sirmundum, ut aliàs accuratiùs examinet manuscripta, quæ in ipsius manus inciderint.... Hæreses Pelagianorum & Semipelagianorum, & alia, quæ has ambas malitiâ superant: excessus contra judicium, contra scientiam, & fidem: impostura etiam ac omnis generis corruptiones, quæ sunt in hoc libro, in tanto sunt numero, ut nihil sit admiratione dignum in hoc opere, nisi quod tot, in tam exiguo spatio includi potuerint.* Multa alia ejusdem Censuræ non minus gravia prætermitto, ut monitum faciam lectorem benevolum, magnoperè cavendum ab hujusmodi operibus tenebrarum, quæ specioso titulo mundum decipiunt: nam quò pejores sunt hujusmodi lucubrationes, magisque corruptioni faventes; eò etiam ipsò in manibus plurimorum reperiuntur, à quibus ipsas revocare difficillimum est, ne dicam impossibile. Charitas ergo quæ excusatum facit prædictum Patrem, eadem urget ut veneno hujus doctrinæ (quod latet in hac propositione) *sufficit bonam habere intentionem*: vel in altera Terilli supra relati. *In negotio Animæ bona fides sufficit* .... Antidotum ex Angelico Doctore præparemus, ostendendo ex ipso, quid requiratur ad rationem *Boni*: *Bonum & malum* (inquit) 1. 2. *q.* 19. *ar.* 1. *in actibus voluntatis propriè attenditur secundum objecta.* Et ibid. ar. 7. ad 3. *Malum contingit*, inquit, *ex singularibus defectibus: bonum ex tota & integra causa: unde sive voluntas sit ejus quod est secundum se malum, & sub ratione boni; semper voluntas erit mala. Sed ad hoc quod voluntas sit bona; requiritur quod sit boni, sub ratione boni, id est, quod velit bonum & propter bonum.* Lege totam quæstionem.

9 Si tàm parvi fit ex Probabilitatis legibus Charitas erga Deum: non pluris æstimatur amor erga proximum: erga quem, inquit Dominus Caramuël, *non sunt præjudicia, quæ justè fiunt, licet magna inferant proximo dam-*

na, à quibus necessariò vitandis, eximit me jus, quod habeo eligendi quamcumque opinionem certò probabilem. Neque istud referrem, nisi hæc doctrina à Charitate Christiana & omni humano sensu adeò aliena suum reperisset Apologistam in Ethica Christiana citatum & confutatum 1. p. pag. 132. asserentem omnes sententias Caramuëlis esse Probabiles, id est *certas ac tutas morum Regulas.* Explicatur. *Petro solvendi sunt centum aurei intra feriam secundam: ita ut nisi eo die numerentur, pereat creditori jus illos repetendi. Si à Petro efflagitet solutionum creditor dimidiò undecima hora noctis: respondebit sibi superesse semihoram ad solutionem: sique interim audiatur ex altero horologio hora duodecima, repetenti solutionem respondebit se ære alieno exemptum: quia adhæret posteriori horologio, quo sibi persuadet feriam tertiam advenisse.* At quis adeò fallacem & exosam tergiversationem patienter ferat? Et hinc, omnibusque prædictis judicet Prudens Lector, quantùm intersit; ut omnes agnoscant traditam à centum circiter annis de Probabilitate doctrinam, nec ad Ecclesiam nec ad Sanctos Patres, aut Thomistas pertinere, quorum omnium sufficientissimam texuimus Apologiam. Finem ergo huic Appendici cum Celladeo imponamus, qui in editione Lugdunensi jam citata pag. 59. sic loquitur. *Quid in probabili vel non probabili nos moratur?* (cum) *jam universali documento dicatur solam æstimationem & persuasionem re verâ etiam improbabilem vel hæreticam vel paganam, tam esse unicuique rectam Regulam, atque æstimationem probabilem, quin & demonstrationem.* Hîc obtestor lectorum conscientiam, an quid magis stupendum possit inter Christianos audiri? aut debeat quisquam prohiberi, quominùs fidem suam & cum Sanctis Patribus consensionem palam testetur, quâ remissam hanc Probabilitatis novitatem aversari tenetur: Nam ut ait D. Augustinus Epist. 243. contra Mathemat: *Non parvum malum est, perversis opinionibus, non solùm ad committendum blandimento voluptatis adduci: sed etiam ad defendendum peccatum à medicamento confessionis averti.* At tota Probabilitatis solertia videtur posita in fucandis pravis opinionibus & in excusandis excusationibus in peccatis ut loquitur vates Regius. Neque fidendum est ulli Modificationi ab Authoribus aut Defensoribus factæ hactenùs, (nam ut dictum est & fusiùs dicemus, merum fucum rebus faciunt tantùm) & quandiu non fuerit penitùs eradicata hæc propositio: *Omnis opinio etiam minùs probabilis est sufficiens Morum Regula* cujus revocationem hactenùs ab eorum nullo obtinere potuimus (quin immò illam refricat Philosophiæ Magister vel ne sanetur hæc plaga, vel oblivione hoc axioma deleatur) semper (ut aiunt) lupus erit in ovili & inimicus in arce. Etenim poterit quisque ex illa Majorem sui argumenti habere in hac propositione, cujus Minorem reperiet in Casuistarum libris, asserentibus hanc & illam opinionem esse probabilem; sicque semper integra stabit vaga hæc Probabilitas, de qua hoc habeto judicium 5. Episcoporum 24. Oct. 1658. *Iudicamus Probabilitatis doctrinam prout ab Apologista explicatur, & ad omnia promiscuè Morum decreta extenditur, falsam esse, simplicitati Christianæ, Spiritus Sancti sinceritati, traditæ nobis ab Apostolis illius nomine, doctrinæ contrarium; animasque fallacis spe securitatis ad certam salutis perniciem impellere.*

APPENDIX



APPENDIX ALTERA.

SECTIO I.

Aperitur fraudulenta ficti Amadei adulatio: & aliud discrimen ostenditur Thomistas inter & Probabilitatis Asseclas, iterum profligata, apto ac familiari exemplo.

Nu. I. HIc me cogunt Antithomistæ, & fictus Amadæus præcipuè; secundam hanc adjicere Appendicem, ut fucatam quandam adulationem aperiam, Divo Thomæ & ejus discipulis ab ipso Moya hac in parte factam, adeò perperàm, & falsò; ut eam existimem quâvis alia falsitate & opprobrio pejorem. Ut enim animos occuparet ab ipsa libri, sui tot jam fulminibus percussi, præfatione, dixit Moya in gratiam Probabilitatis (cui falsò quoque totum tribuit regimen Theologiæ Moralis) *nullum pro veritate doctrina nedum probabilitate quâ Moralis Theologia contenta est, testimonium majus, quàm ab omnium Magistro Divo Thoma, ejusque discipulis originem duxisse; illorum fidelissimè, transcriptis verbis, suffragia referam*.. Et quamvis apertæ falsitatis hac in Apologia jam istud convictum sit, relatis passim tot D. Thomæ & Thomistarum testimoniis ubique falsificatis: hîc uni Moyæ compendiosiùs respondens, inquiro ab ipso; cur tùm Sui, tùm ipse, ita pro Probabilitate D. Thomæ ac Thomistis se se adhærere fingant; & in quingentis aliis, tàm Philosophiæ quàm Theologiæ gravissimi momenti quæstionibus in faciem eidem resistant? Aliane ipsis est in communem Magistrum reverentia nisi pro sola Probabilitate? Certè hoc vel solùm satis indicat, hîc quidpiam latere, à quo nolunt resipiscere, quod tot conatibus in alios conantur regerere.

Hîc interim non diffiteor, unum aut alterum ex junioribus Thomistis, nimiùm credulis sui ævi Casuistis, parum cautè in Probabilitatem impegisse. V. g. Serra, cujus opera vix à 16. annis in lucem prodiêre: qui proinde nequivit viam sternere Probabilitatis Defensoribus, qui à sexaginta & amplius annis ante ipsum scripserant, ut ipsis P. S. Ju falsò imposuit.

Verùm est & aliud discrimen Adversarios inter & Thomistas præter illud quod in appendice præcedenti assignavimus. Nimirùm quòd si quis ex ipsis in aliquo casu particulari defecerit; proprio morbo ipse continuò mederi possit ex communibus regulis à S. Doctore depromptis, ex quibus in viam rectam revertitur: Adversarii verò ex opposito, si quid ritè in aliqua materia speciali scripserint, aut aliquem Probabilitatis excessum in speciem correxerint, id ipsum illicò instaurant ac in eamdem foveam relabuntur ex communibus placitis ejusdem Probabilitatis, ne dictorum retractatione probentur aliquando erravisse.

Opus probemus. Nimiâ laboraverit indulgentia, aut si mavis laxitate,

in aliquo casu particulari noster Serra supra citatus. Primò, inquiro, an vel unus Thomistarum illius causam deffenderit aut ejus susceperit patrocinium? Secundò, ipsemet sui ipsius esse poterit redux optimus, asserens *conscientiam dubiam circa bonitatem & malitiam debere semper eligere partem tutiorem*. Quâ unâ Regula vitantur omnia Probabilitatis pericula, ut studioso facilè constabit. Quod si nimiùm credulus ætatis suæ Casuistarum libris, non satis accuratè rimari studuit, quî aut quando conscientia fieret dubia, ut in conflictu opinionum probabilium ferè semper contingit; certè nihil inde inferri potest in gratiam ipsorum, quos jam non latet, ut olim latebat Probabilitatis venenum, ex qua etiam nostra ætate deductæ sunt consequentiæ ob quas erubesceret Evangelium.

Itidem. Aliquam habuerit olim Petrus Ledesma indulgentiam erga scrupulosas ac timoratas conscientias: quid hoc ad effrænes, quibus nullum est jugum? Aut quid juvare potest illos, qui asserunt licitum esse sine ulla restrictione sequi quamcumque opinionem, etiam legi contrariam; cum ipse Ledesma supra citatus exerto ore profiteatur & asserat ex D. Thoma *semper judicandum esse secundum leges?* Esta enseñna (inquit Ledesma) Sancto Thomas y todos sus Discipulos.

Hîc non detrectabo nostrum Medinam advocare, dummodò non prætermittatur Antidotum quod ipse adhibuit Probabilitati remissæ his verbis. *Quando altera pars litigantium affert pro se Probabiliora testimonia, non dicitur* (scilicet contraria) *opinio Probabilis*. At quid magis oppositum principiis vagæ Probabilitatis propugnatæ ab Adversariis, qui tam obfirmato animo tuentur oppositum, abutentes nomine potentiæ naturalis, quæ in moralibus non nisi perperam pro Morali obtruditur, ut fusiùs adversus Cardenam ostendimus?

Sed melius innotescet exemplis hęc differentia nostrę & Adversariorum doctrinæ, quàm verbis; quidve ipsi patiantur damni ex voluntario recessu à sana D. Thomæ doctrina: & ut debitam in eos custodiam æquitatem: non negabo ab ipso Tamburino laxissimo, nonnullas ritè positas v. g. de bello indicendo conclusiones. At ipse citò, ut dictum est, relabitur in foveam, ex qua egredi velle videbatur; idque ex communibus Regulis suæ Probabilitatis, à qua nequit recedere: unde lib. 1. cap. 3. nu. 30. in Ethica Christiana citato, ait: *In Probabilitate orta ex jure, contendentes secum possunt licitè pugnare. Ratio est* (inquit Tamburinus) *quia ut pluries diximus, potest quis sequi opinionem Probabilem omissâ Probabiliori*. En communis ipsorum regula; At quid magis falsum, magisve infensum toti humano generi cui ex eo bello imminet, non tantùm mors unius insontis, sed innumerabilium innocentum neces: tot Gentium strages: tot Provinciarum excidia: tot Regnorum perturbationes, Sacrorumque omnium subversiones? Item cap. citato. verbô. Judex. sect. 4. rectè dixerat Tamburinus: *Si rationes æqualiter sint probabiles circa factum inter litigantes in causa recuperatoria seu civili; non est integrum judici, quam maluerit opinionem sequi, sed tenetur sicut dictum est, rem dividere*. At miserum dictu, statim clausulam adjecit sect. 4. nu. 7. omnia evertentem: *Dixi*, inquit, *& ego certum puto: nam propter extrinsecam bonorum doctorum authoritatem asserentium in hoc casu posse judicem pro Amico suo, si maluerit, sententiam pronunciare*: quibus

verbis revocat id quod supra dixerat, asserens cum rationes hinc & indè æquales sunt, judicem posse sententiam ferre in favorem sui Amici: quod est falsum, injuriosum & scandalosum.

Et nu. 11. ibid. citato id confirmat, atque ex falsa sua & universali Probabilitatis suæ Regula rationem reddit: ***Cum utrinque litigantibus favent opiniones probabiles, potest judex cui voluerit rem adjudicare: quia,*** inquit, ***semper probabiliter, atque adeò prudenter adjudicabit.*** Viden mi lector nullum hactenùs Probabilitati adhibitum esse remedium, illamque semper in utramque partem claudicare? Hîc non magis urgebimus: nam supra fusè satis ostendimus prudentiæ abusum, quâ fucum rebus faciunt Antithomistæ, qui jure merito prudentiæ nomen usurpare nequeunt, nisi de rebus ipsis judicent, vel secundum quod verè sunt à parte rei, aut juxta appetitum rectum ad finem ultimum: nam si juxta Aristotelem idem est *ratio & recta ratio*, non secùs sentiendum est de prudentia, quæ hoc nomen non meretur nisi sit vera: vera autem esse non potest in utraque contradictionis parte Probabilitatis, cum alterutra pars necessariò sit falsa: nam quamvis tunc neutrius partis determinatè constet falsitas, evidenter tamen certa est alterutrius indeterminatè: & sicut imprudentissimè ageret, qui indifferenter & nullo delectu ex duabus navibus unam ingrederetur sciens alterutram esse perituram propter vetustatem: ita & qui ait se posse sequi ad libitum hanc vel illam opinionem Probabilem, cum sit indubitatum hanc vel illam esse falsam.

SECTIO II.

Declaratur alio Adversariorum exemplo, quam infirmo Probabilitas nitatur fundamento: aperto quoque insigni discrimine fori externi, aut artis medicinæ & fori pœnitentiæ, duæ iuris explicantur Regulæ, & quomodo sit intelligenda hæc, quæ asserit favendum esse reo in dubiis.

Nu. 2. APerto hoc altero discrimine, revocatoque in memoriam eo, quo supra diximus semper standum esse legibus, spretâ quacumque novâ verborum & evanidarum distinctionum supellectili Antiquis Theologis ac sanctis Patribus incognitarum, quibus utuntur Moderni: evidenter constat doctrinam D. Thomæ toto cœlo differre à nuperis Neotericorum placitis: nam illi qui adhærent legibus juxta præscriptum D. Thomæ, verè irreprehensibiles sunt coram Deo & hominibus, veréque de ipsis intelligi potest illud Spiritus Sancti Oraculum: ***Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.*** At manifestus est Probabilitatis abusus, quæ (ut Scriptura loquitur) ***depravat vias suas*** periculo exponens Animas, ut hactenus tot rationibus & exemplis exposuimus: ad quæ hoc ultimum accedit. Certum est nullum posse ordinari in Præsbyterum ante baptismum, quia baptismus est janua Sacramentorum: At nonnulli Neoterici tuentur oppositum tanquam certum quia probabile: probabile verò, quia (inquiunt) vix credibile est aliquem ad sacros Ordines suscipiendos accessisse, sine aliquo actu charitatis præmisso, quo tanquam flaminis baptismo,

sufficienter certa sit ipsius ordinis susceptio. At hujusmodi ratio non tam probabilis judicabitur quàm periculosæ ac voluntariæ imaginationis præsumptio: quare oppositum ceu tutiùs ac prorsùs necessarium determinavit Innocentius Tertius: præcepitque in tali casu ordinandum, priùs esse baptismo aquæ initiandum. Aliud ergo est Probabilitas discreta, in iis rebus, in quibus majorem evidentiam nobis comparare haud possumus, ut contingit in omnibus casibus in secunda conclusione positis: & præcipuè quando munitur aliqua lege, quia tunc ut ait Ancharanus, *talis credulitas idem operatur ac veritas*; præsertim urgente agendi necessitate: aliud verò evanida seu præsumpta Adversariorum Probabilitas legibus contraria, cujus usum permittunt ad libitum. Ad alia progrediamur. Nota est omnibus differentia, quæ est inter externum & internum Pœnitentiæ forum: at quia sæpè dicitur fidem in Confessione, Pœnitenti, pro se & contra se, adhibendam esse; illicò intulerunt inde quidam Defensores Probabilitatis, Confessarium sequi debere quamcumque probabilem Pœnitentis opinionem, quæ certè nunquam deerit sagaci, & circa quidpiam affecto Probabilistæ Pœnitenti; quia unusquisque judicat & plusquam probabile existimat illud, circa quod ipse est affectus; & hoc est notandum ceu periculosum ex præcipuis Adversariorum præcipitiis: ad quod vitandum

Distinguunt Thomistæ id quod est facti ab ipso jure: Dicunt ergo in factis credendum esse Pœnitenti se quidpiam fecisse vel non fecisse asserenti, hancque vel illam habuisse intentionem, se verè de hac vel illa circunstantia minimè cogitasse: At secùs dicendum est in quæstionibus juris, de quibus judicium debet esse penes Confessarium; an scilicet Pœnitens ad restitutionem teneatur, & id genus alia, in quibus vel de contrario dubitare, vel oppositum asserere non minus præposterum videtur, quàm si ab infirmo petat consilium Medicus. At in foro externo, cum publicum sit negotium & manifesta dissertatio; si levia aut falsa ab una parte proferantur; ab altera refelluntur. Sed in foro Pœnitentiæ abest pars adversa, pro qua Dei nomine debet Confessarius stare adversus Pœnitentem, sæpiùs v. g. contendentem, aut pro aliqua peccati occasione non fugiendi, aut pro nonnulla restitutione haud facienda propter penuriam, quæ fortasse adhuc major est in persona absente læsa; in cujus favorem debet Confessarius, tanquam justus Judex & Dei Minister pronuntiare: nam scriptum est: de ore Sacerdotis requirendam esse scientiam, quia Angelus Domini est.

3. Non est minor alia, aut minus periculosa errandi occasio, quæ cernitur in amphibologia *praxis*, de qua frequens est sermo in Casuistarum libris, quâque non rarò utuntur Casuistæ, & cæterarum artium exemplô abutuntur. Certum est (inquiunt) Medicos v. g. Duces & Naucleros experientiâ fieri prudentiores ac peritiores; & usus non minus confert ad regimen Animarum, quàm reliquæ artes. Unde distingunt Ecclesiæ & Sacramentorum Ministros, in Theoricos & Practicos. Primos despiciunt, alios verò extollunt, quòd sint praxi & experientiâ detriti & instructi: qui sæpiùs sunt à prudentia valdè alieni, & solâ temeritate & ignorantiâ notandi, ut me, ni fallor, legisse arbitror apud Fernandez, de Curato rurali, qui per quadraginta annos Extremæ unctionis Sacramentum administrarat infirmis, sub hac forma: *indulgeat tibi Deus quidquid dereli-*

quisti (pro deliquisti) per visum; sicque de aliis sensibus. Ut ergo hanc quoque erroris occasionem removeamus, ac discriminis rationem aperiamus: fatemur in prædictis, scilicet Medico, Duce, &c. experientiam plurimùm valere, nec minus conferre ad perfectionem hujusmodi artium comparandam. Quando enim vident Medici, v. g. porrecta ægris remedia morbos expulisse; inde certò cognoscunt illa esse efficacia & salutaria; & quamvis ars illorum sit majori ex parte conjecturalis, tamen prudenter judicant *à juvantibus & lædentibus*, ut ipsi loquuntur Medici. At longè alia est ac diversa ratio regendæ conscientiæ; nam ex remediis quæ confert spiritualis Medicus, non sequitur effectus manifestus, qui cadat sub sensus: idcircò non potest cognosci certò & evidenter, an v. g. peccatum pœnitenti remittatur, cui Doctor vel Confessarius fuit Author ne ex probabiliori opinione, bona restitueret iis ad quos probabiliùs pertinere judicatur. Unde nullô certô judiciô cognosci potest an bene vel male data sit absolutio, vel tùm maximè, quod aliunde certum sit tot invalida quandoque conferri Sacramenta: nec aliunde ullus sit prudentiæ locus, nisi in dubiis tutiorem partem, in qua esse non possit ullum erroris aut peccati periculum eligamus.

Sed prædictæ juris Regulæ sequentem opponunt, aiuntque *in dubiis reo esse favendum*. Cum tamen ex hoc aliquando magnum immineat nedum privatis, sed & Reipublicæ detrimentum. Ut igitur instantiæ hujus nebulas dissolvamus, dicimus priorem hanc regulam de tutiore parte in dubiis eligenda, stabilire secundam. Nam Judex constitutus est, ut unicuique, scilicet tàm Actori & reo, quàm Reipublicæ servet quod suum est, jusque uniuscujusque tueatur: & cum periculum sit ne ob ignorantiam lædat aliquam harum partium; tutius est si reo faveat: Primò, quia in jure melius est nocentem absolvere, quàm insontem damnare: mulctatio enim insontis per se mala est: unde enim non possunt Principes ullo prætextu pœnis insontem afficere; venia verò nocenti concessa aliquando est honesta, ut si miles plurimùm valeat pro defensione Reipublicæ, huic prudenter venia conceditur à Principe.

Secundò. In dubiis minus malum est reum dimittere, quàm insontem mulctare: nam huic secundo vix & aliquando nunquam resarciri potest illatum ei detrimentum. At si decursu temporis rei crimen innotescat, poterit à Judice revocari & puniri, aut à simili malo cohiberi. At prudentia locum habet, cum ex duobus malis minus eligitur.

Tertiò. Sententia damnans affirmat eum in quem fertur esse reum criminis de quo accusatur. Quòd si res sit dubia & tantùm probabilis, & in re gravi, est mendacium perniciosum & mortale peccatum: nam *stante dubio, rem affirmare, mentiri est*. At sententia liberans non committit mendacium, quia non asserit accusatum esse insontem, sed tantùm decernit delictum non constare, nec satis probatum esse. Unde provenit effatum commune, *Quos liberat Iustitia, notat*: quia etsi totam remittat pœnam, non tamen omnem abstergit labem; quia dimissio non est certum innocentiæ signum, sed dubiæ interdum aut probabilis culpæ, vel saltem alicujus suspicionis indicium.

Quartò. Cùm ad Judicem pertineat æqualitatem inter litigantes consti-

tuere & efficere ut læsa æqualitas resarciatur, sitque damnum grave accusari & judicandum sisti; suo munere fungitur Judex favens reo in dubiis, donec veritas innotescat, quâ in accusato cognita, debet eam resarcire, & publico stabilire judicio ejus innocentiam declarando.

SECTIO III.

Quid præcipuè intueri debeamus in Probabilitate, cujus quatuor difficiliora solvuntur argumenta: fiuntque D. Thomæ & quorumdam Thomistarum vindiciæ circa Sacramentum Pœnitentiæ.

4. EX prædictis patet 1. præfatas juris regulas non esse inter se contrarias, sed illas omninò confirmare doctrinam D. Thomæ, de tutiori parte eligenda, in qua non sit peccati periculum: 2. Quid sit praxis, quæve opinio sit dicenda certò practicè probabilis; illa nimirùm cui vel adest veritas speculativa ex convenientia cum rebus, cum recta intentione boni honesti, quod cæteris boni speciebus semper præferre debemus; vel cui non deest veritas practica ex consensione cum ultimo fine; pro quo consequendo, ratione, fide Christianâ, prudentiâ morali & infusâ à Deo donati sumus, tanquam regulis rectè dirigentibus ad eum finem ad quem nati & regenerati sumus. Verùm si lex (ut definitur) sit recta morum regula, quomodo hanc dotem sibi vendicare poterit opinio probabilis, si sit legi contraria? Obliquum enim esse necesse est, quod est recto contrarium. Igitur sicut nemo prudenter Medico fideret, artis medicæ regulas minimè observanti; ita & in moralibus, & in quibus ob rei gravitatem major certitudo requiritur, quàm Probabilitatis, quæ ad securam opinionum electionem meræ conditionis rationem habere possit: nam totum momentum (quod signanter velim notatum) bonitatis moralis, est desumendum à certa bonitate morali actionum, ut substant obligationi ac removent à periculo peccati; sicut & cujuslibet agentis virtus est unica causa effectûs, quamvis pendeat necessariò à loci propinquitate cum passo, tanquam à conditione ad operationem prævia. Nemo igitur hîc ludat verbis, prætextu *probabilis, probabilioris aut tutioris opinionis;* in quibus nihil aliud intuemur aut propugnamus, quàm ut in agendo, quolibet modô prævisum arceamus & amoveamus erroris aut peccati periculum: qua in re non est par cautela in omnibus adhibenda; nam quamvis v.g. errare possis in eroganda pauperi eleemosyna, non tamen eâ est inquisitione ejus egestas exploranda, quâ infirmitas, si medicina sit infirmo exhibenda.

5. Si quis posset Solem è Cœlo auferre, vix dici potest, an majorem adversus eum afferrent resistentiam homines, eâ, quam testantur Defensores Probabilitatis, ne ex regulis morum Probabilitas expungatur. Sed quid mirum cum Moya teste supra citato, *tota Moralis Theologia Probabilitate contenta sit?* Quare hac de causa nullum non movent lapidem, (& maximè Terillus) resque versant in omne latus, ut Probabilitatem tueantur: unde sic argumentantur, tanquam receptui canentes:

Primò. Non est certa obligatio obediendi legibus, nisi leges sint certæ;

ſed lex de qua ſunt hinc & inde opiniones probabiles, aſſerentes v. g. hunc contractum eſſe vel non eſſe uſurarium, non eſt certa. Ergo nulla eſt certa obligatio abſtinendi ab hujuſmodi contractu.

Reſpondeo negando Majorem: Nam lex certò prohibens uſuram v. g. & alia in Deum aut proximum peccata; non minus vetat peccata dubia inde ſequentia, quàm præceptum de homicidio certo, etiam prohibet homicidium dubium. Atqui præceptum Decalogi, *Non occides*, ut fatentur omnes, damnat peccati nedum certa, ſed & dubia & probabilia homicidia, quæ ad culpam & pœnam coram Deo & hominibus, ut toties dictum eſt; imputantur: nam ut prudenter agamus, certitudinem habere debemus; & ideò ſtante dubiô legis, vel ſolâ Probabilitate, non minus abſtinendum eſt ab illis actionibus in quibus lex fortaſſe violaretur, quàm ab illa in qua impendet dubii homicidii periculum. Ratio eſt, quia ignorantiam invincibilem deſtruit non ſolùm evidentia, ſed & eam tollit etiam quælibet impendentis peccati dubitatio diſcreta.

Inſtant ſecundò: Nulla poteſt dari diſparitas inter electionem ſtatûs Matrimonii à ſtatu Religioſo; & uſum opinionis minus probabilis legi contrariæ in dubiis: At electio Matrimonii, relictô ſtatu Religiosô, non eſt peccatum: Ergo nec electio opinionis minus probabilis, relictâ probabiliori ſtante pro lege.

Reſpondeo negando Majorem. Ratio diſcriminis eſt, quòd cum ſtatus ſæcularis bonus ſit & honeſtus, non eſt in eo peccati periculum præſens, ſed futurum & tantùm per accidens ipſi conjunctum, cujus plura ſunt remedia: nec tantùm licitus eſt, ſed indoli & infirmitati plurium neceſſarius.

At qui ſequitur opinionem minus probabilem legi contrariam, habet peccati periculum præſens & proximum; ut patet in eo qui ſagittam emitteret, probabiliter exiſtimans eſſe feram vel hominem: Et certè ſtupendum eſt, quòd timeant Adverſarii ſagittam emittere, ne lædant animal quod probabiliter credunt eſſe canem proximi: & in triplici contractu v.g. quem ferè omnes probabiliter credunt uſurarium, quô Deus ſubinde offendetur; contrahens, ſpiritualibus bonis privabitur, & damna temporalia proximo inferentur; ſint ſecuri virtute probabilitatis.

Tertiò ſic argumentatur. Sint duæ capſæ, in quarum una ſit gemma pretioſa: in altera verò gemma falſa, nonne melius eſt habere gemmam falſam quàm nullam? Ita (inquiunt) nequeo habere de aliqua re evidentem cognitionem, nonne melius eſt ſequi probabilem, quàm ceſſare omninò ab operatione?

Reſpondeo Adverſarios hoc exemplô ſatis indicare non delectu & judiciô, ſed temerè & caſu vitam eſſe peragendam. Et quis non videat immenſum eſſe diſcrimen in hac comparatione? Idemne eſt animam æternùm perire ob mortale delictum latens in Probabilitate, & gemmam habere falſam?

Quartò, ex Terillo ſequens educitur argumentum. Nulla motiva errorum aut hæreſum, tantam præ ſe ferunt veri ſpeciem, relata ad motivum ſufficiens credendi, quantâ poſſet motivum minus probabile relatum ad probabilius ipſi oppoſitum: nam motiva fidei non ſatis idoneè proponun-

tur, nisi doctrinam efficiant evidenter magis credibilem, quam omnem opinionem ipsi oppositam. Ergo sicut voluntas potest flectere intellectum ad aliam sectam, quàm ad Religionem Christianam; ita & poterit ad quamcumque opinionem probabilem etiam legi contrariam.

Respondeo negando Antecedens: nam motiva fidei roborata indubitatis omnipotentiæ Dei miraculis, & vaticiniis ex ejus præscientia depromptis, accedente sanctimoniâ Religionis Christianæ, evidenter evincunt nullam sectam posse eidem comparari quantùm ad certitudinem. Quòd si depravata voluntas flectat intellectum in oppositum, jam non ducitur ratione, sed abutitur suâ naturali potentiâ & facultate non minus mali quàm boni capace. Et idem dicendum est de opinione minus probabili comparata cum probabiliori; respectu cujus, ut ex Medina retulimus supra, omninò à Probabilitate deficit opinio minus probabilis; quô uno è diametro opposita est Medinæ doctrina, nimiùm remissis Adversariorum placitis; quod optarem à quibusdam accuratiùs observatum esse. Vide quæ ex ipso retulimus lib. 1. cap. 7. ne pluries eadem repetere cogamur.

Nec interim obtrudas potentiam naturalem pro morali, quâ sæpiùs Adversarii abutuntur. Nam voluntas potest ferri ad quodcumque bonum, quia bona inter se sub eodem genere non pugnant contrariâ oppositione. At verum, cum solo falso contrariam habet oppositionem. Unde si una pars est vera, altera est falsa: ideò licet voluntas ut aliarum potentiarum domina, eligere possit bonum delectabile, relictô honestô, multò meliore: nunquam tamen potest intellectus inter verum & falsum positus, quamlibet partem approbare. Ratio disparitatis est, quia majus & minus bonum intra spheram & objectum voluntatis continentur; at falsum vagatur extra objectum intellectûs, qui ad voluntatem comparatur ut dux viæ ad cœcum qui se & eam regat juxta legem æternam, cujus est tanquam prima irradiatio, tantaque est inter hujusmodi potentias dependentia & cognatio, ut motiva alicujus objecti nequeant pluris à voluntate fieri, quàm ab intellectu æstimentur: unde semel agnita rei falsitate, v. g. *Totum non esse majus suâ parte;* non magis potest voluntas suo imperio intellectum flectere in oppositum, quàm visum in rem lucis & coloris expertem, si secus agat voluntas, jam non est usus potentiæ moralis, sed abusus potentiæ naturalis, de qua, ut sæpè dictum est, non est sermo in moralibus.


6. Hîc scribendi finem libenti animo facerem, nisi adhuc superessent solvendæ difficultates aliquæ falsò quoque Thomistis impositæ: ex quibus prima quæ occurrit, illa est quæ clanculùm serpebat per Hispaniam in Gymnasiis: maxime Valissoleti, Salmanticæ & Compluti propositio periculosa, quæ etiam Viennæ fuerat puplicis Thesibus propugnata; quâ nonnulli Neoterici asserebant Sacramentum Pœnitentiæ validè conferri posse per litteras absentibus, tàm quoad Confessionem quàm quoad Absolutionem per internuntios transmittendam.

Adversus hanc doctrinam insurrexerunt Thomistæ, & illis agentibus damnata est à Clemente VIII. & postmodum à Paulo V. Cumque de more hanc propositionem non possent rejicere in Divum Thomam, cum ipse, Suaresio teste, doceat in 4. Sent. dist. 17. q. 3. a. 4. nullam esse absolutionem Sacramentalem absenti collatam; utiliusque esse in extrema necessitate

necessitate confiteri Laïco præsenti, quàm absenti Sacerdoti, hanc conati sunt ejus Discipulis, Soto, Nugnio & Alvarez affingere. Verùm quid hac in parte sentiant Thomistæ, breviter aperiam, quod aliud non est, quàm quod faciendum præscribitur per Concilia Arausicanum & Carthaginense ac Rituale Romanum : qua in re haud disputamus de modo quo Pœnitentiæ Sacramentum potuerit institui à Christo ; sed tantùm de facto, quod docet Ecclesiæ usus, & ratio confirmat. Porrò hujus Sacramenti usus omninò diversus est à Matrimonio, quod inter absentes validè ac licitè celebratur aliquando : secùs verò Pœnitentia, idque justis de causis : nam si absolutio, quæ est pars ejus principalis, alicui conferatur invito vel pertinaci in aliquo, etiamsi reliquorum omnium ipsum pœniteat, nulla est omninò : & quia inter absentes vix constare potest, inter quos semel concepta aut promissa facilè mutantur : ideò justè definitum est à Summo Pontifice, ut more aliorum Sacramentorum sin Confessio in aliquo casu fieret ; ad minus Absolutio præsenti reo pœnitenti conferretur, simili modo, quô in consecratione Eucharistiæ ad præsentem materiam verba diriguntur.

Explicatur magis. Confessio, quæ est hujus Sacramenti materia, convenit cum Matrimonio, & maximè urgente necessitate, ob quam mutus v. g. potest peccata sua scribere, & scripta Confessario tradere, vel ea etiam solis nutibus exprimere. Item potest contingere ut infirmus qui Confessionem petiit, usum linguæ amiserit accedente Sacerdote, cui sola potest doloris dare indicia ; huic sine dubio non est deneganda absolutio, hoc saltem subintellectô, *Quantùm possum & indiges.*

Distingunt igitur à consueto usu Thomistæ, id quod fieri potest urgente necessitate, in qua non solùm probabilem admittunt materiam, sed etiam dubiam : sic puero morienti, v. g. melius esse sentiunt, omni aliâ deficiente aquâ, illum baptizare cum aqua ex sale vel ex vite resecta, profluente ; quàm sinere illum animam efflare sine ullo baptismo. Nam cum Sacramenta sint ad Animarum salutem instituta, & ex duobus malis, minus prudenter eligatur ; minus malum est, immò nihil mali, si alicui periculo irriti Sacramenti te exponas, ne æternùm Anima damnetur, pro qua institutum est Sacramentum. Nunquam igitur dixerunt Thomistæ Absolutionem Sacramentalem posse per litteras conferri absentibus, sed huic errori jam pluribus in locis, ut dictum est, disseminato, restiterunt. Legendus est Caietanus verbô, Confess. & Joa. à S. Thoma, de Sacram. Pœnit. pag. 300. in fol. Paris. apud Bertier edit. an. 1667.



Z

SECTIO IV.

Vindiciæ D. Thomæ circa circunstantias necessariò in Confessione aperiendas, fiunt & ipsius Christi Domini ab æquivocatione & restrictione mentali : & ostenditur Deo odibilis quicumque utitur hac arte Sophisticâ, quæ etiam est prorsùs aliena à mente Divi Thomæ : Ac dènique quatuor insignes aperiuntur factæ à ficto Authore falsificationes in doctrina D. Thomæ.

7. ALiud est, cujus gratiâ miris cavillis D. Thomam exagitat quidam Neotericus; quòd nimirùm (ut ille putat) Doctor Angelicus dixerit solas circunstantias speciem peccati immutantes, esse necessariò in Confessione aperiendas; ex qua suppositione sic lepidè ludit verbis · *Ergone ritè confessus erit, quicumque dixerit se furatum esse nummum aut mille aureos, nulla speciali factâ majoris quantitatis expressione?*

Sed audiamus sanctum Doctorem, quem, ni fallor, nunquam probè intellexit hujusmodi Censor. D. Thomas in 4. Sent. dist. 16. q. 3. a. 2. ait diversas esse circunstantias. 1. Aliquæ sunt quæ novam peccati deformitatem inferant; v g. furari rem sacram. 2. Sunt aliæ, quasi indifferentes, *ut furari serò vel manè, manu dexterâ vel sinistrâ.* 3. Sunt aliquæ aggravantes intra eandem speciem. *Quod autem* (inquit S. Doctor) *accipiat (aliquis) multum vel parum, ex se deformitatem aliquam non importat, nisi (nota) ex ipsa suppositione primi ; quia multum de aliero eripere, est ab æqualitate magis discedere : unde talis circunstantia aggravat, sed peccatum non mutat.* Igitur jam ex ipsius verbis, scilicet *ex suppositione primi*, id est, ex augmento rei furto sublatæ, *specialis quoque importatur rei deformitas*, licet speciem non immutet.

Jam verò difficultas est, utrùm istud v. g. in furto augmentum non sit necessariò in Confessione aperiendum, nisi tale sit ac tantum, ut aliam in speciem peccati, v. g. sacrilegii transeat. Sic putant Adversarii, idque ex mente D. Thomæ.

Ego verò (salvô meliori judiciô) existimo hoc ipsum esse sancto Doctori omninò oppositum. Nec aliunde istud infero quàm ex ejus verbis. *Alii verò dicunt* (inquit) *quòd non sint de necessitate confitendæ, nisi circunstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est : Sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt. Cujus ratio est (inquit) quòd venialia non sunt de necessitate Confessionis, sed solùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.* Qua ex ratione, & verbis supra relatis; manifestum est quòd loquatur etiam de circunstantiis notabiliter aggravantibus, quibus (ut supra loquitur) specialis deformitas importatur. Quod ut exprimeret, dixit, *ex suppositione primi ;* id est, ex quantitate rei furtô sublatæ : ex qua sicut ex veniali, fit aliquando mortale; aut è contra, scilicet ob parvitatem materiæ : ita ex mortali gravi, fit sæpè gravius, ut ait Doctor Angelicus, de Malo, q. 2. de peccatis, a. 7. ad 2. *Circunstantia* (inquit) *quæ aggravat, & non dat speciem peccato, non continet ex se aliquam malitiam, sed est determinativa alicujus circunstantiæ malitiam*

continentis. Legendus ſanctus Doctor, 1. 2. q. 18. a. 11. Et ibid q. 73. a. 2. cujus erit interpres optimus Catechiſmus Romanus de Pœnit. *Si quis aureum nummum furetur, leviùs omninò peccat, quàm is qui centum vel ducentos ... Hæc igitur enumeranda ſunt, quæ verò gravitatem rei magnoperè non aggravant, ſine crimine omitti poſſunt.* Sicut ergo malè is confiteretur qui diceret ſe furatum eſſe, non exprimendo rem, v. g. nummum vel aſſem: ita & ille qui diceret ſe nummos ſurripuiſſe, tacitâ illorum quantitate; quia ut unô verbô dicamus cum Tridentino, Seſſ. 14. cap. 5. de Confeſſ. eas circunſtantias debemus aperire in Confeſſione, *ſine quibus peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponuntur; nec Iudicibus (id eſt Preſbyteris) innoteſcunt: & fieri nequit, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Ita ſanctus Doctor, malè ab Adverſariis relatus.

Prædicta velim intellecta ſine præjudicio moniti ſalutaris, ab Angelico Doctore dati in 4. Sent. diſtinc. 17. q. 3. a. 4. ubi ait: *Illi qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per Confeſſionem ſciant; multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.*

Dices cum quodam Moderno, Cardinalis Turrecremata aſſumptus ex Familia Dominicana, approbat revelationes Sanctæ Birgittæ, quæ non ſunt demonſtrativæ, ſed ad ſummum probabiles. Ergo Thomiſtæ etiam illuſtriores, non ſunt prorsùs alieni à Probabilitate.

Reſpondeo, jam ſupra dictum eſſe lib. 1. duodecim Concluſionibus; quibus in caſibus ſuus ſit Probabilitati locus: in iis v. g. in quibus majorem nequimus nobis comparare notitiam citra ſpecialem revelationem, maximè ſi poſſint Animabus ad rationabile obſequium & pietatem deſervire. Aliud verò, promiſcuè uti Probabilitate ad bonum & malum indifferente, ut volunt Neoterici, iis etiam in rebus, in quibus (ut aiunt) de Æternitate alea jacitur, tanquam ipſa Probabilitas præſentiſſimum ſit remedium, quô arceatur omne peccati periculum, mundarique valeant omnes actus, etiam lege prohibiti, ſi fuerint Probabilitate fucati. At nihil commune habet iſtud cum revelationibus Sanctæ Birgittæ, in quibus v. g. narratur, quot verberum ictus in flagellatione ſuſceperit Chriſtus; quot ſpinis duriſſimis & acutiſſimis ejus caput ſacratiſſimum fuerit cruentatum: quæ & id genus alia, certæ ſunt utilitatis, tàm ad deteſtanda peccata, quàm ad ciendos affectus pietatis & amoris. Quæ & id genus alia nihil commune habent cum Probabilitate.

8. Antequam huic Apologiæ finem imponam, hîc quidpiam exiſtimo adjiciendum; unde omnibus innoteſcat, quò tandem proceſſerit Probabilitas, dum aſſerere non erubuit veritatem ipſam, id eſt, Chriſtum, artis hujus eſſe Authorem, quâ inter homines in præjudicium ſinceritatis Chriſtianæ, locum merito jure obtineant æquivocationes & reſtrictiones mentales, quibus tota ſocietas humana, ipſa fides & Religio Chriſtiana ſuſdéque everterentur: & quidem citiùs quàm craſſis mendaciis, quibus odium omnibus ſufficienter ingeneratur.

Fraus & dolus (quos omnes ita naturaliter averſantur) ut falli nolint, (inquit Auguſtinus ſupra laudatus) quicumque etiam amant fallere; teſte Angelico Doctore, 2. 2. q. iij. a. 3. ad 2. ſunt *Executio aſtutiæ*, quæ pecca-

tum est, cujusque vel suspicionem, utpotè magis oppositam simplicitati Christianæ non patitur Apostolus: unde 2. Cor. 4. palam protestatur *se non ambulare in astutia;* quæ tamen nostrâ ætate videtur sedem posuisse in æquivocatione & mentali restrictione, in qua quidquid est vitii in dolo, fraude & ipso mendacio, reperitur; & quidem eò periculosiùs quò occultiùs & prætextu magis specioso.

Explicatur. Interrogatur aliquis (& quidem juridicè, si velis) utrùm quidpiam fecerit aut dixerit. Respondere potest negativè (inquiunt quidam Moderni, subintelligendo se illud non fecisse aut dixisse, v. g. *recreationis causâ* idipsum quod verè fecerit aut dixerit *ob propriam utilitatem, odium, vindictam, aut alium aliquem pravum affectum*, de quo absolutè & quoad substantiam facti interrogatur, non verò quantùm ad circunstantias & finem, de quibus persæpè non quæritur, & sic de aliis: unde inquiunt æquivocationem, optimum esse condimentum, vel potiùs medicamentum, quô solis peritis Medicis uti liceat, utpotè valentibus varias rerum distinguere formalitates.

9. Verùm, si semel obtineat hic loquendi modus, tota destruitur conversatio humana; nec ullus est qui prudenter fidere possit proximi sui verbis: etenim nisi sit stolidus, nunquam respondebit interrogatus ad mentem interrogantis; eritque in humana societate fraus assidua ac dolus perpetuus; quæ, ut ait Doctor Angelicus, 2. 2. q. 69. a. 2. *vim mendacii habent.* Mentitur enim qui contra mentem loquitur; *loquendum verò ut multi*, & prout res apud omnes intelliguntur, relictâ quâcumque mentali restrictione aut æquivocatione; ex quibus in nullo Tribunali admitteretur exceptio. Ratio ab Angelico Doctore desumitur, nempè quòd scientia nostra sit à rebus accepta, sintque verba *signa conceptuum;* quæ cum, ut ait D. August. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 3. *obtinuerint principatum significandi*, qui loquitur, sibi fingens in mente aliud quàm quod communiter intelligitur. *Sophisticè loquitur, & odibilis est*, ut Eccles. 37.23. dicitur; atque ab omnibus deridebitur, si hanc excusationem, suæ scilicet æquivocationis aut restrictionis mentalis contra propria verba, aut scripturam suam prætexere ausus fuerit: quare ait D. Thomas, 2. 2. q. 110. a. 3. *Cum voces sint naturaliter signa intellectuum, innaturale est & indebitum, quòd aliquis voce significet id quod non habet in mente:* & ideò sic loquendum, ut alius intelligere possit id quod ipse geris in mente; alioquin locutio deficit à fine, seu ut ait D. Thomas, fit *innaturalis & indebita.*

Quid, quæso, obtineret Tullius, à quo perspicuis verbis facta esset promissio de centum aureis post annum Sempronio solvendis; si anno elapso coram Judice vocatus Tullius solvendi causâ; responderet se se mentali restrictione subintellexisse, se reipsâ daturum; si hos centum aureos posset à Turca habere, & non aliàs? Nonne in derisum haberetur tale commentum, illumque ceu fatuum omnes irriderent? Et tamen ex Neotericorum principiis licita & honesta erit coram Deo, restrictio mentalis, quæ esset apud ipsos homines exosa & intolerabilis.

Præterea mentali restrictione & æquivocatione liceret in speciem idola colere; nec reputandus foret B. Marcellinus in idololatriam incidisse: & in

hoc miseri fuere nostri Martyres, qui tàm facilè tot acerbissima tormentorum supplicia, unico verbo blasphemiæ de Christo, de falsis diis restrictione mentali, verè intellecto, vitare potuissent, erigendo mentem in Deum opt. quem summa veneratione & affectu colerent, etiam dum thus coram idolis per derisionem obtulissent. At istud vel audire horrescunt aures Christianæ. Quod tamen sequitur ex Probabilitate. An fortasse quia nondum inventa erat ista mirabilis Philosophia? Hanc tamen ipsi Christo tribuere non vetavit Probabilitas. Ex eo enim quòd Christus à Discipulis interrogatus de extremo judicio & Mundi exitio, responderit *se nescire*, id factum esse mentali restrictione & æquivocatione existimarunt quidam Casuistæ; ex quo innoxium esse illorum usum dixerunt; quod maximè alienum erat ab eo, qui testibus ipsis ejus Adversariis *viam Dei in veritate docebat.*

10. Verùm istud facilè confutari potest: nam ut ait D. Grego. hom. 23. in Evang. *nihil*, unquam, *simplex veritas per duplicitatem fecit. Sed quare* (Christus) *dicitur nescire*? inquit D. Thomas in cap. 24. Matth? *Augustinus & Hiero. dicunt, quod consuetus loquendi modus est dicere, nescire aliquid quando non facit illud scire: sicut dicitur Gen. 22. nunc cognovi quod timeas Deum, id est cognoscere feci: ideò dicitur filius nescire, quia non facit scire*, prosequere si vis aliam Origenis expositionem: & nullibi reperies ullam æquivocationem aut restrictionem mentalem. Sed cum Christus esset æterni Patris legatus, sciebat quid discipulis manifestare deberet, quod & præstitit juxta illud: *omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, Ea duntaxat, quæ ipsis prodesse possent; non verò illa, quæ ipsis, ac nobis certissimè nocuissent, qualia sunt illa, quæ ad finem mundi, secreta cordium pertinent, ex quibus odia, inimicitiæ immortales, & horrendæ cædes, aliaque innumera mala orirentur sicut & maxima salutis incuria.

Nec minùs injustè doctrina æquivocationum tribuitur D. Thomæ cui adversatur ut satis patet ex dictis: quodque magis 2. 2. q. 110. ar. 6. declaravit his verbis: *si falsa significatio sit circa aliquid, cujus cognitio pertineat ad hominis bonum: putà, quæ pertineat ad perfectionem scientiæ & informationem morum: tale mendacium in quantum infert damnum falsæ opinionis proximo: contrariatur charitati quantùm ad dilectionem proximi unde, est peccatum mortale.* Quid clarius?

Si à Deo datum loquelæ munus & sermonis usum ad aperiendos aliis mentis nostræ conceptus, ac mutuam sinceramque inter homines conversationem; malum sit, æquivocationibus & mentis restrictionibus pervertere: longè pejus erit, hujusmodi artem sophisticam usque ad juramentum extendere: unde falsum est quod dixerunt quidam Antithomistæ, *licitum esse aliquem inducere ad jurandum falsum, quod jurans putat esse verum: ipse verò inducens scit esse falsum*: Et quamvis in derisum traducere satagant Thomistas secùs sentientes: hactenùs tamen adversus eos, nihil nisi fictitias distinctiones & cavillos proferre potuerunt, quibus prædictam ad jurandum falsum, inductionem, non magis cohonestare aut justificare possint, quàm si de industria quempiam induxerint ad matrimonium cum cognata, ea tamen insciâ, contrahendum: aut puerum excitent ad blasphe-

mandum. Nec valet respondere, in hujusmodi esse tantùm materiale peccatum, quo, ut ait insignis defensor Probabilitatis, ***nemo occiditur***: nam horrendum est Animæ salutem æternæ damnationi exponere tricis similibus, cum D. Gregorio teste existimemus aliquando peccatum esse materiale tantùm, quòd coram Deo erit formalissimum & gravissimum, ut patet in exemplo quod ipse refert lib. 4. dialog. cap. 18. de quinquenni puero cujus subindè, verba blasphemiæ, quæ proferebat, existimare poterat Pater ejus peccati materialis nequitiam non excedere, ob quæ nihilominùs puer arreptus est à dæmonibus. *Quem* (inquit D. Gregorius) *morientem permisit Deus iterare eadem verba blasphemiæ; ut cognosceret ipsius, Pater, quòd parvuli filii Animam negligens, non parvulum peccatorem gehennæ ignibus nutriisset.*

11. Hîc dicendi finem libentissimè fecissem, nisi suasissent Amici nonnulla adhuc subjicienda esse exempla, (præter ea quæ superius ab ipsa præfatione diximus) quibus institutæ hujus apologiæ necessitas omnibus facilè innotescat, quæ profectò tanta est, ut eam obmittere vix possis, nisi communem Religionis causam prodere volueris. Etenim non potest majus esse, magisve perniciosum salutis piaculum, quam cum pro virtute vitium, aut pro veniali, mortale obtruditur peccatum. Atqui constat istud factum esse in magnum dedecus & præjudicium doctrinæ divi Thomæ: quod ut demonstrem, sciendum est, quod res facti, cum certum non habeant modum, finem aut numerum, has omnes scire sit supra facultatem & vires naturæ: secùs verò res juris naturalis, quæ cùm paucissimis contineantur principiis, cordibus hominum naturaliter insitis, ferè omnibus obviæ sunt & notæ: unde quidquid fit ex ignorantia juris naturalis, vix, & fortasse ne vix quidem excusari potest. At aliquando ad culpam non imputantur res facti, & meritò si in illis ignorantiam superare non possis.

Egregiè discriminavit utrumque Doct. Angelicus quodl. 8. ar. 5. aliàs 15. ubi ignorantiam facti ostendit esse aliquando citra culpam, ut contigit in Jacob ignoranter accedente ad Liam: quo in casu si quis ad suam accedere intenderet causâ solius delectationis (quod esse non potest juxta doctrinam D. Thomæ, sine culpa veniali:) & ei quoque inculpabiliter sicut Jacobo, supponeretur altera: peccaret quoque venialiter: Hoc non dissimulavit Amadæus Tract. de opinione probabili pag. 59. nu. 6. edit. Lugdun. apud Borde 1664. & Valentiæ 1665.

Verum non est idem in quæstione juris naturalis, in quo *error* (inquit D. Thomas quodl. supra citato ar. 5.) *non habet vim absolvendi vel excusandi.* Quòd ut confunderet Amadæus cum quæstione facti, sequentia D. Thomæ verba reseravit. *Sicut si crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale. Et tunc quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* At quæ major hallucinatio (ne durius loquar) quàm dicere esse tantùm veniale ex D. Thoma, id quod exerto ore asserit S. Doctor esse peccatum mortale? Item poteratne efficaciùs damnari ex mente D. Thomæ quævis opinio probabilis falsa, legi contraria, quàm præfato ipsius testimonio? Aut evidentiùs damonstrari mala fides Amadæi?

12. Non minùs injuriosum est Angelico Doctori, quod eidem falsò quoque affingit Amadæus Tract. de peccatis, proposit. 3. pag. 12. Asserens sequentem propositionem esse *expressè Divi Thomæ*: *Licitum est desiderare*

alteri mortem & de illa gaudere, non quatenùs illi mala, sed quatenus tibi bona, v g. ut ei in bonis succedas. Hoc probare nititur Amadæus ex duobus D. Thomæ testimoniis. Primò ex 2. 2. q. 76 ar. 1. Secundò ex lib. Sent. dist. 30. q. 1. ar. 1. au4. & quantùm ad utrumque D. Thomam vel vidisse, perinde est ac Amadæum confutasse, ipsumque falsitatis convictum traduxisse.

Et quidem quantùm ad primùm, postquam D. Thomas rem totam ab ipsa nominis Ethymologia incipiendo, mirabili perspicuitate enucleavit; duabus conclusionibus quæsito satisfacit. Primò ostendit maledictum ex odio proveniens semper esse peccatum. Et quoniam maledictum (quod idem est ac addictum malis seu pœnis affectum) aliquando procedit ex affectu boni justi, ut cum judex reo pœnas infligit, quas ipse promeruit: vel ex affectu boni utilis, ut cum aliquis gravem peccatori exoptat ægritudinem ut convertatur vel melior efficiatur; vel aliquod aliud impedimentum, quo v. g. Ecclesiæ aut Reip. Persecutor retardetur aut impediatur, ne communem cladem inferat tot insontibus: in his nullum est peccatum, inquit S. Doct.

13. Quantum vero ad secundum locum ex lib. 2. Sent. citato: Cum sibi objecisset D. Thomas *quod in Scriptura Sacra frequenter reperiuntur imprecationes, contra inimicos, v. g. Ecclesiæ*: ad 4: postquam expressit S. Doctor charitatis ordinem: ait nos debere magis diligere *bonum commune multorum, quàm bonum privatum unius*: & ideò *potest aliquis salvâ charitate optare malum temporale alicui & gaudere si contigerit, non in quantùm est malum illius, sed in quantùm est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere: vel communitatis aut Ecclesiæ.* Quibus verbis D. Thomas indicat, propter bonum commune, spernendum esse particulare, sicut & in corpore membrum abscinditur pro salute totius. Itidem si ob bonum utile, malum aliquod alicui imprecetur: illud bonum ait D. Thomas referendum esse ad eum cui fit imprecatio, *ut scilicet convertatur, & melior efficiatur.* At utrumqúe subvertit Amadæus: quare ut privati ad privatum & singulare sit relatio: seu ut possit ex hoc D. Thomę testimonio inferre, licitum esse filio mortem Patris sui desiderare ut ejus succedat bonis; sequentia verba Divi Thomæ truncavit *communitatis aut Ecclesiæ*, pro quorum pace & tranquillitate possumus à Deo petere ut Tyrannus arceatur: & Turca exempli causâ, adeò propriis dissidiis detineatur, ut à persecutione Christianorum impediatur: At totum refert Amadæus ad filium; ut scilicet sine scrupulo pravis desideriis habenæ laxentur, etiam in morte ipsius per quem à Deo vitam accepit, ut ex ejus nece, commodum captet, lautiùs vivat: & unô verbô, beatus fiat ex parentum suorum miseria, quarum exoptat hæreditatem: quo desiderio via aperitur excessibus quos horrescit proferre Animus.

Verùm quid commune habent teterrima hæc desideria cum doctrina D. Thomæ? qui uni intentus charitati explicuit ordinem justæ dilectionis, quâ Dei honos, salus Animæ & bonum commune privato semper præferantur; ut citatos articulos legenti patebit: & quandoque possimus cum Psalmista dicere: *Perfecto odio oderam illos: Ps. 138. id est culpam non naturam odio habui: neque mei causâ, sed Dei, ideò non Saülem, Semei aut Absalonem, sed eos tantùm qui veræ Religioni insidiantur & Divinum labefactant cultum. lege Ang. Doctorem 2. 2. q. 25. ar. 6.*

Præterea, ut posset censuram ferre in D. Thomam Amadæus, ait tract. de Matrim. propos. 1. pag 496. nu. 6. *Insuper non erit lethale accipere in peccato Episcopatum juxta opinionem D. Thomæ in 4 sent. dist. 24. q. 3. a 2. ad 2* Audi ergo, Lector, D. Thomam; & obstupesce: *Ad secundam quæstionem* (inquit D. Thomas ibid. ad 2. citatum) *dicendum quod ordo potest accipi dupliciter: unô modô secundùm quod est Sacramentum: unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote, quantùm ad hoc non erit Episcopatus ordo.* Ut autem posset Amadæus tegere falsitatem, truncavit sequentia verba D. Thomæ: *Alio modo*, inquit sanctus Doctor, *potest considerari ordo secundùm quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum: & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus Hierarchicis respectu Corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo.* Cur ergo istud tacuisti? Item nullum posse seipsum aut alium exponere occasioni proximæ peccandi, ob quemcumque finem; idque ut certum habeamus in doctrina D. Thomæ: nam qui sic agit in peccatum impellit, aut ut loquitur Scriptura, coram cœco offendiculum ponit; quod nunquam licet, etiam emendationis causâ.

14 At refert Amadæus, tract. de Charit. nu. 1. Joannem Sanchez sic loquentem: *Adhæreo* (inquit) *opinioni asserentium offerentium alicui occasionem ad peccandum ut deprehensus in illa resipiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare.* Et est *expressa* (inquit Amadæus) *sententia D. Thomæ,* de Malo, q. 13. a. 4. ad 19 ubi ait sanctus Doctor: *Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius: sed tamen pro aliquo incommodo corporali vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei subtrahere.* Quid clariùs? exclamat Amadæus. *Ideò* (inquit) *in terminis sequens de marito offerente occasionem uxori ad adulterium, tenet Diana* Nota ly *offerente.*

Sed ne posset Lector vel suspicari, aut credere in hoc ipso imponi Divo Thomæ; placuit Amadæo sequentia sancti Doctoris verba reticere: *Sicut si latro aliquem jugulare vellet, & ad vitandum mortis periculum aliquis latroni thesaurum suum diripiendum detegeret, non peccaret: exemplo illorum decem virorum, qui dixerunt ad Ismaël: Noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro, ut habetur Ieremiæ 41. v. 8.* At quid commune habet istud exemplum à D. Thoma allatum, & ab Amadæo de industria dissimulatum, cum viro, qui datâ operâ uxorem suam exponeret occasioni adulterii, quæ cum sit ex se efficax ad alliciendum ad peccatum, fortasse peccabit etiam ipsa, quæ semper fuerat Deo & marito fidelissima; cui tamen fuga peccati & occasionis, est prorsùs necessaria? Deinde quid magis æquum, quàm quod ait sanctus Doctor in hoc casu faciendum: scilicet spernendum esse bonum temporale, seu aperiendum thesaurum pro vitæ conservatione, quâ semel extinctâ, cætera bona temporalia sunt superflua? Nonne obstupescis, candide Lector?

15. Si Divi Thomæ libros (qui in omnium ferè sunt manibus, de quorum proinde falsificationibus palàm redargui, & convinci possunt Adversarii) tàm apertè, audacter & impudoratè corrumpunt, mutilant, aut eorum sensum invertunt (ut patet ex supra dictis;) quid existimas factum de innumeris operibus Thomistarum, quorum nomen vix nobismetipsis

erat

erat notum, & quorum libros non nisi maxima cum difficultate reperire potuimus, ut illorum innocentiam supra aperiremus? Quindecim evolvi hac de re Tractatus Amadæi, qui non obstantibus Ecclesiæ fulminibus (quibus, sub anathematis pœna, proscripta sunt ejus opera) novis in dies editionibus mundum replet, in quibus ne unam quidem reperi assertionem in relatis ab eo Thomistis, quæ non sit falsissima & alienissima à mente Divi Thomæ & Thomistarum doctrina, ritè (ut par est) intellecta: cui, id est Angelico Doctori, sic adhæremus, ejusque in verba juramus, ut pro Thomista non habeamus, sed pro desertore & transfuga, quemcumque nobis indicare possint ab ejus doctrina vel lato ungue, ut dicitur, recessisse, suo Authore satis tutâ, & potissimùm accedente judiciô Ecclesiæ, quæ post Canonicam Scripturam, non agnoscit securiorem sanæ doctrinæ & morum regulam, quàm D. Thomæ doctrinam. Quid ergo gravius aut magis infensum fidelibus, quàm illam corrumpere, aut pravis interpretationibus de ipsa horrorem ingenerare fidelibus? At si verum esset quòd nonnulli (quorum nomina ex charitate reticeo) falsò ipsi affingunt, valdè anceps hærerem, cuinam, hac in parte possem comparare doctrinam Divi Thomæ: & ne sic loquentem me abreptum zelo existimes: à te peto, Candide Lector, an ab aliquo rectè probatum putares Atheismum, qui hæc Scripturæ verba ad id efficiendum proferret, *Non est Deus*, dissimulando hæc ipsa ab insipiente esse prolata? Idem omninò contingit in præsentiarum; nam ex eo quod dixerit Doctor Angelicus, *peccatum eò esse gravius, quò nobiliori virtuti adversatur*; (quod est verissimum cæteris paribus) tanquam ex hoc uno, peccati gravitatem dixisset sanctus Doctor esse metiendam: inferunt juxta ejus doctrinam: furtum triginta assium aut unius aurei, esse gravius peccatum, quàm stuprum, incestum cum matre, aut bestialitatem: nam furtum justitiam lædit; quæ D. Thomâ teste, præstat temperantiæ, quâ homo debet refrænare omnes luxuriæ species, cuique contraria sunt nefanda hæc vitia, quæ nec deberemus nominare.

Porrò, si hoc sophismatum genus ab Adversariis usurpatum obtineret, errorum, portentorum ac scelerum monstra exinde nascerentur, quæ totum mundum terrere sufficerent: nam vis argumenti in hoc consistit, *quòd ea quæ sunt superioris ordinis, sunt meliora; & ea quæ his adversantur, sunt deteriora.* Quòd si sumatur absolutè & sine additione, ex eo sequitur absurdum risu magis quàm confutatione dignum; scilicet quodlibet veniale peccatum, quantumvis exiguum contra charitatem, esse gravius quôcumque horrendô scelere contrariô virtuti, quæ sit inferior charitate.

Aliud ergo est loqui de rebus secundùm esse, aut juxta unam considerationem: aliud loqui de iisdem juxta moralem æstimationem, juxta quam gemma aut lapillus pretiosus præstat toti muscarum speciei; quamvis minimam muscam secundùm gradum vitæ pluris unione faciant Philosophi. Sic in præsentiarum peccata æstimantur quidem gravia per oppositionem quam habent cum virtutibus excellentioribus, sed non ex hoc uno: nam absoluta illorum gravitas seu enormitas insuper ac potissimùm est metienda ex recessu à lege æterna, à synderesi, à rectâ ratione, ac fine ob quem res quælibet est à Deo instituta; à quibus præter communem offensæ Dei rationem, longiùs absunt ea peccata quibus ipsum jus natu-

A a

rale & humanum violatur; qualia sunt illa quibus expurgandis ac puniendis, opus fuit diluvii aquis & ultricibus Sodomorum flammis. Unde ait sanctus Doctor, 1. 2. quæst. 73. a. 2. *Multum refert ad ægritudinem vel turpitudinem, utrum plus vel minus à debita commensuratione humorum vel membrorum recedatur; & similiter dicendum est de vitiis & peccatis.* Sed ne quis dubitare possit de mente sancti Doctoris, legat ipsum qui voluerit, 2. 2. quæst. 154. art. 1. & sequent. Desinant ergo Adversarii sancto Doctori imponere, asserentes juxta ejus doctrinam (quam non legerunt aut non intelligunt, ne quid pejus suspicari cogar) furtum decem aut viginti regalium, majus esse peccatum quàm crimen pessimum, aut quodvis aliud: quod nec nominare permittitur, nec unquam dixit Doctor Angelicus.

17. Hæc sunt, mi Eupistine, quæ tibi & Asseclis respondenda existimavi, tùm pro amovendo scandalo tot falsitatibus sparso, cùm pro tuenda Cœlitum doctrina, tot artibus à te immeritissimè læsa. Veritati tam apertæ, tamque evidenter hîc propugnatæ, nihil (ut arbitror) superest præter vota & preces, quibus te adjuro, ut tibi persuadeas, mihi adversum te nullam inesse amaritudinis radicem; neque hîc aliud voluisse, nisi ut tot falsa scribenti nulla fides adhiberetur; qua in in re, si conscientiam consulas (cui, nisi retractatione, non vales satisfacere) pro te laboravi: itaque jam depone hastam, & clypeum abjiciam. Una pro nobis currunt à tot annis legitima possessio, & ultra omnium legum terminos justa præscriptio in doctrina Divi Thomæ: aërem verberas, si aliud quàm quod propugnamus, peritis suadere satagas. Quantùm ad me spectat, libenti animo patior oscitationis opprobrium quò me afficis; seu ut melius loqueris pag. 279. & 280. *crassæ ignorantiæ & erroris palpabilis deceptionem, nec non temeritatis & negligentiæ in evolvendis libris notam.* Pro quibus & his similibus, à te mihi impositis, tibi visa est necessaria, multis constans paginis, ad calcem tui posterioris libri, monitio specialis, quæ esset Lectoribus, tanquam extremum palato blandiens edulium, sive postremi ferculi suaviores in ore reliquiæ. Facile possem prætensæ hujus in evolvendis libris negligentiæ suspicionem fortius repellere, integrô aliô volumine, ex quo dubitare non posses, quin saltem (præter nonnullos alios, ut ex dictis patet) 24 tibi notissimos adhuc legissem Authores, quorum opera & lucubrationes majori ex parte sunt admodum dissimiles revelationibus, quas reliquit nobis Tonitrui filius: Sed silere malui, donec consuetis officiis hoc à me invito extorqueas: nunc enim minus me lædunt hæc convitia, quàm laudes & encomia, quibus Divum Thomam & Thomistas se extollere fingit Amadæus (ad quem concurrere non erubuisti, tanquam ad testem locupletissimum) qui ut opus suum tot censuris labefactatum, faciat nihilominùs commendatum, ab ipsa præfatione posterioris editionis, quæ meas in manus pervenerit, se nihil scripturum hac in parte *dixit, quòd fulgentissimâ (ut loquitur) Thomistarum face, in Phœbea Divi Thomæ luce (non sit) irradiatum.* Hîc mihi sufficit falsitatem fraudulenti hujus Encomii (ut tuis utar verbis) *palpandam exhibuisse.* Stat, semperque stabit doctrina D. Thomæ, pro quo hoc habeto egregium istud D. Paulini Epist. 2. Oraculum: *Victus vinces (Epistine) si justo cedas, & voluntati tuæ voluntas divina prævaleat.* Et hoc unum est, tam in Prævio Dei Influxu propugnando, quàm in vaga Probabilitate profliganda; quod fatentur ac intendunt Thomistæ.



APOLOGIA COMPENDIARIA

PRO VERA D. THOMÆ DOCTRINA, adverſus alios ipſius Aggreſſores, & præcipuè contra primum Librum ficti Germani Philalethis Eupiſtini, Duaci apud Ioannem Patté editi, cui titulus eſt, *Authoritas, &c.*



LIBER SECVNDVS.

LECTORI.



CANDIDE LECTOR, ſi Laërtio teſte, *nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officii*: jam nobis utcumque poſſumus gratulari, quod tribus libris, ſemel & iterum in lucem editis (quorum Deo favente, abſolutiſſimum citò accipies compendium) ſatis fœliciter quinque Univerſitatum judiciô, dolos traduxerimus, quos officioſo *Defenſoris Divi Thomæ* titulo, Petrus à Sancto Joſeph occultaverat; quâ arte rudioribus ſaltem inſidiabatur, tribus ejuſdem Libri editionibus, & nunc quartâ poſt ejus obitum recens Duaci factâ.

Hîc alii recentiores ſe ſe offerunt doctrinæ ejuſdem Divi Thomæ Impugnatores; quorum ſi vellemus perſonatum ſcribendi modum imitari, noſmetipſos in plures transmutari formas neceſſarium foret, quàm Protheum Tethyos filium. At debet iſtud ſcribendi genus alieniſſimum eſſe ab inſtituto quod profitemur. Nam ſi, ut ait Tullius, *apertè odiſſe magis ingenuum eſt, quàm fronte ſententiam occultare*; Nos, quos docuit Chriſtus inimicos diligere, nec apertè, nec clàm odiſſe quempiam proteſtamur: ſed nihil aliud intendere, quàm nudam aperire veritatem; utpotè quæ una ſufficiat ſuas noſtraſque agere vindicias: & quamvis ipſam hîc conſpiciamus plurimùm deformatam, noſque in ea ſic larvata graviſſimè læſos ſentiamus, à duobus præfatis Authoribus, quorum primo, falſum eſt vocabulum *Theopiſtus*; alteri verò, *Germanus Philalethes Eupiſtinus*, utrumque tamen conſuetâ benignitate, modeſtiâ & manſuetudine religioſâ excipiemus, ſalvis juribus ſolius veritatis, ſi priùs objectæ nobis quæſtioni hunc & illum quoque reſpicienti, fecerimus ſatis. Quare ſit

CAPVT PRIMVM.

Vnde tam obfirmatus Antithomiſtarum animus in impugnanda Divi Thomæ & Thomiſtarum doctrina: & cur in ea referenda tam frequenter decipiantur.

Nu. 1. Mihi idipſum aliàs inquirenti reſponſum eſt à viro Religioſo (quem certè Adverſariorum ſecreta non latebant) id non tam fieri ratione ſeu intuitu Divi Thomæ, quàm illorum quibus quaſi ex voto incumbit, intactam ſervare ac tueri ejus doctrinam, ſine quibus, ut ſibi blandiebatur quidam Neotericus, nulla jam eſſet Eccleſiæ doctrina, præter eam, cujus ſe eſſe Authorem dicit ipſe Molina, & nominatim de gratia, quæ eſt origo fœcunda, ex qua ſcaturiunt innumeræ & graviores ſalutis noſtræ difficultates, nec non Auguſtiora Religionis Chriſtianæ Myſteria. Molinæ enim (ut aiebat ſtudioſus ille diſcipulus ipſius) jam ferè omnes ſubſcribunt v. g. *Minoritæ (Scoto etiam relicto) Capucini, Carthuſiani, Bernardini, &c.* Exceptis (inquiebat) ſolis Dominicanis.

Et quamvis diutiùs mihi admodùm anceps fuerit animus circa hujuſmodi ſermocinationem: quam, ut arbitror, nemo non judicabit, tam vanam, quàm falſam præ ſe ferre jactantiam: cum ut diximus pag. 179. primæ editionis *ſtella Caſſyopea*, præter Patres Societatis Jeſu, & Dominicanos, adhuc reperiantur ad minus in Eccleſia decem Religioſiſſimi Ordines juxtà & doctiſſimi cum omnibus ferè florentiſſimis totius Europæ Univerſitatibus, Doctrinæ Divi Thomæ addictiſſimi: ne cæteris quidem exceptis ex quibus nulla ſeſe huic adverſari palam profitetur, ſaltem in pluribus: immò, quò plus reipsâ à S. Doctore recedunt; eò magis, ſaltem verborum officiis & in ſpeciem, ipſum adire & propius ad eum accedere, omnibus perſuadere ſatagunt: & pauci reperiuntur Molinæ ipſius diſcipuli, qui tàm apertè in faciem reſiſtant Angelico Doctori, eique vale dicant, quàm Molina ipſe, uti ſtatim cap. 2. ſumus audituri.

Attamen poſt libellum (qui mihi incidit in manus) falsò typis mandatum Pariſiis, ut in facie præfertur: ſed in rei veritate, ſaltem quantùm diſcere potui, fabricatum Gratianopoli, Gallico idiomate, Larvato Authore Theopiſto: in cujus pagina 7. habetur *Molina eſt celuy, dont le ſeul ſentiment eſt aujourd'huy declaré par l'Egliſe, le ſeul Catholique*, vix ulli eſſe poteſt ratio dubitandi, circa prædictam hanc jactantiam.

2. Et quamvis hîc gratis daremus excuſabilem fuiſſe aliquando receſſum Neotericorum à doctrina D. Thomæ circa ſinceram illius intelligentiam: & apud eos potiſſimùm, quibus (ut ferunt) ſpeciali animadverſione cautum erat aliàs, ne hanc aliter aliis, aut alio modo explicarent, quàm quô placuit Molinæ aut celebrioribus ipſius Defenſoribus. Jam tamen nulla eſſe poteſt legitima excuſatio, poſt tot editos à Thomiſtis libros, totque excuſa in D. Thomam commentaria veritatem evidentius ipsâ luce meridianâ manifeſtam facientia: niſi fortè hæc una ſcilicet difficultas revocandi gradum, ſeu retractandi id, quod tàm inconſideratè (ne duriùs lo-

quar) à centum circiter annis scripsère contra doctrinam D. Thomæ: quam si apud ipsum Doctorem Angelicum legissent; hos fortasse jam haberemus Commilitones ac Socios, quos sustinemus impugnatores & Adversarios. Ex quibus jam plures gratanti animo suscepimus reduces, quos pœnitet fuisse tandiu delusos.

Sed nonnulli supersunt (ut verbis utar Tertulliani in Apologetico) *qui si quem semel vel immeritò læserint, perpetuis persequantur calumniis : nam si peccatum suum fateantur, minùs jam prudentes se haberi credunt : igitur ne fateantur; aut verum dissimulant, aut rei ipsius certiores fieri nolunt, quodammodò erubescentes paulò fieri in inquirenda veritate diligentiores.*

Dixi ab Adversariis Angelicum Doctorem non legi, nisi in Molinæ aut similibus Divi Thomæ Expositoribus, quod facile sibi persuadebit lector eruditus, si mecum perpendere velit, moraliter fieri non posse; ut tot viri Religiosi, ad Sacra quotidie accedentes Altaria; vellent de industria Sanctum Doctorem falsificare & corrumpere, ac nominatim in re de cujus falsitate convinci possunt solo oculorum testimonio. Nam ut jam diximus, occasione Probabilitatis : Divi Thomas ab eorum uno ita apertè est falsificatus ut propositionem contradictorie oppositam ei quam ipse tuetur, etiam loco ab ipsis citato; quatuor alii, qui post illum scripserunt, eidem Sancto Doctori palam & audacter adscribant. Totum enim quod ex Charitate possum in eorum favorem aut excusationem conjicere vel ominari, est, quod hujusmodi Authores nimium creduli, numquam aut rarò admodùm legant Doctorem Angelicum, nisi in fide aliorum, sive, ut ab ipsis relatum. Ex quo interim judicabit prudens lector, quæ sit ipsis fides adhibenda cum se tuentur multitudine, & maximè cum agitur de doctrina D. Thomæ.

SECTIO UNICA.

Quis sit Thomistarum scopus in hac parte : cur ab Adversariis impugnentur : & quâ arte illudat quidam Neotericus Brevi Apostolico ?


Nu. 3. Sit ergo hujusce lucubrationis nostræ scopus saltem secundarius, scilicet ut resipiscant Adversarii doctrinæ Divi Thomæ, *fiantque in inquirenda veritate (ut loquebatur olim Tertullianus) paulò diligentiores.* Aut saltem æquè sinceri ac Thomistæ, quos si hac in parte sequi nolint ac detractent; hos tandem lacessere ac persequi desinant : cum in rei veritate de Thomistis hac in parte nihil omninò fingi possit, quàm quod aliàs in fidei negotio dixit idem Tertulianus de Christianis. Explicatur magis.

Plinius secundus (inquit idem Tertullianus) mitiorem reddidit in Christianos Trajanum Imperatorem, certiorem illum efficiens *præter obstinationem non sacrificandi, nihil de eorum sacris comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo & ad disciplinam confœderandam.*

Peccatum ergo Thomistarum (si quod sit hac in parte, quod absit) est quod quibusdam Neotericis morem non gerant, sed *habeant obstinationem non sacrificandi* illorum Novitati, quam sæpè falsam experiuntur, & non rarò periculosam : sed firmiter perseverandi in Defensione Divinæ Gratiæ,

Ad confœderandam, (*Sanctissimi Præsulis Augustini & Doctoris Angelici*) *disciplinam*. Quæ est Thomistarum Turris fortior Davidicâ, ex qua non mille, sed innumeri protectionis inexpugnabilis pendent Clypei. Arbitrantur enim sibi gloriosissimum esse, sub tantis, tamque inclytis Ducibus militare, eorumque tutissimis dogmatibus adhærere; ne fiant, ut ait Apostolus ad Ephes. 4. *Sicut parvuli fluctuantes, qui omni vento doctrinæ circumferuntur*: veluti & ipsorum Æmuli, ex quibus vix, & ne vix quidem, duos reperias, unà perfectè in omnibus consentientes: non solum circa scientiam Mediam ut fortasse infra dicemus cum P. Fasseau: sed etiam circa Probabilitatem, ut jam satis cum Mercoro insinuavimus in libro cui titulus est *securiores semitæ Moralis Theologiæ*.

Dixi Thomistas inhærere doctrinæ Sancti Augustini & Doctoris Angelici: quorum tutissima & inconcussa dogmata declaravit Alexander VII. per Breve ad Universitatem Lovaniensem directum. Quod ferre non valens Pater Fabri in suo Apologetico Lugduni edito pag. 141. maluit se manifesto contradictionis vitio implicare, quàm præfatum Breve fateri & admittere. Sed ne hac in re actum agamus: legatur P. Gabriël à S. Vincentio Carmelita de remediis ignorantiæ pag. 481. ubi ostendit dictum P. Fabri non posse, ab hac, in quam incidit, fovea exire, nec vulnus quod sibi hac in parte inflixit, sanare: nisi usu remedii ipso morbo pejoris, scilicet æquivocatione, seu mentis (quam ille tuetur sicut & P. Unanderch, quem adducit in testem) restrictione: fingendo nimirùm; Summum Pontificem dixisse *Se illud Breve non vidisse* (ut illi imponit) suamque, locô veritatis, fictionem enuntiando: quâ arte fraudulentâ fides evertitur inter homines, totaque Societas humana perturbatur & confunditur. Et hæc una est tricarum species, ob quam à Recentiorum novitate & cavillis abhorrent Thomistæ. Jure an injuriâ, prudens lector judicabit.



CAPUT SECUNDUM.

Auditur Anonimus, ficto vocabulo Theopistus, vana cujus jactantia refellitur in extollenda Molinæ doctrina contra communem Ecclesiæ, nominatim circa donum Perseverantiæ.

Nu. 1. ITa modum excessit, sibique complacuit Theopistus ille in extollenda Molinæ doctrina, non in hujus vel illius, sed in omnium aliorum, nemine dempto, contemptum: ut non mirum sit, si larvam assumpserit hîc Encomiastes, ne post tantam jactantiam erubescere cogeretur: quam ut arbitror ipsius Molinæ modestia minimè passa fuisset: Nullum tamen excepit fictus hîc Theopistus; sed absolutè pronuntiavit id quod capite præcedenti retulimus, *Molina est celuy* (dit-il) *dont le seul sentiment est aujourd'huy declaré par l'Eglise, le seul Catholique*: Et ne id ipsi inopinatò aut ex minori deliberatione crederetur excidisse; non semel id dixit: sed pluries repetiit, teste Philotheopisto pag. 25. ubi absolutè concludit

ejus nomine: *Il n'y a point de milieu entre le Molinisme, & le Iansenisme, de qui la doctrine est condamnée comme heretique.* Proh Deum immortalem! quô igitur confugient tot Percelebres ac Religiosissimi Ordines, Benedictini reformati, Carmelitæ excalceati, Patres nomine Minimi, omnis status & conditionis Thomistæ Dominicani, &c. Tot Inclytæ Universitates Angelico Doctori addictissimæ?

Si suum unicuique Doctori Catholico locum, quantumvis exiguum reliquisset Theopistus, aliquem fortasse potuisset reperire angulum Doctor Angelicus; sed ita absolutè pronuntiavit hic Larvatus Author, ut quicumque Molinam non audierit, (illius Encomiastæ judiciô) sit *sicut Ethnicus & publicanus* Major esset sine dubio in omnes, Molinæ moderatio: quamvis circa Angelicum Doctorem vix sibi ipsi possit Molina conciliari: Nisi dixerimus Sanctum Doctorem Molinæ Magistrum (ut eum vocat aliquando) fuisse: quoties ipsum suas in partes potuit adducere talis discipulus: quoties verò prospexit ipsum sibi fore contrarium; ab ipso recessit: quô vel solo semper erit de veritate suspectus, & sæpius de falsitate convictus.

Et quia res est de facto, pro quo probando, solis opus est oculis: legat qui voluerit commentaria, quæ in D. Thomam edidit Molina: in quibus raro sese obtulit occasio contradicendi Angelico Doctori, in quâ exerto ore, ipsi palam non restiterit: sicque modò intùs, nunc foris: hic pro Sancto Doctore; illic contra eumdem semper fuerit. Vis exemplum? Loquens Molina de D. Thoma in Epist. dedic. suæ concordiæ ait: *Congessit (scilicet D. Thomas) in Theologicam Summam, illud pulcherrimum Dominicanæ Familiæ, atque adeò Reip. Christianæ Astrum; quidquid studio quæsitum, ingenio elaboratum, industriâ perfectum, Religione Sanctum, bono Mortalium usui profuturum, &c.*

At ubi primùm se sensit Molina difficultate aliquâ innodatum, non solvit, sed secat nodum, sicque lectoribus facit satis. *Licet*, inquit, *Divi Thomæ Authoritas gravissima sit; propter eam tamen recedendum non est à nostra sententia.* Ita ipse loquutus est Molina 1. p. q. 23. ar. 4. & 5. dist. 1. memb. 12.

Ut igitur ad Larvatum hunc Theopistum redeamus, ipsique os obstruatur circa hoc magnificum, quod de doctrina Molinæ jactat Encomium, non sine gravi tot aliorum contemptu, & in apertum veritatis præjudicium: breviter dico, persuaderi non posse, hanc esse aut haberi posse pro doctrina Ecclesiæ, quæ in aliquo fuerit, Concilio Tridentino, Doctori Angelico & S. Præsuli Augustino contraria. At talis est Molinæ doctrina. Ergo, &c. Major est indubitata: Minor verò declaratur, idque in negotio (ni fallor) graviore; quocumque iota vel apice, quem non licet auferre ex doctrina Molinæ, ut Eupistinus pag. 157. sui libelli, cui Titulus est *Authoritas*, sibi blanditur. Nec est hîc sermo de commentis, quæ in dies nobis obtrudunt ad placitum & sub proprio camino (ut aiunt) fabricatis: adest liber, non desunt oculi: & missis sexaginta ejusdem Molinæ propositionibus (quas semper libenti animo dissimulabimus, quandiu eas ab Ecclesia tolerari cernemus) hanc appendamus quam habet de Bono perseverantiæ propositionem suis in D. Thomam commentariis q. 23. ar. 4. & 5.

disp. 1. memb. vlt. edit. in quarto Ulysip. pag. 490. ubi Gratiam perseverantiæ omninò subjicit voluntati creatæ, nec eam distinguit à Gratia habituali & sufficienti, quam dicit omnibus dari. Et *ita (inquit Molina) adultus cum eis sit cooperaturus, ut in potestate ipsius sit quod perseveret.* Singula expendamus & à Tridentino incipiamus.

At, certissimum est, Tridentinum de just. cap. 13. longè aliter sentire de dono perseverantiæ, quàm præfata ferant verba P. Molinæ; nam ait perseverantiam esse Dei donum speciale, *quô Deus in nobis velle & perficere operatur, solus potens, eum qui stat statuere, ut perseveranter stet.* Quod maximè differt à Gratia habituali & sufficienti, tùm à quocumque alio communis Gratiæ Auxilio. *Lege Canonem 22.*

3. Quantùm verò ad Doctorem Angelicum: etiam dicimus per Gratiam habitualem, quam aliquando amittimus: & per sufficientem, cui resistimus; exprimi non posse Gratiam perseverantiæ, quam diximus esse donum Dei speciale nécessarium, ut eô potentiæ firmentur in bono, quia actuum quidem habemus Dominium, non verô facultatem. Ita D. Thomas 3. contra Gent. cap. 155. *Licet*, inquit, *homo per voluntatem & liberum arbitrium sit Dominus sui actus, non tamen est Dominus suarum potentiarum naturalium: & ideò quamvis liber sit ad volendum, vel ad non volendum aliquid, non tamen volendo facere potest, quod voluntas in eo quod vult, ad id quod vult & eligit, immobiliter se habeat; hoc autem requiritur ad perseverantiam, ut scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat: igitur perseverantia non est in potestate liberi arbitrii: oportet ergo adesse homini Auxilium Divinæ Gratiæ ad hoc ut perseveret.* Hæc D. Thomas.

Prætereà certum est Magnum hoc & speciale perseverantiæ donum *quô certissimè liberantur, quicumque liberantur* apud Divum Augustinum differre in immensum à præfata Molinæ doctrina. Nam per illud, non solùm in facilibus fit quispiam salvus ac perseverans usque in finem, sed etiam in arduis & terribilibus: *ubi* (inquit S. Doctor, lib. de Bono persev. cap. 2. tom. 7.) *hoc agit, qui persequitur, ne perseveretur.* Quam nemo habet (inquit ibid. cap. 6.) *nisi qui perseverat usque in finem: quamque multi habere possunt: nullus amittere. Quomodo enim amitti potest, per quod fit, ut non amittatur, etiam quod potest amitti:* Atqui id quod amitti potest, & sæpius reipsâ amittitur, sine dubio distinguitur ab eo quod amitti non potest: Ergo Gratia habitualis vel etiam sufficiens, pro quocumque accipiatur, & donum perseverantiæ ab invicem distinguntur juxta Augustinum & tamen ubique (inquiunt) Augustinus est in ore Molinæ.

Deinde Bellarmino, jam alibi laudato, teste: doctrina Divi Augustini de Gratia, est doctrina Ecclesiæ, nec quisquam potest (inquit) in dubium istud revocare, citra manifestum contemptum plusquam viginti Summorum Pontificum: qui ita sanxerunt de hoc inclyto Doctore, quem de tenebris Gentium, ut suæ esset lumen Ecclesiæ, vocavit Ille, qui solus facere potest de tenebris lucem splendescere: & hęc est secura & antiquissima Ecclesię Doctrina. Nova verò est Molinæ, quam habet hac in parte, sententia: & prorsùs alia ab ea, quam de Gratia, tota in Sancto Præsule veneratur Ecclesia. Unde dixit Molina (quem sui postmodùm in aliquibus editionibus meritò correxerunt) q. 23. ar. 4. dist. 1. memb. ult. *Augustinus sub*

sub quadam caligine constitutus, non advertit veram istam conciliandi rationem, &c. Ergo secundum Augustinum proindeque Ecclesiæ sensum, præter gratias generales omnibus communes, ut volunt Adversarii, necessaria est specialis Gratia perseverantiæ, ab illis distincta: de qua Trident. sess. 6. de Justif. c. 13. can. 22. ait. *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia posse perseverare: vel cum eo non posse: Anathema sit.*

4. De eadem speciali perseverantiæ Gratia, intelligenda sunt hæc verba Sancti Antistitis de Corrept. & Gra. c. 12. *Fortissimo quippe dimisit (scilicet Adamo) atque permisit facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent: & hoc deserere invictissimè nollent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divinâ Gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, &c. Et ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Et hæc est Gratia singularis, quam nemo promereri possit, & pro qua Sancti ipsi fuerunt soliciti: & teste S. Præsule l. de bono perseverantiæ cap. 21. *Inter initium fidei, & perfectionem perseverantiæ, media sunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipsi etiam nobis donari fide impetrante, sentimus.*

Non ergo cum Molina, confundenda seu permiscenda sunt media, scilicet Gratia sufficiens & habitualis, cum illa quæ necessaria est nobis pro principio & fine operis, pro quibus specialis necessaria est nobis Gratia. Quod si media hujusmodi scilicet gratię habituales quibus cooperari, quarumque possumus augmentum promereri, sunt nobis à Deo (alioquin Gratia jam non est gratia? longè potiori jure, gratia perseverantiæ, quæ cum sub merito cadere non possit, superest ut eam precibus à Deo obtinere studeamus, humiliati sub omnipotenti manu Dei, qui nisi operetur in nobis velle, & præbeat vires: profectò nec incipere, nec proficere, & multò minus perficere seu perseverare poterimus. Hoc ipsum fatetur Suarez in prolog. lib. 3. de Gra. effic.

Restat ergo (inquit S. Antistes ibid. cap. 17.) in his bonis usque in finem perseverantia, quæ frustra quotidie à Domino poscitur si non eam Dominus, per gratiam suam, in illo, cujus orationem exaudit, operatur.

Nec oraret Ecclesia (inquit S. Præsul) *ut perseveraret in fide Christi, &c. Nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus, nisi propria voluntate: non tamen teneamus, nisi ipse in nobis operetur & velle.* Ita D. August. ibid. cap. 23. Orat autem Ecclesia, ut perseveret teste D. Cypriano, dum ait: Adveniat Regnum tuum. Quid jam hæc prædicta mi Theopiste? nonne jam nobiscum fateberis hanc esse veram Ecclesiæ doctrinam? plurimùm tamen diversam ab ea quam nobis obtrudere satagis, ex Molinæ placitis.



CAPUT TERTIUM.

Accedit alius author Larvatus, falso vocabulo Germanus Philalethes Eupistinus, cujus consilium hîc primò aperitur, & gravis calumnia evidenter refellitur.

Nu. 1. VIx primo intuitu discernere potui, quid hîc magis mirari deberem: aut inutilem tot Authorum multitudinem, quos tanto labore, in tam exiguo opere seu libello Duaci 1670. edito congessit Eupistinus: vel solitum in se, suosque plausum: quo, nimioque sui amore percitus, omnia in suum favorem judicavit (si tamen ita esse, ut scripsit, verè in conscientia judicavit) quod nemo facile sibi persuadeat, cognitâ rei veritate. Unde in toto hoc opere, non nisi victorias loquutus est Eupistinus: nec quidquam protulit, si fidem ipsi adhibeamus, nisi triumphos & palmas, quas super Prævium Dei in omnes causas influxum, sive Prædeterminationem Physicam, hæc nova (quam Mediam vocant) tulit Scientia. Sed non admodùm diuturni fuerunt hujusmodi triumphi, citoque aruerunt hæ recentes palmæ, viridesque lauri alterô libro cui Titulus est; *Scientia-Media ad examen revocata per Germanum Philelethem Eupistinum. Duaci ex Typogra. Ioa. Patté* 1670.

Hujusmodi confutationi viam straverant, duo Theologiæ Professores, ac veri, Divi Thomæ Discipuli: qui ubi primùm apparuit prior liber Eupistini, hunc invictè confutarunt. Primus fuit P. Fasseau in suo libro Duaci edito typis Belleri, an. 1670. cui titulus est *Authoritas Germani, &c. Exauthorata:* qui indefesso labore eosdem conquisivit & adduxit Authores, quorum sæpè tantùm meminerat Eupistinus, relictis eorum testimoniis, quibus integrè relatis ac sincerè (ut par erat) expositis, totum dirimebatur negotium: ita ut non videretur militasse Eupistinus, nisi ad tuendum, id quod susceperat expugnandum. Non minus evidenter quàm Religiosè ejusdem Eupistini elationem repressit intimus ipsius Eupistini Amicus, in suo libro, cui hunc præfixit Titulum: Vanitas Triumphorum, quos ab authoritate adversus Prædeterminationes Physicas pro Scientia-Media erigere nititur Germanus Philalethes Eupistinus, ex typog. Joa. Patté ann. 1670. Porrò in hoc altero Propugnatore Divi Thomæ, haud facilè dixerim, quid magis mirari debeam: aut morum hujus Authoris comitatem & in Eupistinum Urbanitatem; aut ingenii perspicuitatem egregiè decertantem cum soliditate doctrinæ.

2. Igitur jam occupatus ab his duobus D. Thomæ Propugnatoribus plura quæ paraveram ad confutandum hunc larvatum Authorem, non gravatè relinquam.

Et quia vix fieri potest, ut præfatorum Authorum apologiæ & responsiones editæ in procul distante Belgii Regione; sint in eorum manibus, in quibus reperitur, Suorum curâ hic prior Eupistini Libellus: talis hîc eidem,

tamque brevis fiet reſponſio, ut falſitas doctrinæ hujus Aggreſſoris, & veritas Thomiſticæ, ſufficienter, alia tamen methodo innoteſcant. Quod pauciſſimis conficiemus, ubi primùm Eupiſtini conſilium in hoc iterato adverſum nos certamine ſcrutati fuerimus; idque in re, quam meritò Sapientiorum judiciô, prorsùs definitam & ſopitam æſtimare debebamus.

Apertius loquar. Paucis hinc ab annis tot in lucem prodierunt, ſive Tractatus Theologici, ſive curſus Philoſophię tùm à Salmanticenſibus, tum ex aliis Religioſiſſimæ hujus familiæ Alumnis : nec non ex Noſtris Gonero, Pini, Goudin, &c. iteratis editionibus, Lugduni, Pariſiis, Burdigalę, &c. Quibuſcum utpote minimus ac omnium noviſſimus publicæ lucis feceram exiguum volumen tres complectens libros ſub hac inſcriptione *nova Caſſyopeæ ſtella, antiquum Prædeterminationis negotium illuſtrans,* qui libri viſi ſunt Romæ (quò Authographum tranſmiſeram) itidem in Hiſpania, Gallia, in Belgio, ubi fuerunt & approbati: (quique in Eupiſtini manibus illic degentis reperti ſunt) quibus evidenter neceſſitas præfatæ Prædeterminationis Phyſicæ aperitur: manifeſto etiam quinque Univerſitatum judicio.

3. Quid ergo opus facto? Aut quid conſilii potuit capere Eupiſtinus, ſtante, quam tunc habebat, contradicendi voluntate?

Prudenter diſſimulavit Eupiſtinus in ſuo priori libro (ſed longe mutatus à ſeipſo in altero, ut ſub finem dicemus) ſe unquam hac de re quidquam vidiſſe: nouum certamen inſtaurat multo calore, hac unâ, quæ illi ſupereſſe poterat, ſolertiâ: nempe ſola arte Probabilitatis Authenticæ: ſecum fortaſsè ſic ratiocinatus.

Cum noſtra, hac in parte, doctrina, ſit his libris apud omnes cordatos judices penitùs eradicata, tot argumentis demonſtrativis. Hoc unum videtur opportunum Probabilitatis remedium: Nam ſi ad illam apud ſuos Authores unus ſufficiat Author (ut multi ex Modernis aſſerunt, quos ſubinde vindices habebo atque Patronos) quis temeritati, vel falſitatis ſuſpicioni locus, ubi tot adducam Authores? Non ſit igitur noſtra hęc doctrina (quâ Scientiam Mediam propugnamus) demonſtrativa. Erit ſaltem probabilis ac proinde ſecura. Quid plura? Advocandi ſunt igitur undequaque Authores, nec ex integro exſcribenda ſunt illorum teſtimonia: tùm quia ſæpè dirimitur in fine (ut legenti patebit) id quod pro nobis ſpecioſum videbatur in principio; tùm quia ex his integris nimium intumeſceret volumen noſtrum: ſatius eſt igitur, ut modicum quid ex uno quoque depromamus, & id potiſſimùm quod nobis favere poſſit, vel ſaltem videatur: imò ſufficiet aliquandò ſolum Authoris alicujus nominis denuntiare vocabulum: nam hoc pluribus ſufficit abſque ulla majori indagine: hocque pacto exiguus citò exibit libellus, qui parvo pretio comparetur, minoribuſque expenſis in omnium ferè manibus, nullo fermè negotio reperiatur: & re ipsâ reperitur in Gallia, Hiſpania, Germania, eôque repleta eſt Flandria: & ut hodie accepi, tam audacter & ſecurè legitur Lingonis, quàm ſi nulla ei facta fuiſſet reſponſio, illiuſque confutatio nulla extaret. Quâ in re Adverſarii videntur mihi bonos Mercatores æmulari, qui nullum, quantumvis exiguum reſpuunt lucrum; & maximè Eupiſtinus, qui difficillimum, ne dicam impoſſibile, judicavit, quin ex fama ſemel

sparsa, quidpiam remaneat: & hæc aura quamvis admodum tenuis, Eupistino visa est, posse suæ respirationi sufficere. Et ne quis me existimet agere conjecturis, legat qui voluerit duos citatos Divi Thomæ Propugnatores, immò & ipsum Eupistinum, qui ita suum in suo priori libro consilium dissimulare nequivit, quin ab ipsa præfatione istud conceptis verbis expresserit, asserens parvum esse de industria confectum librum, ut faciliùs ac citiùs in omnium esset manibus: *grandiores enim tomi* (inquit Eupistinus) *non sunt facilè in promptu; quare visum est opera pretium, idem paucis declarare exiguo opere.*

4. Huic ergo, ut patet, nihil imponimus, nec perperam ominati sumus circa ejus consilium & intentionem. Et quia tam fideliter terit Eupistinus vestigia eorum, qui posthumum Suaresii Tomum typis mandari curarunt in lacessenda Thomistarum doctrina; hîc obiter vulnus nobis inflictum aperiam, ut eidem citò remedium adhibeam. Sic ergo nostram labefactare doctrinam conantur Antithomistæ, Suaresii opere, tomo ultimo de efficacia gratiæ, pag. 368. ubi aiunt, *doctrinam de prædeterminatione physica .... sufficientem gratiam evertere, libertatisque usum è medio tollere, ac proinde hæreticis hujus temporis favere; ideóque dignam esse, ut per Ecclesiæ censuram damnetur, vel potius jam damnata declaretur. Nam licet non sub ea voce, sub aliis æquivalentibus jam damnata est. Vt quod gratia necessitatem inducat: necessitas enim & prædeterminatio; unum & idem sunt, tanquam definitio & definitum Item quod gratia tollat libertatem: nam proinde est, quòd tollat indifferentiam: & quòd gratia præveniens ita nos moveat, ut ei non possit resisti: nam hoc ipsum faceret illa gratia efficax tali modo.* Hactenùs Suarius; qua in narratione, ne una quidem est propositio quæ non sit falsissima, ut satis patet ex dictis: nam gratiæ efficaci *tali modô, id est, Thomisticô accepta*, semper potest resisti, ut passim diximus. Quod potest confirmari ex Brevi Alexandri VII. quô doctrinam de gratia per se efficaci in sensu Thomistarum, *sanam & orthodoxam* declaravit Romæ 20. Julii 1665. Cum enim quidam articuli doctrinam gratiæ per se efficacis (in sensu quo Thomistæ eam semper docuêre) continentes, ad eum suo nomine & Episcoporum Galliæ transmisisset illustrissimus ac doctissimus Gilbertus de Choyseul Convenarum Episcopus: huic ac cæteris Gallicanæ Ecclesiæ Episcopis gratulatus est Summus Pontifex, quòd eorum exemplô, operâ ac consiliô, plurimi ad sanam doctrinam fuissent reducti. Verba Summi Pontificis sunt: *Venerabiles Fratres..... illud non mediocri gaudio animum nostrum perfudit, quòd litteris ex Gallia receptis, accepimus, illorum in dies crescere numerum qui rectâ sapiunt.....* Verùm perpendat Lector quinque Articulos à Summo Pontifice approbatos, in quibus compendiosè tota D. Thomæ doctrina de gratia per se efficaci includitur; præter quam, ut supra dictum est, gratiam admittimus sufficientem ritè intellectam.

Secundò, falsum esse etiam constat id quod ex Suare imponunt Thomistis, scilicet, *necessitatem & prædeterminationem esse unum & idem.* Falsum, inquam, non solùm totiùs ferè Orbis Christiani judiciô, sicut & celeberrimarum Universitatum supra laudatarum suffragiô; sed etiam plusquam viginti Doctiorum Patrum totius Societatis Jesu testimoniô. Quibus & meritò adjungere possum, pro Thomistarum Defensione, magnum ac

ſubtilem ejuſdem Societatis Amicum & Defenſorem Dominum Caramuëlem Epiſcopum, in ſua Theologia fundamentali, fundamento 1. ubi ait *Thomiſtarum doctrinam eſſe probabiliſſimam, & ut talem ſæpiſſimè fuiſſe ab Eccleſia approbatam.* Et hujus viri teſtimonium exiſtimavi Adverſariis noſtris eò magis acceptum iri, quò quinque Profeſſores Theologiæ Collegii Cordubenſis Societatis Jeſu, in Cenſura Criſis Joa. de Cardena tanto in pretio & æſtimatione Caramuëlem habuêre, 1. Auguſti 1667. ut *propè temerarium dixerint, tanto Doctori tamque ingenioſo reſpondere.* Audi ergo, & devotè, mi Eupiſtine, quid dicat Caramuël de hac (quam propugnamus) doctrina D. Thomæ, quam labefactare ac delere ſatagis: *Per vos* (id eſt per Jeſuitas) *cauſa ſecunda poteſt determinare Primam, illæsâ libertate Primæ: Ergo Prima poterit determinare ſecundam, illæsâ libertate ſecundæ. Patres ergo Ieſuitæ* (inquit Caramuël) *cum volunt ſuam opinionem ſuadere, ſententiam Thomiſtarum perſuadent, & ſeipſos impugnant: ideò enim negant Deum cauſas liberas determinare, quòd determinatio libertati opponatur.* Quid ad hæc, mi Eupiſtine?

Hinc judicet Lector eruditus, quæ ſit fides adhibenda Adverſariis, cum agitur de vera D. Thomæ & Thomiſtarum doctrina, quam vel non legunt, vel eam falſificatione corrumpunt, teſte præfatô Suareſii teſtimoniô; in quo vix unam vel ſyllabam reperies à veritate non abhorrentem.

Quâ verò conſcientiâ id efficere poſſint, ipſi viderint. Cæterùm, totâ quâ potuimus ſinceritate, veritatem aperuimus, ut deceptis ſubveniremus ex charitate, quæ harum eſt lucubrationum noſtrarum finis, & ultimus hujus Apologiæ ſcopus.



CAPVT QVARTVM.

In quo inquiritur, quid ulterius in Thomiſtas molitus ſit Eupiſtinus: & triplex dolus Eupiſtini aperitur.

PRo minimo nobis eſt, quòd nomen proprium occultaverit Eupiſtinus, commentitiumque aſſumpſerit, quod totum videtur ad deceptionis fraudem excogitatum: ſi enim cum rebus (ut æquum eſt) conferatur, quô unô tendit nominum impoſitio: quid commune poſſunt habere ſpecioſa hæc *candoris, amicitiæ, & ſinceritatis ſeu fidei integræ* Epitheta, quæ præ ſe fert Germanus Philalethes Eupiſtinus, cum perpetua relatorum ab ipſo teſtimoniorum falſificatione, truncatione, unius pro alio ſubſtitutione, &c. ita ut vix unum, & ne vix quidem, ex omnibus quæ ipſe retulit (quod vel in ſpeciem alicujus ſit ponderis) quod non ſit corruptum, vel aliquô aliô vitiô depravatum, ut teſtis & judex eſſe poterit, quiſquis Patrem Faſſeau, à pag. 22. uſque ad 488. legere voluerit.

Itaque nihil tibi metuas, Amice Lector, ex iis quæ primâ fronte tibi occurrent; nec pluris facias audaciam illàm, quâ videtur ſe ſuper cæteros omnes extuliſſe Eupiſtinus, quaſi unus eſſet inter mortales, qui ſuper Senes intellexiſſet. Ex quo Univerſitatibus doctiſſimis, ipſiſque Cenſoribus Ro-

manis ac celebrioribus Societatis Jesu Scriptoribus, Pererio, Henriquez, Bellarmino contradicere non erubescat, nec aliud in ipsis vitium carpat, quàm quod hac in parte cum Thomistis conveniant. Si quem verò aptum judicet, ut vel saltem apparenter pro se possit obtrudere, quamvis valdè alienum à veritate, illum continuò miris effert laudibus & encomiis.

Verùm, quicumque in præfatos Authores ab Eupistino laudatos, vel semel inciderit, ne quidem exceptis doctioribus & antiquioribus Societatis, qui ante exortam de Prædeterminatione controversiam scripsère; mirabitur quâ fronte ausus sit Eupistinus asserere *unô consensu omnes Patres Societatis Prædeterminationem repudiare*. Ex qua Religiosa Societate, ne quidem exceptô Beatissimô ejus Fundatore Ignatio de Loyola, plures sint supra viginti, (quos referam) ex Primis ac præstantioribus dictæ Societatis Jesu; à Thomistarum partibus omninò hac in parte stantes. Vel potiùs mirari desinet quicumque legerit Eupistinum referentem pro se Typhanium, pag. 128. immò & ipsum Durandum, quem dicit Eupistinus, *sui ævi esse D. Thomæ Interpretem optimum*; in rei veritate Impugnatorem perpetuum, omnium mortalium judiciô. Ex quo in antecessum judicabit prudens Lector, utrùm viro, qui tam fidenter & apertè abutitur Lectorum credulitate; aliqua sit deinceps fides adhibenda, in cæteris quæ postmodum quocumque prætextu dicere possit.

2. En igitur quod dixit Bellarminus pag. 17. citatus (quo os omnibus Divi Thomæ Adversariis hac in parte obstruitur;) ubi exprimens certos agendi modos, quibus juxta D. Thomam, Deus Opt. consuevit creatam movere voluntatem, alium indicens modum verè Calvinisticum, (nobis tamen falsò ab Adversariis affictum) ait Bellarminus: *Proinde non putamus Deum uti de facto illo primo modo, neque absolutè, neque ex mente Divi Thomæ*. Quibus verbis ipsemet addit: *Non enim intelleximus determinationem propriè dictam, quæ tollit indifferentiam*. At quis unquam, nisi Hæreticus, illam intellexerit?

Sed his relictis, utpotè sufficientissimè contra Fuliensem confutatis, primo aspectu hîc tria se se offerunt, quæ dissimulare nusquam debeam. Primum est, quod nobis Eupistinus denuntiarit, Antiquam de Auxiliis historiam ab extraneis qui interfuerant conscriptam à Summo Pontifice prohibitam. Quâ tamen prohibitione non obstante, sæpiùs ad illam recurrit, ut probare possit id, quod in suo contra nos libro, absque ullo fundamento & ratione protulit. Sed quis exitus, aut quid emolumenti ex hoc ad hanc historiam toties; etiam per nefas, factô recursu capere potuit Eupistinus?

Certè nullum, nisi apertum causæ, quam adversum nos propugnandam susceperat, exitium. Cum enim nihil haberet majoris ponderis, quod nobis objicere posset, quàm quod ex hac historia deprompserat; cui jam, ut fatetur ipse Eupistinus, *nulla sit fides adhibenda*; seu ut ipsissimis utar verbis ipsius, pag. 197. *non major quàm Æsopi fabulis*; vanus admodum judicabitur Eupistini triumphus, cum nullo sit firmiore fundamento innixus ipsomet Judice, quàm fabularum vanitate.

Secundum, quod intolerabilius sine dubio videbitur; nimirum ab Eupistino nihil intentatum, quominùs omnes Thomistæ pro hæreticis habe-

rentur. Siquidem pag. 7. famosi sui libelli post diversos loquendi modos (quibus nunquam utimur) quos tamen nobis ex Bellarmino falsificato affingit; sic pro sua in nos germana nominis sui sinceritate concludit, *totam controversiam inter nos & Hereticos, esse de solo nomine; utrùm scilicet homo dicendus sit liberi arbitrii, nec ne?*

3. At de re non constat, mi Eupistine, immò nec de nomine, sed de gravissima injuria à te nobis immeritissimè illatâ, non obstante Summi Pontificis prohibitione, quâ fateris pag. 158. ita factam à Paulo V. uni parti licentiam, suam defendendi opinionem, ut eadem strictissimè cautum sit, *etiam sub pœna excommunicationis majoris, ne ullus audeat censurare contrariam.* Ex quo apparet quæ sit Eupistini pro veritate sinceritas, & in Summum Pontificem reverentia: quod interim dissimulare non debemus, ne silentium nostrum videatur transire in consensum, aut minus benè audiant qui falsa detegunt, quàm qui concinnant & spargunt. Quæ enim major hallucinatio aut injustitia, quàm omnibus affingere Thomistis, quæ hactenùs, ne quidem in eorum uno, totâ quâ pollent Adversarii industriâ, à centum circiter annis (quibus nullum non moverunt lapidem, ut constat ex tot libris & thesibus, quibus orbem repleverunt) potuerunt reperire? Nec Deo aspirante unquam reperient, cum nihil magis ambiant Thomistæ, quàm D. Thomæ in omnibus ac per omnia adhærere.

Tertiò. Hic quoque alius aperiendus est Eupistini dolus, quô non solùm extraneos molitus est contra nos suscitare; sed etiam inter fratres ipsos discordiam disseminare. Aspice fraudem. Siquidem *ex Leonardi*, inquit Eupistinus pag. 86.) *ut Patres Dominicani in urbe docent, Deus præmovet causam naturalem etiam liberam, sed non ad malum; quia Deus non est causa mali: & hæc doctrina* (inquit Eupistinus) *est D. Thomæ 1. 2. q. 112. a. 3. ad 3.* Ergo teste Eupistino, habent quod intendunt, & in tuto sunt Thomistæ: nam eo Judice, Deus præmovet causam liberam, idque juxta mentem D. Thomæ, nec subinde ejus temerat aut lædit libertatem: nec est causa peccati, prout à tot annis falsò imponunt Thomistis Adversarii pretextu Prædeterminationis.

4. Sed ubi fraus Eupistini? In hoc quod Thomistas à Thomistis separare conatus sit: quasi verò aliud & aliud sentirent Dominicani Orbis & Urbis.

Et tamen tantus est Adversariorum æstus in hac impugnanda D. Thomæ doctrina, ut ab illis vix ullus liber exierit hac de re, aut ullibi ab ipsis aliqua facta sit thesis à centum circiter annis, in quâ non fuerit positio specialis, quâ Prædeterminatio non sit tetris ab ipsis expuncta notis tanquam hæretica. Quid enim atrocius dici potest quàm quod refert Dominus Gerardus Professor Pictaviensis, qui protestatur se à suo Præceptore, scriptô accepisse: *Hæc est doctrina Alvaris impia & horribilis:* quæ erat ipsissima Divi Thomæ doctrina. Dum præfatum Professorem nomino, virum pari doctrinæ ac pietatis dote præditum intelligo, de tota Thomistarum schola, ipsoque Angelico Doctore meritissimum, sinceram cujus doctrinam à triginta annis disseminare ac tueri non destitit, cum maximo Auditorum fructu, nec minore juventutis ædificatione. Sed quæso ne tam citò Eupistinum deseramus, ut in sequentibus judicet Lector, quam vani sint

nuperi Philalethis triumphi, in suo ultimo opere pro scientia media excogitato contra Prædeterminationem, quâ stante inconcussa, vel ex sola essentiali subordinatione & dependentia creaturarum à primo Agente; non minus evanescit Scientia Media, quàm crepusculum accedente meridianâ luce. Et quia hactenus nullum ex Scriptura, Conciliis aut ratione argumentum contra Prædeterminationem, quod vel apparentem haberet difficultatis speciem adducere potuerunt, quod centies non fuerit solutum: ad solam Authoritatem humanam, se se recipere coacti sunt; quæ cum ex omnibus argumentorum speciebus minoris sit ponderis, nullius sine dubio judicabitur, si semel appareat tota hæc ab Eupistino collecta Authorum multitudo, non nisi falsis suppositionibus delusa. Quare sit



CAPVT QUINTVM.

Quô totus confutatur Eupistini libellus, & inaudita hactenus Adversariorum solertia aperitur.

Nu. 1. Solertiam dixi, quam fortè alius à me, dolum ac fraudem dixisset: sed cum hujusmodi artes, apud omnes ingenuos habeantur illicitæ & intolerabiles; sicut nemini verè possunt favere, ita & nulli nocere valent: & ideò parùm interest, quo vocentur nomine, dummodò non lateant: nam has aperuisse & confutasse, perinde est. Obfirmato igitur apud Adversarios decreto, tollendi è medio Prædeterminationem Physicam (quâ sublatâ ruit tota doctrina de Gratia à S. Præsule Augustino, & ab Angelico Doctore propugnata, ut evidenter ostendi in eorum concordia) & ejus locò substituendi & stabiliendi Scientiam Mediam: nihil intentatum apud ipsos fuit, quô hanc à Scholis eliminare possent ac omninò exulare cogerent.

Scientiam verò Mediam, mirum in modum extollunt, faciuntque commendatam: utpotè omninò necessariam, tum pro componendis cum Deo æternæ vitæ negotiis, tùm etiam pro vitæ hujus utilitate, quam idcircò esse dicunt *Manuductricem ad honores & dignitates*, teste solemni oratione, hac de re, facta anno 1665. in Aula Collegii Marchianensis. Quare jam non miror, si quis hujusmodi illecebris ad Scientiam-Mediam alliciatur. Immò hoc ipsum existimo admiratione dignissimum, quî fieri potuerit, ut non omnes in sui sequelam & obsequium, tam copiosa remuneratione locupletatum, rapuerit ut primùm apparuit. Et tùm maximè, quod doctrina huic opposita de Prædeterminatione, nihil nisi humilitatem prædicet, sui ipsius diffidentiam suadeat & necessitatem ac studium continuò recurrendi ad Deum, sine quo nihil omninò possumus, aperiat; à quo omnis nostra est sufficientia; ut sic humiliati sub omnipotenti manu Dei, nostram agnoscentes dependentiam, in timore ac tremore salutem nostram operemur. Hæc enim duo, tam immanè opposita, sine dubio, diversimodè admodùm corruptionis humanæ gustum afficiunt.

Ex

Ex quo rursùm mirari subit, quanta sit vis veritatis pro Præmotione Physica, quæ tanto studio totque artibus agitata, firmiores mittat radices, & à centum circiter annis contra tot Adversarios, sola mole sua steterit: & appensa in statera cum illa Scientia Media (pro qua videntur usurpare, quæ dixit Apostolus de pietate: 1. Tim. 4. v. 8. *Quæ ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ* subsistat tamen plurimùmque Scientiæ huic Mediæ prævaleat, cujus in dies fiunt innumeri desertores, qui non nisi delusi & specie falsa decepti (ut de se fatetur Author Scientiæ Mediæ ad examen revocatæ) eam sequuti sunt, gemuntque tantùm temporis pro ejus defensione frustrà impendisse. Legatur P. Fasseau pag. 284.

2. Non igitur necesse est, ut hîc ampliùs Scientiæ hujus Mediæ auscultemus, vel fucatæ illius imaginis (qualem in suo priori libro repræsentabat Eupistinus) singulos ostendamus nævos, quibus totus scatet hic liber sanè intellectus. Nec itidem opus est ut omnes quas nobis imponit falsitates, in memoriam revocemus, dum pro se contra nos adduxit Authores Eupistinus, qui datâ operâ contra ipsum scripsisse videntur, v. g. Altisiodorensem, aliosque à pagina 157. ac deinceps à P. Fasseau sine fuco relatos. Dico igitur unô verbô.

Omnes Authores quos contra nos adduxit Eupistinus (præter Antithomistas, qui cum hac in re sint partes, nequeunt esse judices, sicuti nec testes legitimi) scripserunt contra Hæreticos, & quandoque contra Paganos, quibuscum nihil commune habuerunt unquam Thomistæ. Ergo ex tali libro Eupistini non nisi similibus referto, nihil potest inferri, vel in præjudicium Præmotionis physicæ, vel in gratiam Scientiæ Mediæ, quam non excogitavêre ipsius Authores, nisi ut ab Angelico Doctore possent recedere in explicanda Divinæ gratiæ efficacia. Ergo &c. Antecedens (in quo solo potest esse difficultas) probatur fusissimè à P. Fasseau per quadringentas & octoginta paginas, relatis summo labore Authoribus singulis ab ipso Eupistino laudatis. Quod magis confirmatur: Omnes illi Authores (exceptis præfatis ipso jure non audiendis) quos retulit Eupistinus; scripserunt vel contra Stoïcos existimantes ex concursu & connexione sydetum, fatalem in hominibus induci necessitatem: vel contra Simonem Magum & Priscilianistas, libertatem quoque denegantes: vel contra Calvinum & Lutherum somniantes extinctum esse omninò liberum hominis arbitrium per peccatum originale: vel alios, docentes libertatem creatam non esse incompossibilem cum naturali necessitate, præsuppositâ perfectâ objecti cognitione & judicii indifferentiâ, quibus fortasse aliquando visa est sola coactio libertati contraria. Nec ad hoc probandum necessarius est ullus prolixior discursus: nam extant libri, pro quibus solo opus est oculorum testimonio. At inter hos omnes Authores & Thomistas, nulla major est convenientia, quàm inter lucem & tenebras; ut fusissimè tribus libris demonstrativè ostendi contra Petrum à S. Joseph, quod Eupistinum non latuit, ut sub finem dicemus.

Nullum igitur ex ipsorum testimoniis potest adversum nos adduci argumentum, nisi aliquâ ex prædictis, suppositione falsâ fabricatum; quod subindè aspernari potiùs quàm in eo dissolvendo vel tantillùm immorari debeamus.

Ipsi ergo, nunc saltem, licet serò, judicent Adversarii, quantùm in nos profecerint, tot lucubrationibus, librisque contra nos per fas & nefas editis, veris & apertis aliquando, sed frequentiùs falsis nominibus, quibus omnibus non obstantibus stat Prædeterminatio Thomistica firmis argumentis stabilita, Scripturæ sacræ, Conciliorum & Sanctorum Patrum Authoritate & testimoniis confirmata. Quæ omnia desiderantur pro Scientia Media, & ut arbitramur, in ævum desiderabuntur, dummodò probè (ut par est) cognoscatur, ut facilè conjici potest ex tot Thomistis, qui illam confutarunt efficacibus argumentis, profundum hactenùs Adversariis silentium imponentibus; contra quam adhuc quidpiam dicendum superest, in eorum gratiam, quibus præfatorum deesset copia Authorum, si priùs propositam in titulo, Adversariorum in nos solertiam traduxerimus.

3. Quia existimarunt Adversarii se se forsitan solâ Authorum multitudine eos vincere posse, quos hactenùs ratione nequiverant superare; innumeros undequaque sibi comparare Authores moliti sunt, parum attendentes an pro aut contra se, in rei veritate, vel apparenter tantùm & in specie starent; quasi verò homines essent veluti grues, quæ adversus Aquilas, non nisi multitudine se se tueri valent: vel licitum foret, in rebus gravissimis & maximi ponderis (ut in præsentiarum) imitari id quod non nisi per jocum, fit in theatris, ubi unus & idem Tragœdus, mutatis tantummodò vestibus, aliam & aliam omninò diversam agit personam, solumque numerum auget Actorum.

Ludicrum hunc agendi modum sequi videntur Adversarii, ut suorum in nos Authorum multitudinem (in qua ipsis, & quidem una supererat spes victoriæ, saltem apud vulgum) augerent. Nam unum eumdemque virum, semel & iterum, & quandoque tertiò suffecerunt, propriâ tantummodò veste depositâ, alienâque etiam sine ulla dispensatione assumptâ, ut minùs aliis esset suspectus; sæpiùs verò & frequentiùs solô nomine mutato. Explicatur.

Toti Belgio notum est quandiù quantumque insudaverit P. Platel pro astruenda Scientia Media, & profliganda Præmotione physica. Sed quia ad id se imparem sensit, suisque non obstantibus curis, in uno Belgii angulo vidit plusquam viginti Doctores celeberrimos, non solùm receptui canentes, præfatamque scientiam deserentes; sed & integros Religiosorum Choros, scilicet totam Patrum Minimorum Religionem recenter in Defensorum Prædeterminationis consortium advolantes, ac subinde sibi à Scientia Media caventes; pro illius defensione novum certamen instauravit; & ut minus esset suspectus, nomen proprium occultavit, fictumque assumpsit, scilicet Germanum Philaletem Eupistinum, cujus ethymologiâ facilè unumquemque decepisset, si defuissent qui hujusmodi dolum aperuissent.

Idem omninò dicendum est de Patre Moya sub Amadæi Guimenii, quos ceu duos Authores diversos, mirabar mutuæ defensionis obsequia tantò ardore sibi exhibentes; sed obstupui apertâ fraude, præfatæ prorsùs simili, solâ in Amadæo umbrâ deprehensâ, homine vacuâ.

Ita quoque realis est quidem P. Floydus; umbra verò illius est ille Hermanus Loëmelius.

Si extra Urbem non volasset fama eorum quæ in Thomistas scripsit

P. Fabri, nullâ opus esset Apologiâ (quam parat alius ;) sed ut melius alibi, quàm Romæ audiret, vocatus est quoque *Ludovicus Carterius*.

Quid à prædictis, hac in arte, Theatris aptiore, quàm Aris, diversum possint habere *Andreas Blanchus*, alterô vocabulô, *Philalethus* & *Leonardus Sherlogus* sub larva *Pauli Leonardi*, judicabit prudens Lector.

4. Numerum suorum magis auxerunt sequentes Authores : nam aliquando reperies unum eumdemque virum tribus aut pluribus nominibus nuncupatum : v. g. alicubi reperies Patrem Martinon, qui vocatur alibi Morianes ; & tertiò cum opus est, in medium prodit sub larva *Morisani*.

Satis toti Galliæ notus est R. P. Annatus, sed pauci sunt qui noverint ipsum aliquando obtrusum sub veste *Eugenii Philadelphi* Romani.

Nullus est qui adversus Thomistas, immò & in ipsum Doctorem Angelicum unquam cecinerit classicum cum Petro de Alva & Astorga, sicut Theophilus Raynaudus; sed ut minus esset notus, seu ut omnium devitaret invidiam, se abdidit sub larva *Petri à Valle-clausa*, de quo dici potest quod scripsit D. Hilarius ad Const. August. *Cæteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem, nihil causæ; illi verò nullus fuit inimicitiarum finis : receptos enim in æternam requiem Patres lacessivit.*

Verùm, quia *Petrum à Valle-clausa* tam facili negotio manifestum fecit, larvamque detraxit Modernus ille, quem sola sinceritas Christiana impedivit, ne ficto etiam vocabulo diceretur *Paulus à Monte-claro*, ut omnibus ostenderet, quantùm fictus ille Petrus reprehensibilis esset, non solùm proprium Petrus, sed & illud secundò nomen fictè assumptum occultavit, ut sub alio, scilicet *de la Riviere* Augustiniano, appareret.

Alium ipsemet edidit librum non minus nobis injuriosum, *Authore Petro Paulo à Bellis*, fingens illum esse Dominicanum, qui à fide defecisset, falsò asserens doctrinam Bannesii habere affinitatem cum doctrina Calvini. Denique in alio idem vocatur *Leodegarius Quintinus*. Tempus me deficeret, si hunc agendi modum in Adversariis prosequi liceret sine fastidio Lectorum.

Esto de eo penes candidum Lectorem, judicium. Quantùm ad me spectat, non videretur mihi exercitus valdè terribilis aut metuendus in quo militum numerus non aliter augeretur. Neque ut arbitror benè omninò acceptus esset Regi Christianissimo Dux ille, qui in totius lustratione exercitus præfixum militum suæ cohortis, numerum non aliter exhiberet, quàm unum eumdemque virum quinquies obtrudendo.

5. Quid ergo ? Authorum multitudinem sive realium, sive fictorum in nos cogant Adversarii, numerum arenæ maris, si possunt, excedentem. Si ullus veritati pateat aditus, eaque (ut æquissimum est) semoveantur; quæ falsò nobis imponunt, vel à læsa libertate, vel à prætensa peccandi necessitate, vel aliquâ aliâ suppositione falsâ. Certus sum ne unum quidem superesse, cui non summè placeat præfata Divi Thomæ doctrina seu basis veræ Theologiæ; ipsique continuò vilescat Scientia Media eidem contraria, cujus jam alio agente, prætensus abivit in fumum triumphus.

Vel unum igitur nobis ostendant ex omnibus citatis Authoribus unde-

quaque tanto studio ac labore congregatis, qui ex falsa suppositione non sit loquutus aliquid impugnans contra Antiquiores prænominatos, quidpiam asserentes non minus contra fidem aut bonos mores, quàm contra expressam Divi Thomæ & omnium Thomistarum sententiam : vel sincerè fateantur se non minus destitutos esse authoritate, quàm ratione, in impugnanda D. Thomæ doctrina.

Quantùm autem ad Patrem Nicolaï, quem nobis objiciunt, legatur in suo Raynerio, verbô *Gratia*. Et sine dubio obstupescet Lector quî ausint Adversarii illum nobis opponere tanquam contrarium; qui solus ibidem sufficeret ad persuadendam doctrinam, quam suscepimus propugnandam.

Superest igitur ut quibusdam argumentis faciamus satis, quibus Adversarii incautis ludificantur. Unde sit



CAPUT SEXTUM.

Duo speciosa objiciuntur ac solvuntur Eupistini argumenta, ac solemne testimonium contra Scientiam Mediam habetur.

Nu. 1. PRimò objicit Eupistinus plures Tractatus doctrinæ Patris Molinæ approbatos fuisse à Magistris sacri Palatii Dominicanis, aliisque Doctoribus Ordinis Sancti Dominici, quamvis contrarios doctrinæ, quam hîc propugnamus, & faventes Scientiæ Mediæ.

Secundò asserit idem Eupistinus Universitatem Parisiensem adversari doctrinæ D. Thomæ; & è contra, maximè favere Molinæ in defensione Scientiæ Mediæ.

Verùm recrudescenti morbo remedium opponitur. Quantùm ad primum, qui me occupavit ipsius Eupistini Amicus : audiendus est, qualiter specioso huic argumento respondeat : *In hoc quidem* (inquit Eupistini Consentaneus, pag 189.) *commendare debuisset Eupistinus Thomistarum æquitatem, qui non ita proprio sensui adhærent, nec adeò suis opinionibus favent, ut aliis invideant, nec agrè permittant ut suis & Sancti Thomæ placitis contraria edantur, quandiù id tolerat & dissimulat Ecclesia. Vtinam* (inquit) *in omnibus Censoribus eadem esset æquitas.*

Ad 1. respondeo objectionem Eupistini falsam esse quoad utramque partem. Quod satis patet ex eodem Eupistini Amico, pag. 234. ubi inter plures articulos à Stephano Parisiensi Episcopo, de unanimi Magistrorum consensu inclytæ hujus Facultatis, anno 1226. damnatos, hunc quadragesimum nonum reperies : *Aliqua possunt casualiter evenire respectu Primæ Causæ; & falsum est omnia esse præordinata à Prima Causa, quia tunc evenirent ex necessitate.*

En (inquit Eupistini Amicus) *ipsissimam ipsius Eupistini, eorumque omnium, quorum partes suscepit propugnandas, consequentiam; quæ ex Dei præordinatione efficaci, libertatis interitum denuntiant.*

Sed quia his fortasse non eadem animi demissione, acquiescet Eupistinus,

hæc quæ ſequuntur adjiciam, in ipſius aliorumque ex ſuis gratiam. Et quidem, quantum ad primum. Si ab Angelici Doctoris Præmotionem recedit hæc Alma facultas: id tùm maximè, ut volunt Antithomiſtæ, prætextu libertatis conſervandæ.

Sique favet Molinæ, id potiſſimùm facit, (ut etiam jactant iidem) intuitu Scientiæ-Mediæ ab ipſo Molinâ (ſi ipſi fides adhibeatur) adinventa. Sed utrumque eſt falſum, & ab hac Univerſitate alienum: neque ab ullo melius, quàm ab ipſa diſcere poſſumus, Authentico ſuorum teſtimonio, idque proprio ore: & quidem.

1. Quantùm ad Primum, velim advertat lector hoc non eſſe factum in uno aliquo alicujus Provinciæ Angulo: aut in privata aliqua Dominicanorum Schola. Sed in præfata Facultate Pariſienſi; coram Nuntio Apoſtolico: conſidentibus ad minus viginti hujus Regni tum Archiepiſcopis, tùm Epiſcopis: hanc theſim ſuſtinuit 15. Februarii 1670 Pomponius du Harlay poſit. 5. *Poſterior verò (ſcilicet voluntas Dei conſequens) ad fines intentos à Deo, res omnes efficaciter perducit: nec tamen dum liberas ad agendum applicat, & phyſicè prædeterminat, earum officit libertati.* Quid clarius?

Alterius etiam ſuppoſitionis ac propoſitionis efficax ſuppeditabit argumentum Abraham de Raymond Præsbyter Toloſanus & Pariſienſis Bacchalaureus die 14. Octob. anni præcedentis, qui in Sorbona ſequentem theſim propugnavit: *Perantiqua*(inquit)*Scientia Media: eâ uſi ſunt Arriani ad comprobandum Chriſtum non eſſe filium Dei per naturam: ut videre eſt in Epiſtola Alexandri Epiſcopi Alexandrini ad alterum Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Hanc admiſere Maſſilienſes, ut ſuis erroribus inſerviret, ut teſtantur Sancti Patres Proſper Aquitanus, Hylarius Arelatenſis. Immò & Pelagiani admisêre, (teſte S. Auguſtino lib. de Prædeſt. S. S. cap. 18. Inſuper Maſſilienſes hanc Scientiam-Mediam, non ſolùm aliorum Catholicorum teſtimoniis nitebantur probare: ſed etiam ex ipſomet S. Auguſtino: ex eo videlicet quod dixerat in quæſtione contra Porphirium de tempore Chriſtianæ Religionis: cui quærimoniæ fecit ſatis, lib. de Prædeſt. S. S. cap. 9. S. Auguſtinus: qui Scientiam-Mediam non ſolùm quoad abuſum (ut fatetur Suarius) ſed etiam quoad ſubſtantiam re verâ reprobavit: & poſt ipſum* S. Th*omas.*

Abſit à me ut eos exiſtimem de aliqua hęreſi aut errore ſuſpectos, ex eo quòd aliquid ſimile hæretici malè ac perperam dixerint; quod Catholici in aliquo bono ſenſu ſaltem Probabiliter tuentur: non enim id ſentio, hac in parte præſertim, nec in ullo alio, de his qui nobis adverſantur, quos habeo ac quantùm in me eſt ab omnibus haberi volo ceu viros Religioſiſſimos ac doctiſſimos, & hoc dictum velim, contra quodcumque verbum, quod ex conſueta methodo arguendi inadvertenter obrepere poſſet contra deliberatam ac firmam quam ſemper habui voluntatem agendi etiam cum Adverſariis cum omni placida ac reverenti urbanitate: habitâ ratione ſolius doctrinæ.

Sed quia his non obſtantibus faciendum eſt ſatis arguentibus: vult (ut arbitror) Eupiſtinus, quidpiam recentius, illud verò habetur in eadem Alma Facultate; in qua ſequentem propoſitionem ſuſtinuit Franciſcus Cha-

baille Bacchalaureus Sorbonicus 6. Sept. 1675. pro Sorbonica posit. 1. *Vana itaque*, inquit, *est tollenda è Medio Scientia - Media à Sancto Augustino reprobata ad conciliandam cum Providentiæ certitudine rerum contingentiam, vel cum Gratia efficaci libertatem humanam prorsùs inutilis.* Et posit. 3. *Decreta Dei*, inquit, *non sunt indifferentia, nec expectantia consensum voluntatis creatæ, sed per se efficacia, nostrasque voluntates præmovent, non solùm Præmotione Morali, sed etiam Physicâ: nec tamen propterea libertatem potentialem lædunt; imò perficiunt, & actualem causant, &c.* Quid ad hæc chare mi Eupistine? Nos ad hanc Facultatem provocasti: at non à scamnis aut parietibus accipiendum est quid illa sentiat, sed ab his & similibus Facultatis doctrinam sustinentibus: à quibus sufficienter, quam nobis objicis, jactantia reprimitur: & quicumque sciunt nullum sacræ hujus Facultatis Candidatum audere suas theses typis mandare & eas sustinendas proponere, quin priùs visæ fuerint & approbatæ ab eo, qui à tota Facultate ad id specialiter deputatus est, quique in authenticum communis fidei argumentum his subscribere tenetur: neutrum ex præfatis Baccalaureis intuebitur tanquam privatum Doctorem sed tanquam *vocem Multitudinis* doctissimæ, quæ reperiatur in toto Orbe Christiano.

SECTIO UNICA.

Traditâ sufficienti ratione ob quam quisque debeat sibi cavere à Scientia-Media, donec ejus Defensores, illius rectum aliquem usum in veritate utilem ostenderint: demonstratur quorumdam pertinax pervicacia in lacessendis Thomistis, spretâ omni potestate tam sæculari, quàm Ecclesiasticâ.

Nu. 3. HIs ita extra omnem controversiam positis, in oculis Facultatis, ad cujus Tribunal ultimò provocabant Adversarii: certè non video cur Molina & Fonseca sic debeant inter se rixari, ut unus nolit cedere alteri; in inventione hujus thesauri, cujus inventor nihil prorsùs habet, unde sibi debeat adeò adulari; vel ut Religiosiùs Molina loquitur *in Domino gloriari*.

Quia sic comparatus sum à natura, hujusque sum indolis ut malim citra absolutam necessitatem, & boni communis jacturam inflicta nobis vulnera tegere; quàm illa refricare, & injurias etsi immeritissimè nobis illatas oblivione deleri potius, quàm eas in memoriam revocari nova confutatione: hic ulterius sermonem non habebimus, de famosis illis libellis (quorum Author hic in testem sine pudore ab Eupistino adducitur) quibus hi præfixi sunt tituli: *Calvinismus, Religio bestiarum: & de immunitate Cyriacorum.* Non atramento & calamo, sed stylo ferreo felle illito adversùm vivos & mortuos exaratis. Mihi enim sufficit talia tenebrarum opera fuisse tùm in Christi, tùm in Cæsaris, non semel, vel uno tantùm in loco, Tribunali condemnata: omnibusque Censuris Ecclesiæ ac fulminibus proscripta: nec non Supremorum Senatuum ultricibus flammis lictorum manibus adjudicata. Sed quia omnibus his non obstantibus, recens prodierunt in lucem præfati illi libelli famosi, nova editione, teste Gabrie-

le à S. Vincentio Carmelita lib. de remed. ignorantiæ pag. 488. penes eos sit, quorum operâ & arte, talia perpetrantur: quibus non jam D. Thomas aut illius doctrina læditur, sed eorum conscientia, pro qua, Christo obtemperantes illiusque mansuetudinis imitatores, Deum opt. deprecamur. Nihilominus recrudescenti Morbo necessarium judicatur idem opponere remedium: scilicet edictum Tolosanum quod latinè redditum, sic habet.

Senatus-Consultum Tolosanum 1. Sept. 1662. sic ait. Obtulit libellum supplicem Regiarum Causarum Generalis Cognitor, quo denuntiavit compertum sive editum fuisse librum inscriptum (de immunitate Cyriacorum à censura) oppletum continua diffamatione & calumnia adversus Ordinem FF. Prædicatorum, sordentem plerisque propositionibus impiis ac scandalosis, contra honorem Sanctæ Virginis, S. Thomæ Aquinatis, S. Catharinæ Senensis, eoque animo compactis, ut pessumdaretur debita eorum memoriæ veneratio, cultusque Sanctis Patribus exhibendus deperiret. Cumque,.....Nec possit nisi cum summa injuria ac dedecore prædicti Ordinis FF. Prædicatorum legentium oculis subjici liber præfatus; petebat Decreto Senatus prædictum librum igni tradendum manu carnificis tanquam impium, scandalosum & fartum variis propositionibus infamantibus..... Senatus Expostulationi Procuratoris Generalis annuens decrevit & decernit prædictum librum..... flammis absumendum operâ carnificis in foro du Salin. Executioni mandatum die quò suprà.

Brevitatis causâ hîc omitto aliud simile Edictum, scilicet Aquense 17. Julii 1662. quo Senatus jussit eumdem librum flammis absumi, operâ itidem carnificis: attamen prædictis; fulminibusque Ecclesiasticis Romæ auditis 20. Junii 1662. non obstantibus: anno 1669, falsò Cracoviæ, & in rei veritate Lugduni, ut satis apparet ex charactere: hoc opus tenebrarum (ne durius loquar) cum aliis libris fortè adhuc pejoribus integro volumine in fol. legendum objicitur, aperto Titulo sub nomine Theophili Raynaudi, depositâ larvâ *Petri à valle clausa.* Lectoribusque commendatur tanquam magni ponderis ac momenti. *Quod*, inquiunt, *malevoli, penitùs deletum volebant; & ultimum ingenii Theophilini supplementum: partus est quidem posthumus, sed novemdecim præcedentibus* (tomis) *hactenùs in lucem editis, quasi fratribus prælucens.... sine quo astra illa tanquam sole suo orbata, parùm aut nihil splendescerent*, ita jocantur ore illius, quem sic ludentem verbis in Præfatione inducunt. Vanæ huic jactantiæ hoc unum responderem, nisi responsione indignam hanc existimarem, *si lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt?*

4. Sed ex hoc uno conjice lector quid sentire debeas, cum tibi quidpiam occurrerit, ab Adversariis commendatum aut aliquibus Encomiis celebratum adversus Thomistas: simulque mecum mirare, an major esse possit omnium potestatum contemptus, aut magis indubitatum obfirmatæ voluntates, lacessendi insontes, testimonium; quam illud, quo librum sub Anathematis pœna omnibus Christianis interdictum, toties novis typis legendum obtrudunt ac disseminant, cum dedecore Religionis Christianæ & ludibrio hæreticorum; cui præter præfationem scandalosam reprehensione dignissimam ob apertum potestatis Ecclesiasticæ contemptum, finem imposuêre, hoc turpi Epigrammate.

Nitimur in vetitum semper: cupimusque negata.
Vxor Amatori sordet: Amica placet.
Deformis dum servatur, formosa videtur
Sic vetitus, pulcher creditur esse liber.

Et ne à vaga Probabilitate, ad quam dicunt unius Casuistæ authoritatem sufficere, videantur resipiscere, pag. 130. nu. 83. aiunt *Deinde adest authoritas non modo gravissimi Theologi Magistri Theophili Raynaudi verè pii & docti hominis, ut testantur volumina ab ipso edita, ideòque dignissimi, qui sua authoritate opinionem quamlibet Probabilitate inducat.* Deus bone! adducunt in testes Adversarii volumina viri pro quo divinam misericordiam exoramus, ex quibus tria, (quorum titulos supra retulimus) Anathemate percussa sunt ab Ecclesia, & unum flammis absumptum lictorum manibus in Supremis Tribunalibus tanquam *impium*, & *scandalosum*. ... & tamen iterum atque iterum typis mandatum, ne una quidem syllaba correcta vel emendata: quin imò summoperè commendatum. Et hinc judicet lector an justæ sint Thomistarum expostulationes: & quàm necessaria sit hęc Apologia; ne in communem perniciem transeat nostrum silentium.

Denique adhęrentes Probabilitatis laxissimæ defensori, *asserenti nullam esse in mundo potestatem damnandi opiniones probabiles*: totam provocat Ecclesiam exemplis vel periculosissimis, vel apertè falsis ex quibus hoc habeto pag. 135. n. 114. *Adhibeatur* (inquit) *eadem censura opinioni recenter inventa, qua asserit nullum dari elementum summè leve, sed omne, etiam aëreum & igneum, suam vendicare gravitatem.* Hæc sunt gravia Adversariorum fundamenta, quibus illorum Probabilitas innititur.



CAPVT SEPTIMVM.

Traducta ultima Eupistini solertia: duo ultima illius argumenta solvuntur, & aperitur Modificationis abusus.

Nu. 1. PRospiciens Eupistinus totum lucubrationis suæ exitum prorsùs infœlicem futurum: novâ, sed serâ, usus est solertiâ. Seram dico: quia fortasse ipsa potuisset in disputationis principio sufficere non quidem ut veritas innotesceret, sicuti Deo dante statim innotescet: sed ne in ea inquirenda aut propugnanda, tanta adhiberetur diligentia. Etenim post tot artes ac labores, quos malim silentio obvolvere, quàm ampliùs recensere: Repentè meminit Eupistinus pag. 122. novi subterfugii quô (ad cautelam, ut loquuntur) absolvit omnes Patres Societatis à sequenda hac in parte duntaxat, doctrina D. Thomæ his verbis. Patres Societatis non coguntur defendere quæ sequuntur. (Causas secundas esse propriè instrumenta Dei: & cum operantur, Deum in eas primum influere aut eas movere.)

At debebat Eupistinus ponderare hoc ipsum, totius difficultatis nodum includere, inter nos & ipsos à tot annis agitatæ, quam dicere non verebor

bor verum doctrinæ Divi Thomæ characterem, basim veræ Philosophiæ, ac firmum solidioris Theologiæ fundamentum, ex qua tot aliarum de Gratia, prędestinatione, &c. difficultatum egregiæ pendent resolutiones, in quibus non nisi periculosissimè potest quisquam à Divo Thoma recedere.

Sed quorsum tam diuturnum Eupistini silentium? Aut quare tandiu mente hanc responsionem celare? Quia fortè existimabat Eupistinus, ipsam non quadrare cum doctrina, quam tenuêre omnes præcipui Patres Societatis, qui ne excepto quidem sanctissimo Patriarcha Ignatio steterunt ex parte Divi Thomæ, & præcipuè in hac controversia de Gratia per se efficaci.

Ut autem, saltem in fine fucum aliquem rebus faceret Eupistinus, adhuc unum excogitavit argumentum: post quod statim ad consuetam suam Authoritatis methodum recurrit. Porrò hoc argumentum est depromptum ex modificatione Divini concursus per causas secundas facta: in qua objectione dissolvenda non diu immorabimur, utpotè cui possit fieri satis ex iis quæ aliàs contra Petrum à S. Joseph diximus: nam vix unus fuit ex Antithomistis, qui hac de re quidpiam contra nos scripserit, quin statim idipsum perperam intellectum objecerit.

Sciat ergo Eupistinus Determinationem seu Modificationem Divini concursus esse duplicem. Prima est ab Agente: altera est ab objecto seu materia. Primo modo Dei concursus à nullo agente creato determinatur: quia cum Deus sit causa ita universalis, ut illius causalitatem nihil omninò subterfugere possit (quod notatum velim tanquam de fide certum) non expectat determinari aut modificari à causis secundis, in quibus ex sua conditione causæ universalissimæ, omnem in eis effectum, omnemque earum determinationem & modificationem ipse causat & efficit: unumque effectum in ipsis minus perfectum, alio perfectiori perficit.

Secundo verò modo dicitur fieri Modificatio passivè à subjecto præbente suam materialem causalitatem. Quod sic explicat Sotus in 4. Sent. (quem falsificavit Eupistinus) *Assensus liberi arbitrii non est causa præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis idem prævenientis liberum arbitrium: Est enim* (inquit) *pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra similis aëri ad fenestram clausam. Sed quia non aperit eadem corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus: quamvis causa prior efficiens, sit ejus inspiratio & motio præveniens: tamen dispositio materialis* (*quæ hoc modo dici potest*) *est assensio nostra* (*id est consensus*) *sicuti causa efficiens præveniens, cur fenestra aperitur, est aër intrans: sed causa materialis, cur aër intrat, est, quia fenestra aperitur.*

2. Dicuntur ergo causæ secundæ concursum Dei modificare, sed tantùm materialiter & passivè, non verò effectivè seu efficaciter: quia licet per quamcumque causam Deus possit quodlibet efficere: v. g. per aquam (quæ omnia extinguit) magis comburere, quàm per ignem: tamen non per quaslibet causas, quoscumque producit effectus, sed liberos per liberas: & necessarios per necessarias. Ita D. Thomas formaliter 1. p. q 19. ar. 8.

Debebat legere Ferrariensem Eupistinus 3. contr. Gent. c. 66. *Circa hanc propositionem,* (inquit) *Secunda agentia determinant actionem Primi Agentis, Advertendum est, quod hoc non est sic intelligendum, quasi agentia se-*

cunda aliquid erga Divinam actionem ut in se operentur: cum sua actio si sua substantia: sed intelligitur secundum quod ipsa mediantibus causis secundis ad effectum aliquem determinatur: sic enim virtus divina secundum quod in causa secunda recipitur, accipit limitationem & determinationem ex conditione causæ secundæ tanquam ex susceptivi conditione: quod enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Nam primæ Causæ influxus aliter in oculo, v. g. aliter in aure recipitur.

Stat ergo Primi Agentis præeminentia. Neque ulli hoc debet mirum videri; cujus indicium videmus in ipsis rebus creatis, in quibus nihil agit nisi in quantum est actu: & potiori jure Is, qui est actus purissimus, omnis potentialitatis passivæ incapax. Vide ea quæ fusius hac de re diximus lib. 3. contra Fuliensem; & iterum infra dicemus ex D. Thom. & comment. in D. Dionys. de divin. nomin.

Quantùm ad Alterum, sanè debemus mirari diligentiam Eupistini, qui vix ulli pepercit labori, ut quidpiam reperiret, quod saltem apparenter & in speciem contra nos objicere posset: ideò jure merito dubitatur, an aliqua fuerit Bibliotheca, cujus libros sive per se, sive per alios non evolverit: itidem utrum alicubi facta fuerit disputatio aliqua, cui saltem per eosdem non interfuerit; hinc Amicos rogans, inde testes etiam juratos conducens, ut quidquid diceretur, aut dici crederetur (si tamen crederent) testarentur: ipseque suo infarciret libello Eupistinus, qui subinde argumento sequenti tanquam Achille utebatur.

Magister Generalis FF. Prædicatorum Thomas Turcus erat doctissimus & doctrinæ D. Thomæ (quam diu docuerat) addictissimus: & tamen Prædeterminationi Physicæ adversatur. Ergo, &c. Antecedens probat Eupistinus pag. 92. sui libri, ubi ait præfatum Generalem in disputationibus cap. Generalis Valentiæ 1647. celebrati, dixisse cuidam respondenti, *Ostende mihi locum D. Thomæ, in quo Physicam Prædeterminationem deffenderit, & ego creabo te in Magistrum contra Constitutiones tuæ Provinciæ.* Ut efficacius Eupistinum refellamus, duos in oppositum objiciemus testes omni exceptione majores; qui præfatis disputationibus aderant.

EPISTOLA ILLUSTRISSIMI D.D. ANTUERPIENSIS EPISCOPI.

Admodùm Reverende & Eximie Domine.

TRadidit mihi Socius Provincialis Fratrum Prædicatorum litteras ad me vestras. Inquirit in his sua à me Dominatio, tanquam ab eo, qui in qualitate Socii & Provincialis Terræ Sanctæ, dum adhuc essem in inferioribus constitutus, Reverendissimo Patri Generali Turco ubique & in omnibus actibus adfui; an aliquid subsit veritatis in eo quod quidam apud vos Theologiæ Doctor affirmat in opusculo à se composito, eundem Reverendissimum Patrem Generalem in disputationibus Capituli generalis Valentiæ anno 1647. celebrati; assumpsisse argumentum Excellentissimi Domini Domini Ludovici Crespi de Boria Episcopi Placentini in quo actum fuisset contra Prædeterminationem Physicam, & promisisse Præsidenti Magisterium, si posset ostendere locum Sancti Thomæ, in quo Physicam Præ-

determinationem defenderit. Cum æquum sit ut in hac parte locum demus veritati & declaremus quid nobis compertum sit, ne Ordo ex quo ad Episcopatum assumptus fui, injustè in suis Doctrinis traducatur. Sciat eximia Dominatio vestra, nullum in Primis Episcopum Placentinum Dominum Ludovicum Crespi de Boria interfuisse disputationibus præfati Capituli Valentini, sed interfuisse ipsius fratrem tunc temporis Ordinis FF. Prædicatorum Religiosum & Priorem Valentinum, deinde ad Episcopatum assumptum : neque etiam ullum ab eo argumentum fuisse propositum, ut attestor testis ocularis. Sciat insuper in iisdem disputationibus Reverendissimum Patrem Generalem nec mentionem fecisse rei seu promissionis allegatæ, neque vel nutu aliqua insinuasse verba à quodam Philalethe Thomistis objecta, Quasi Reverendissimus Turcus in iisdem disputationibus dixerit, *Fateor Prædeterminationes Physicas esse plurium Thomistarum Doctrinam, sed à Sancto Thoma Longe aberrantium, quibus si mihi ostenderis S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magisterium.* Hæc enim verba (intellecta scilicet de Prædeterminatione Physica) non à veritate tantùm facti (ut paratus sum deponere, qui non in illis tantum disputationibus, sed ubique locorum cum Reverendissimo Patre Turco semper adfui;) sed & aberrant ab ejusdem Reverendissimi sensu, qui Physicæ Prædeterminationis fuit acerrimus semper Assertor & Propugnator. Quod vel ex eo solùm irrefragabiliter liquet, quod ubi legerat libellum Eximii Domini Sylvii de Motione Primi Motoris, in quo Prædeterminatio Thomistica acerrimè defenditur & propugnatur, non contentus Libellum vidisse, nisi & Authorem videret & cognosceret, me Socio & Comite, ipse Generalis integri Ordinis & vir Summæ Authoritatis, Duaci Præfatum Sylvium in suo Collegio visitaverit, eidem (me præsente) gratulatus, applaudens immò & gratias agens de illo suo opusculo tanquam genuino fœtu Discipuli Sancti Thomæ in materia Prædeterminationis Thomisticæ. Quod cum verum sit, nullus mihi persuaserit Reverendissimum Generalem Turcum protulisse aliquando Valentiæ vel alibi verba prædicta, quæ ex directo opponuntur, non solùm facto nunc relato, sed innumeris aliis argumentis, quibus mihi constat de mente Reverendissimi Turci; de cujus pro præfata Prædeterminatione Physica seu Thomistica, Zelo & ardore, hoc ausim affimare, quod si quem reperisset eidem, contra communem Thomistarum sensum contradicentem, absolvisset eum ab omni non solùm gradu, sed & à docendi munere, uti me præsente & oppugnante, absolvit alterum, licet in alia materia Theologicarum disputationum Præsidem. Hæc sunt quæ ad litteras Eximiæ Dominationis vestræ, veritatis intuitu respondenda putavi. De cætero manens eximiæ Dominationis vestræ.

Devotus in Christo Servitor Ambrosius Episcopus Antuerp.

Superscriptio. Epistolæ hæc erat.

Admodùm Reverendo & eximio Viro Domino Nicolao Josepho de la Verdure, Sacræ Theologiæ Doctori & Professori Regio ac Ordinario in Universitate Duacena.

Advertisti Eupistine? Præsentia rerum in æternitate, de qua in argumento erat sermo, ut fatebitur Reginaldus, non est ipsum decretum, sed decreti effectus: sicut & Prædeterminatio ipsa, est decreti Executrix. Qua ergo conscientia potuisti unum cum alio confundere (Tu qui perspicax es & subtilis? Aut insontes Notarios, rem hanc difficillimam non intelligentes, his implicare? Scio ex negatione decreti per se efficacis, (quod numqam aufferes) erui posse argumentum pro eliminatione Prædeterminationis physicæ; sed eo semel posito, illa sequitur necessariò pro illius executione in tempore, simulque evanescit ScientiaMedia; ut alibi satis ostendi. At quidquid dixit Pater Generalis, ut patet ex Epist. eo tendit ut ostendatur istud decretum & consequenter Prædeterminatio quæ sequitur illud. Perpende etiam totam illustrissimi Antistitis Epistolam, idipsum satis demonstrantem. Sed ut in ore duorum testium, stet omne verbum.

AVDITVR ALTER TESTIS IVRATVS.

NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quòd cum à pluribus annis ex variis Regionibus, Provinciis & Regnis delatum ad nos fuerit, quosdam parùm sincerè vulgasse quòd Reverendissimus P. Thomas Turcus olim Generalis Ordinis Prædicatorum in Capitulo Generali Valentiæ in Hispania anno 1647. mense Maïo, in Thesibus propugnatis nomine Provinciæ Tolosanæ die lūnæ post Festum Pentecostes: adversùs illum qui eas tuebatur, arguendo indicasset S. Thomam in nullo suorum operum loco favisse sententiæ prędeterminationem physicam asserenti; idcircò Nos Prior Conventus Tolosani Ord. Prędicatorum, veritatem & scire & promulgare omnibus cupientes, vocavimus R.P.Fratrem Antoninum Reginaldum tunc temporis in Academia Tolosana Professorem, quem vocant Conventualem, & nunc in eâdem Professorem publicum & Regium; qui in præfato Capitulo Valentino pro Provincia Tolosana tuebatur Theses, & inquisivimus ab eo rei gestæ veritatem. Ille verò jam fere septuagenarius, paratum se esse ad dicendam veritatem, eamque juramento firmandam respondit. Illum ergo adduximus coram amplissimo & perillustri Domino Dufour Archidiacono Ecclesię Cathedralis & Vicario Generali ejusdem Ecclesię Tolosanæ Sede vacante, & coram Notario ac testibus infrascriptis, ut ibi juratus, circa hęc diceret veritatem; qui tactis Sacrosanctis Evangeliis inter manus ejusdem Domini Vicarii Generalis juravit se dicturum veritatem. Dixit ergo præfatus P. Reginaldus anno illo 1647. mense Junio in Capitulo Generali Valentiæ in Hispania celebrato, in Thesibus, quas pro Provincia Tolosana tuebatur, rem ita gestam esse. Postquam plures disputassent: Reverendissimus P. Thomas Turcus Generalis assumpsit duas ex Thesibus agitatis, videlicet eam, quam ego P. Reginaldus posueram de præsentia reali omnium rerum nobis futurarum in æternitate; alteram de cognitione Divina futurorum in decretis: & argumentatus est præfatus Reverendissimus contra me dicens, quòd alterum ex his duobus mediis cognoscendi futura esset superfluum: Si enim Deus cognoscit omnia nobis futura in reali eorum pręsentia in æternitate, fu-

perfluit decretum efficax, in quo Deus illa eadem cognoscat. Si Deus illa cognoscit in decreto, superfluit illa præsentia realis in æternitate. Respondi neutrum esse superfluum, imò unum sequi ex alio: ex decretis enim sequitur præsentia realis in æternitate. Replicavit Reverendissimus Generalis: Numquam S. Thomas recurrit ad decreta, sed ad præsentiam in æternitate: *Et si mihi ostendas vel unum locum D. Thomæ, in quo recurrat ad decreta, ex nunc pro tunc creo te in Magistrum Theologiæ contra jura & consuetudinem tuæ Provinciæ.* Tunc ego P. Reginaldus, qui ex aliis capitibus noveram, quòd P. Reverendissimus Turcus vellet tentare, utrum ambirem Magisterium, respondi, De Magisterio, quod offert mihi vestra Reverendissima Paternitas, gratias ago: Novit vestra Reverendissima Paternitas nos in nostra Provincia non acceptare Magisteria. De locis autem D. Thomæ Vestra Reverendissima Paternitas alter Thomas novit illa, nec opus est illa citare. Insusurrabant ferè omnes: Cita locum, cita locum, & fies Magister. Ego tamen perstiti in mea sententia. Urgebat Reverendissimus Generalis, *Noli mihi adulari, sed ostende mihi locum D. Thomæ in quo ipse dicat, Deum cognoscere futura in decretis suis: Ostende.* Perstiti nihilominus in mea responsione, ne viderer ambire Magisterium. Post multa hinc & inde, semper de illa & eâdem quæstione, sub finem disputationis dixit mihi Reverendissimus P. Generalis Turcus, *Explica tuam sententiam.* Explicavi hoc pacto, dicens, quòd cum res non possint de possibilibus fieri futuræ in tempore nec præsentes realiter æternitati, nisi per aliquam causam: & illa causa, nulla possit esse alia quàm Deus liberè agens, & has potiùs quàm alias volens esse futuras in tempore & sibi realiter præsentes, idem prorsus est dicere quòd Deus cognoscat res ut realiter præsentes æternitati, & dicere quòd illas cognoscit in decretis: quia per decreta fiunt præsentes æternitati. Quare autem D. Thomas ferè semper recurrat ad præsentiam rerum in æternitate, quando agit de cognitione, quâ Deus cognoscit res nobis futuras, ratio est, quia vult reddere rationem, cur Deus eas cognoscat scientiâ visionis: Visio enim corporea, debet terminari ad res præsentes; & ideò D. Thomas recurrit ad præsentiam rerum realem in æternitate, quando agit de scientia visionis. Quamvis aliquando, cum non agit de scientia visionis, dicat Deum cognoscere omnia nobis futura in sua voluntate ut causâ, nimirum determinata per decretum, ut constat ex eodem 1. contra gentes cap. 67. & 68. & alibi sæpe, ubi expresè D. Thomas dicit, Deum cognoscere ab æterno actus nostros liberos in sua voluntate, ut causa. His à me dictis acclamarunt quidam: *Citavit locum; Fiat Magister.* Sed Reverendissimus Generalis annuentibus Archiepiscopo & Prorege Aragoniæ, qui aderant, finem disputationi imponi præcepit. Hanc esse veram illius rei narrationem tactis Sacrosanctis Evangeliis juro & protestor coram Deo & sanctis Angelis ejus in manibus vestris, Amplissime & perillustris Archidiacone & Vicarie Generalis, jubente & præsente R. P. Joanne Francisco Dufaur Ordinis Prædicatorum Conventus Tolosani Priore & sacræ Theologiæ Professore, præsentibus etiam Notario & testibus infrascriptis.

Unde juro & protestor ac declaro sub eodem juramento falsum esse, quòd Reverendissimus Pater Generalis dixerit; Fateor Prædeterminationes

Physicas esse doctrinam plurium Thomistarum, sed à S. Thoma longè aberrantium, quibus si mihi ostenderis S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magisterium. Falsum etiam declaro sub eodem juramento, eumdem dixisse mihi: *Ostende mihi locum S. Thomæ*, in quo Physicam Prædeterminationem defenderit, & ego te creabo Magistrum in Religione contra constitutiones tuę Provincię. Falsum sub eodem jurejurando declaro, quòd alii sic narrant: Reverendissimus P. M. Thomas Turcus Generalis Ord. Sancti Dominici, cum in Capitulo Generali Valentię mense Maio anno 1647. interesset disputationi, in qua Hispanus Thomista ex provincia Tolosana tuebatur Physicas Prædeterminationes tanquam à S. Thoma edoctas, assumpto argumento excellentissimi Domini Ludovici Crespi de Boria Episcopi Placentini tunc Præpositi Muri veteris oppugnantis Prædeterminationes Physicas, contendentisque non esse sententiam S. Thomę, idem cum esset versatissimus in S. Thoma semel & iterum dixit *Ostende mihi locum*, in quo S. Thomas Physicam Prædeterminationem doceat, & creabo te Magistrum in tua Religione contra constitutiones tuæ Provinciæ, repetendo multoties: *Ostende, Ostende.* Quatuor Doctores Theologi Universitatis Valentinæ testantur sub juramento coram Notario, se illa verba audivisse. *Declaro itaque hanc narrationem quantùm ad id, quod dicit de Prædeterminatione Physica, falsam omnino esse: nullo enim modo agebatur de Prædeterminatione Physica. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. Fr. Antoninus Reginaldus.*

NOs Joannes Dufaur Presbyter, jurium Doctor, Canonicus Archid. Eccl. Tolosanę nec-non Vicarius Generalis dictę Diœcesis Sede vacante, Testamur præfatum R. P. Antoninum Reginaldum, qui supra, hoc juramentum præstitisse in manibus nostris præsente R. P. Joanne Francisco Dufaur Priore Conventus Prędicatorum hujus Civitatis, præsentibus etiam Notario Apostolico & Regio, & testibus infrascriptis. In cujus rei fidem his sigillo nostro munitis subscripsimus die 10. Septembris 1674.

J. Dufour Vic. Generalis.

F. Joannes François Dufaur Prior qui suprà.

Daugla Presbyter pręsens.

Lafage Presbyter pręsens

Bauvestré.

Sed hęc ulteriùs non prosequimur: cum enim tam obfirmata & pertinax pugna contra Prædeterminationem instituta non sit, nisi Scientię-Medię intuitu; hic non est pętermittenda brevis narratio satis lepida, quę Lectorem latere non debet, ne ipse in eumdem, in quem plurimi, errorem incidat, circa Eupistini resipiscentiam: quare sit

CAPUT OCTAVUM.

De Scientia Media ad examen revocata, ab alio Germano Philalethe Eupistino, novisque suffragiis exauthorata.

Nu. 1. VIDENS vir Religiosus ex Carmelitana (quantùm discere potui) Familia, tot sparsas falsitates occasione Scientiæ Mediæ, falsô Germani Philalethis Eupistini vocabulô; existimavit se posse huic malo mederi, si personatum homine vacuum, religiosiùs ageret: non enim existimavit sibi vitio vertendum, si hoc idem nomen assumptum, & falsitate ab alio tam segniter deformatum, sibi pro veritate manifestanda usurparet. Et cum novus hic liber meas in manus pervenisset, eodem titulo, eodemque Eupistini nomine, consuetâ simplicitate illum evolvebam, illumque intuebar ceu Primum Eupistinum resipiscentem, dum certò accepi, hoc veri Eupistini obsequium, à falso, malo prorsùs animo, acceptum, tanquam officium sibi valdè officiosum, quod idcircò multis ipse remuneraretur conviciis.

Porrò præter cætera quibus hic Author utitur, argumenta, ad fucum Scientiæ Mediæ auferendum, ait *hanc esse inimicam Gratiæ, utpotè quæ eam faciat ex operibus dependentem.*

Et quia in rei veritate nequeunt Adversarii hanc dependentiam admittere, quin Apostolo contradicant: huic probro citiùs occurrunt, asserentes Gratiam non posse quidem, nec debere, ex operibus actualibus dependere; (alioquin Gratia, jam non esset Gratia, ut loquitur ipsemet Apostolus) sed nihil impedire, nullumque esse inconveniens, si ex prævisis operibus dependere dicatur; pro qua prævisione Scientia Media dicitur à suis Authoribus necessaria.

Verùm, quis non videat hanc responsionem merum esse subterfugium è diametro oppositum D. Augustino? Ille enim lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. hunc cuniculum prævidit & occupavit his verbis: *Quasi* (inquit) *non posset dicere (scilicet Apostolus) non ex præsentibus, sed ex futuris operibus..... sed ait: Non ex operibus, ut Gratiam commendaret.* Fatendum est igitur, juxta sanctum Præsulem, subindeque secundùm Ecclesiæ doctrinam (ut tot declararunt Summi Pontifices) Gratiæ præeminentiam semper esse observandam, Prædestinatosque tam ex mente Apostoli, quàm Divi Augustini & Doctoris Angelici, Dei misericordiâ fuisse ab ipso electos, etiam ante mundi constitutionem; qui tamen nunquam consequentur gloriam, nisi ex operibus (non tantùm præscitis, propter quæ nemo aut mercede donatur, aut supplicio afficitur;) sed reipsâ exhibitis, quibus gloriam tanquam justitiæ coronam sibi repositam, justi etiam de condigno possunt promereri. Quâ doctrinâ optimè salvatur Primi Agentis prærogativa, ac ritè explicatur tota salutis nostræ œconomia, in qua ne segnes aut superbi efficiamur, de nostra salute continuò esse solliciti, illamque in timore ac

tremore operari, ac tota mentis intentione satagere, ***nostram, per bona opera certam facere vocationem debemus.***

2. Prædicta egregiè confirmavit D. Augustinus, ac subterfugium prævisionis meritorum; ad quod confugiunt Adversarii fœliciter occupavit lib. de prædest. SS. cap. 14. ubi ait: *Si judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent: nihil prodest ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.* Et Epist. 107. *Quomodo*, inquit, *dicitur propterea quibusdam non dari, &c. Quia (Deus) eorum futuras prævidit voluntates, quas habituri essent, si viverent; cum secundùm ea (quæ per corpus gessit) non secundùm ea quæ gesturus esset, si diutiùs fuisset in corpore; unusquisque recipiat, sive bonum, sive malum, sicut Apostolus definit.* Et *quomodo secundùm voluntates suas futuras homines judicantur, quas habituri fuisse dicuntur; si diutiùs tenerentur in carne, cum dicat Scriptura: Fœlices mortui qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. quorum sine dubio certa & secura fœlicitas non est, si & ea quæ non egerunt, sed acturi fuerant, si esset eis hac vita prolixior, judicabit Deus? &c.* Lege quæ sequuntur, ut denique confitearis cum sancto Præsule, *gratiâ Dei hominum voluntates præveniri, & per hanc eas potiùs præparari, quàm propter prævisum earum meritum dari.*

Aliud hîc occurrit subterfugium pari facilitate aperiendum: *Si quis obmurmuret* (inquit P. Annatus, disp. 1. de Scientia Media, nu. 57. edit. Parisiensis) *quod in constituenda Divinæ gratiæ congruitate illa, partes esse aliquas dicamus creatæ libertatis, Augustinum appellet (scilicet lib. 1. ad Simpl. q. 2. cujus est illa vox (ut velimus, & suum esse voluit & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo*

At ille poterat sibi persuadere, non defuturos, qui satis accuratè sanctum Præsulem legerent, sibique satis cautè attenderent, ut nullatenùs ipsis objectio pro solutione obtruderetur. Si enim sincerè legisset ille Sanctum Augustinum, seu à se lectum tunc non dissimulasset, hujusce objectionis solutionem apud eumdem reperisset libro 1. Retract. ubi ait: *Vtrumque nostrum est (scilicet velle & benè agere) propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis*: datum ergo, non redditum (quid enim habes quod non acceperis?) ut fusiùs cum sancto Præsule alibi diximus.

Idem dixerat sanctus Præsul, tom. 4. in expositione quarumdam proposit. ex Epist. ad Rom. *Neque possumus velle*, inquit, *nisi vocemur; sed cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster nisi Deus vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat.* Non aliter loquitur Pater ejus spiritualis Ambrosius, lib. 6. in cap. 9. Lucæ. *Qui vocantur*, inquit, *priùs vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, ut veniret, accepit.* Quare, mi Eupistine, sic & animo ita obfirmato, resipiscere renuis? Scias tibi satius & securius esse sanctum Præsulem sequi nobiscum, quàm ipsum reluctantem & invitum pertrahere; faciliusque apertam fateri veritatem, quàm velle toti mundo imponere, seu omnes homines excœcare; cui, ut legenti patebit, non minus adversatur Sanctus Augustinus, quàm Doctor Angelicus.

Verùm, quia pluribus non est pervia librorum copia, ut quæ sit sincera veri

veri Eupistini circa Scientiam mediam sententia, omnibus innotescat; sufficienter ostendetur ex sequenti Censura. *In eo* (scilicet libro Scientiam Mediam ad examen revocante) *clarè & invictè vidi probatum, Scientiam Mediam ab omnibus rejiciendam, tùm ut omnipotentia Dei parùm conformem; tùm ut principiis D D. Augustini & Thomæ (quorum nuper Alexandro VII. fuêre inconcussa, tutissimaque dogmata) evidenter repugnantem, atque concordem necessitatem Prædeterminationis physicæ in omni statu, & ad omnem actum, &c. Ita ut verè Thomam in Augustino, & Augustinum in Thoma loqui omnem cordatum Theologum agnoscere necesse sit. &c. Ita Duaci 1670. Iosephus* de la Verdure *sacræ Facultatis Theologiæ Doctor, & Professor Regius.*

Huic publico testimonio addere possem alia Doctorum suffragia ex geminata totius Belgii Universitate, Lovaniensi scilicet & Duacena, Scientiam Mediam profligante: sed æquum non existimavimus Lectorem benevolum pluribus gravare suffragiis.



CAPUT NONUM.

Examen Scientiæ-Mediæ tantoperè ab Eupistino commendatæ, cujus subterfugium aperitur, semelque admissa Adversariorum doctrina, circa naturam contingentium, illi, qui se dicunt libertatis creatæ Propugnatores, fierent ipsius & increatæ destructores; qua in re, solemne habetur testimonium Extraneorum nulli partium addictorum; sed & laudantur celeberrimi inclytæ Societatis Iesu Authores, Thomistarum vindicias agentes, etiam hac in parte.

Nu. 1. HACTENùs de testimoniis & thesibus ab Eupistino adductis, ex quibus pro Scientia-Media, non nisi aridas palmas vanosque triumphos colligere potuit Eupistinus. In sequentibus hanc ipsam paucis in statera appendemus; nec dubito quin minus, minusque habens semper inveniatur. Et quia tot scatet defectibus ac nævis jam palàm traductis à Thomistis, unum tantùm subjiciam argumentum in gratiam eorum in quorum manus nondum fortasse devenerunt opera eorum, qui Scientiam hanc Mediam fusissimè confutarunt: idque conformiter ad ea quæ diximus lib. 3. capitibus 8. & 9. contra Petrum à S. Joseph, de notitia contingentium, de quibus nulla habetur certa cognitio ante Dei decretum, quo à statu possibilitatis ipsa transeunt ad statum futuritionis.

Porrò Scientia hæc Media, à suis Authoribus sic dicta (quia est inter scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus omnia possibilia dicitur cognoscere; & scientiam visionis, quâ cognoscuntur ea quæ habitura sunt *esse* in aliqua temporis differentia) ab iisdem definitur: *Cognitio existens in Deo de futuris contingentibus & conditionatis antecedenter & independenter ab omni decreto actuali & absoluto divinæ voluntatis.* Sed talis cognitio est impossibilis in Deo: Ergo & Scientia-Media erit quoque impossibilis. Major est Adversariorum. Minor verò probatur sic. Ante decretum divinæ Vo-

luntatis determinantis seu volentis extrahere res à statu puræ possibilitatis, & dare illis existentiam in aliqua temporis differentia, vel absolutè, vel præsuppositâ aliquâ conditione, nihil omninò absolutè vel conditionatè futurum est; nec proinde ut tale, id est, ut futurum ab intellectu Divino cognoscibile. Ergo cognitio certa & evidens futurorum contingentium, ante voluntatis Divinæ decretum, nequit Deo competere. Consequentia per se patet; Antecedens verò probatum est ex iis quæ loco supra citato diximus de contingentium cognitione. Nam Dei decretum est primum determinans ipsius possibilitatis Primam Causam seu Principium, scilicet Dei Omnipotentiam, quæ, ut per se patet, est prima possibilium Causa. Possibile enim est quid superius *ad futurum & non futurum*; sicut animal ad hominem & leonem: quare sicut illud quod determinat & contrahit rationem communem animalis ad speciem v. g. hominis, illam constituit; ita & illud quod determinat principium possibilitatis rerum; (scilicet Dei Omnipotentiam) est radix, prima causa, primumque principium futuritionis illarum. Atqui tale est voluntatis Divinæ decretum, quia cum Deus sit agens liberum, non operatur ad extra, nisi ex libera determinatione voluntatis suæ; ac proinde eô indiget decretô ejus Omnipotentia, quæ ex se, est indifferens & indeterminata, ut res producat vel non producat, ut per se notum est: Et sicut nihil est possibile remotâ Dei Omnipotentiâ; ita nihil est futurum remotô voluntatis Divinæ decretô: nam sublatâ causâ, tollitur effectus per eam producendus.

2. Explicatur magis. Si ante Dei decretum res essent determinatè futuræ (ut volunt Adversarii) vel hoc haberent à se ipsis, vel ab aliqua causa: At neutrum dici potest. Non quidem primum, quia sicut res non possunt sibi dare ut sint, ita nec ut futuræ sint. Alterum etiam dici non potest, quia ante Dei decretum omnes aliæ causæ sunt indifferentes ad agendum vel non agendum; & ipsa voluntas divina ante sua decreta est omninò indifferens ut rem aliquam producat vel non producat.

Et hoc non est minus verum de decretis conditionatis quàm de absolutis (licet magnum in hoc se habere præsidium existiment Adversarii:) nam æqualiter contradictoriæ sunt propositiones istæ, *Petrus convertetur, Petrus non convertetur*; & istæ, *Petrus convertetur, si in talibus circumstantiis ponatur*; & *non convertetur, si in illis non ponatur.* Ratio est, quia conditionata non minus pendent à voluntate Dei, quàm absoluta. Et sicut Authores oppositæ sententiæ non valent robur hujus argumenti infringere, ita nunquam potuêre apud peritos vel fucum ullum facere, asserentes *propositiones de futuro contingenti, ante Dei decretum, aliquam habere veritatem objectivam, in qua Deus futura contingentia, vel libera, certò cognoscat.* Non, inquam potuêre; quia per prædictum argumentum demonstrativè probatur, nihil esse futurum determinatè ante decretum voluntatis Divinæ, ante quod res omnes sunt æqualiter possibiles: unde ergo aliquæ sunt futuræ, aliis remanentibus in statu possibilitatis, nisi quia Deus Opt. ex illo voluit eas educere? Fatendum est igitur esse meridianâ luce evidentius contra obfirmatam Antithomistarum doctrinam, nullas res habere *esse futurum* ex natura sua & ante Dei decretum; ac proinde evanescit hæc fictitia Adversariorum veritas objectiva ante hoc decretum; cujus veritatis

nullum tunc extat objectum futurum, sed possibile tantùm (quod in ævum remanebit possibile, nisi Deo volente inde extrahatur:) nam ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; & verum supponit ens, sicut omnis proprietas suam supponit essentiam à qua profluit.

3. Sed datâ Adversariis non concessâ, hac veritate objectivâ, hac ipsâ, illi qui se libertatis Patronos ac Defensores profitebantur, manifesti fiunt illius destructores. Nam veritas illa (quæ juxta ipsos, est ante omne Dei decretum, naturaliter proveniens ex vi innata oppositionis contradictoriæ inter propositiones ex quibus dicunt unam esse determinatè veram, & alteram esse determinatè falsam;) est necessaria, ut per se patet; nec consequenter subjacet primo omnis contingentiæ & libertatis principio, scilicet æterno Dei decreto, cum (ut volunt) sit ante illud & ab illo independens; sed ut aiunt ex naturali oppositione contradictoriarum proveniens.

Explicatur. Si una ex propositionibus contradictoriis est ad veritatem determinata ante Dei decretum; vel Deus per subsequens decretum potest irritare hanc determinationem decernendo oppositum, vel non. Si nequit Deus irritare illam, oppositum decernendo, ergo Divina libertas ligatur fatali illâ determinatione præveniente suum decretum, ac proinde stabilitur antiquum cæcæ Gentilitatis fatum. Si verò possit Deus per suum subsequens decretum irritam facere hanc determinationem, ergo ante illud decretum talis determinatio non erat adhuc certa & immobilis, sed anceps & indeterminata: quod intendunt Thomistæ.

Qua in re notanda est differentia doctrinæ Divi Thomæ & Adversariorum. Quòd illi velint ex duabus propositionibus contradictoriis, unam esse *determinatè* veram, & alteram *determinatè* falsam. At sanctus Doctor ex principiis Aristotelis naturaliter cognitis, vult hoc quidem esse, sed *indeterminatè*, cum quo libenter fatemur talem esse inter propositiones contradictorias oppositionem; ut si una sit vera, altera sit falsa, sed *indeterminatè*; ita ut repugnet ambas esse veras, aut ambas falsas. At nulla est ex se, & maximè ante primum determinans, scilicet Dei voluntatem, determinatè vera: nam ex sola Dei voluntate provenit, ut ex infinitis creaturis possibilibus, illæ tantummodò extiterint, sint modò, vel aliquando futuræ sint quas Deus esse voluit: aliis relictis in statu puræ possibilitatis, ut dicitur Sap. 11. v. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te non esset conservaretur?* Vocat autem Deus ea quæ non sunt, id est possibilia; quæ ex natura sua sunt indifferentia, ut sint vel non sint: ut autem determinatè sint, nec à se, nec ab ullo alio possunt hoc habere, sed à solo Deo.

Ex iis evidenter innotescit, quomodò æquè Doctori Angelico adversentur Authores oppositæ sententiæ, ac ipsi apertissimæ rationi, Scripturæ sacræ ac Bonitati Divinæ, erga quam, ut ritè notavit Typhanius, lib. de priori, hac in parte, Adversariorum opinione, *omnis nostræ gratitudinis affectus facilè extinguitur.*

Non dubito quin vim ac robur hujus argumenti præsensisset Lector Collegii Aurelianensis, qui in Posit. 8. suæ Moralis Philos. hoc scripsit. *Existimavit olim Aristoteles ex duabus propositionibus contradictoriis ac singulari-*

bus de futuro contingenti & libero, neutram esse determinatè veram aut falsam, ne tolleretur in rebus humanis consultatio. At Christiana Philosophia docet unam ex dictis propositionibus esse determinatè veram, & alteram falsam.

4. Certè veneranda unicè ac ubique Christiana Philosophia; sed hoc nomine illa indigna est, quæ non possit (ut verbis utar sanctissimi Præsulis contra Ciceronem) homines facere liberos, quin illos faciat sacrilegos. Et stupendum est, ut ipsemet alibi loquitur, *in quot abrupta se se præcipitent, metuentes retia veritatis.*

Si enim Christiana tantùm dicenda est Philosophia, quæ docet *unam ex duabus propositionibus contradictoriis esse, determinatè veram*: Ergo à fide Christiana (quod absit) fuit prorsùs aliena D. Augustini Philosophia, perpetuò asserentis *nihil fieri, esse, aut futurum esse, nisi Deo volente, si bonum sit; vel fieri permittere, si sit malum*: Quia, ut idem ait in Enchir. cap. 100. *Non fieret si non fineret, nec utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo posset benè facere.*

Confirmatur ex D. August. to. 6. lib. 27. contra Faustum, c. 4. *Vtrum* (inquit) *futurum sit nescio; & ideò nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas me latet; illud me tamen non latet, sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet.* Legatur to. 2. Epist. 105.

Eodem quoque jure heterodoxa esset hac in parte tota Philosophia D. Thomæ docentis ubique neutram ex propositionibus contradictoriis contingentibus & futuris, esse determinatè veram ante voluntatis Divinæ determinationem, ut jam probavimus usque ad satietatem.

Legendus sanctus Doctor, locis citatis, & nominatim 1. p. q. 14 a. 9. ad 3. ubi ait: *Scientia Dei est causa rerum voluntate adjunctâ; unde non oportet, quòd quæcumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint; sed solùm ea, quæ vult esse,* aut *permittit esse.* Item in primum sent. dist. 39. q. 1. ad 5. *Licet esse* (inquit) *& scire in Deo sint idem secundùm rem: tamen* scire *sequitur voluntatem ut imperatam ab ipsa.* Et de malo, q. 16. a. 7. in o. *Quia,* inquit, *unumquodque cognoscitur, secundùm quod est in actu: non autem secundum quod est in potentia, ut dicitur 9. Metaph. inde est quod ea quæ sunt ad utrumlibet, non possunt cognosci in suis causis determinatè, sed sub disjunctione; utpotè quia erunt, vel non erunt: sic enim habent veritatem.* Item de verit. q. 2. a. 12. ad 7. *Cum dicitur,* inquit, *hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis ad productionem ejus.* Et in 1. Sent. dist. 38. q. 1. a. 5. dicit: *Deus videt ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura.*

Et 1. p. q. 16. a. 7. ad 3. *Omne quod est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret, unde sublatâ causâ non esset futurum illud fieri.* Item art. 13.

Certè hîc satis mirari non possum animum Adversariorum hac in parte nobis contradicentium circa veram doctrinæ Divi Thomæ intelligentiam. Legatur sanctus Doctor, 1. p. q. 14. tota, quæ est de scientia Dei, 1. Peri.

SECTIO I.

Audiuntur nonnulli ex Societate Iesu, tam circa Scientiam Mediam, quàm circa præstantiam doctrinæ Patris Molinæ, quam præfert Eupistinus doctrinæ Divi Thomæ.

5. PRæfatorum S. Augustini & Divi Thomæ testimoniorum evidentiâ convicti, non solùm antiquiores & doctiores Societatis Jesu Scriptores, quales fuêre omnes laudati lib. 2. cap. 12. Stellæ Cassiopeæ & sequentibus; sed & alii etiam recentiores, inter quos est Typhanius, inter ejusdem Societatis sublimissimos habitus, qui tamen Scientiam mediam non pluris facit, quàm somnium dormientis, asserens lib. de Ordine, cap. 24. nu. 4. *nullum Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem de Scientia Media cogitasse, neque eam ullibi, vel adhibuisse ad ullam sive Scripturæ sacræ, sive Theologiæ Scholasticæ difficultatem expediendam.*

6. Quare merito jure dixit idem Typhanius supra laudatus; per prædictam hanc Scientiam Mediam *facilè extingui in animis hominum, omnem amoris affectum erga Deum*, à quo maximè cavendum est: nam, ut ait D. Augustinus, to. 2. Epist. 120. Honorato c. 37. *Habet Gratia Adversarios, qui .... non Deo tribuere, sed potiùs sibi volunt arrogare quòd boni sunt.... & necesse est*, inquit, *ut parum diligat eum (scilicet Deum) qui non ab illo, sed à seipso bonum se arbitratur effectum.* At eò tendit Scientia Media, quâ volunt Deum prævidere bonum usum divinæ Gratiæ (qui inter maxima Dei dona annumeratur) & liberam voluntatis creatæ determinationem, quæ est & aliud magnum Dei munus, & quidem majus eô quod creatura rationalis à Deo per creationem gratis acceperat, ut ait D. August. to. 7. lib. 2. de peccat merit. c. 18. *Si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur.* Lege totum, nedum caput, sed librum integrum.

7. Typhanio adjungendus est alius ejusdem Societatis Author celeberrimus, scilicet Baëza, tom. 3. lib. 15. sect 7. ubi ait: *Laudo etiam sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molinæ Societatis Iesu splendidissimi Theologi concordiam de libero arbitrio suspectam habuit rem ad fidei Iudicem Pontificem detulit, & vel suspecta commata asterisco notans, coram tanto Iudice alacriter & fortiter pro fide propugnavit.*

Et ne quæ ibidem sequuntur ex eodem Baëza videar dissimulare; utpotè quibus ipse plurimùm adulari Molinæ & Thomistas tacitô nomine videatur sugillare, ea non esse ejusdem Authoris, sed eorum, quos constabit ex hoc opere, & nominatim in ultima Appendice, sine scrupulo solêre, non tantùm suis ac nostris adjicere aut detrahere Authoribus pro rerum opportunitate, sed etiam D. Thomæ, ut eos, suas in partes, etiam invitos & reluctantes quandoque possint pertrahere. Id apertè constabit ex tota Baëzæ doctrina de Gratia, quam hîc propugnamus, quæ non est minus Molinæ



opposita, quàm lux ipsa tenebris: nec potest esse Divi Thomæ & Thomistarum doctrinæ, nec non Sancti Patriarchæ Ignatii & 20. Priorum ac doctiorum ejusdem Societatis Jesu Patrum, magis conformis quàm si esset de verbo ad verbum exscripta ex prædictis. Dixi prædicta non esse ex ipso Baëza: etenim dicendum esset ipsum lævâ destruxisse, quod dexterâ ædificaverat, sibique ita enormiter contradixisse, ut nulla major aut turpior in ullo Authore reperta sit unquam exerratio (quod certè de tanto viro, pietate & eruditione singulari prædito, nemo suspicabitur) vel supposititia esse & ad placitum excogitata, ne Thomistis favere, illorumque doctrinam tueri videretur. Porrò hac de re prudens lector judicabit. Opus probemus.

Ait Baëza parte prima lib. 6. sect. 9. tomo Lugduni edito 1636. pag. 381. *Cur tam celer Matthaus respondit Iesu vocanti?* An quia eo tempore vocatus est, quo ex se aptior erat ad respondendum? Absit. Immò de telonio vocatur, quando ipsi operi sedens incumbebat: quando magis fervebat opus; ne videretur Deus expeditioris & paratioris egere; sed illius esse gratiæ homines & aptari & expediri & viam capere, & cursum consummare...... Ibid. sect. 11. *Sanè si* (inquit) *aliquod tempus observandum esset, ut Christi lucrum fieret: latroni illi omne penè effluxerat tempus salutis, & paululum quod supererat, multùm erat acerbum & immaturum...* Ac denique ibid. ait: *Non est Dei Gratia ut cetera Matres, ipsa nihil indiget expectare, ante horam prævenit in maturitate*: Item tom. etiam Lugd. eodem an. 1636. edito lib. 5. cap. 15. sect. 3. pag. 496. *Et mirabar* (inquit) *quod tunc Christus voluerit venire, quando temporum malitia plenior & potentior erat: & cur tanta malitia expectabatur, ut se nobis communicaret Dei Filius, nisi ut ejus benefica virtutis efficacia ostenderetur potens vel de pessimis hominibus sibi sanctissimum, Regalissimumque imperium asserere? Ajebat D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 15* (inquit Baëza) *non priora, quasi incapacia, declinata sunt tempora; sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sæviendi persisteret facere, quæ manus Dei & consilium decreverunt fieri, ut mirabilior esset Gratia.....* At, *fremebant gentes* (*inquit D. Prosper ibid. & ab eodem Baeza laudatus*) *irascebantur populi: sæviebant Reges & Potestates contradicebant, superstitiones & totius mundi reluctabantur errores; sed de resistentibus, furentibus, persequentibus; populum suum Christus augebat.* Legendus idem Baëza tom 3. Lugd. apud Boissat edito an. 1636. lib. 16. cap. 3. sect. 1. ubi ait: *Quod Divinæ Gratiæ in nobis parturitur, non tàm ab humanis laboribus, quàm ab occultiori fit Dei virtute..... Non tàm opus arbitrii & diligentiæ humanæ, quàm opus occultissima Dei virtutis est.* Item tom. 4. etiam Lugd. apud Anisson 1640 lib. 8. cap. 2. sect. 39. Quid clarius pro doctrina D. Thomæ aut efficacius pro confutanda tota Molinæ concordia? Caveat ergo sibi lector ab immutatione facta loco citato, non ab ipso Baëza, sed aliorum solertia, quæ satis aperitur hic citatis laudati ipsius Baëzæ testimoniis. Et sanè mirum est quòd tot viri prudentes & docti existimarint se se posse omnibus illudere, tamque incautè duas aut tres lineas submiserint, non prospicientes innumera esse ejusdem Authoris testimonia, quæ dolum me tacente aperirent: & quæ necessariô erant quoque auferenda,

ne ipsorum Authores contradictionis vitiô laborasse judicarentur: quod sanè de viris adeò eruditis nemo suspicabitur, vel ex eo solùm quod pro tribus aut quatuor lineis (ut in præsentiarum) incautè ut dixi introductis; plura sint alia eorumdem Authorum testimonia, sibi pro nobis perfectè cohærentia in expositione Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum & Conciliorum ac nominatim ad sensum Divi Thomæ, quæ omnia nequiverint aliter explicare.

9. Hîc non prætereunda occasio ostendendi falsum esse id quod nobis ab aliquibus impositum est in tomo posthumo Suaresii de Auxiliis, ubi dicunt Prædeterminationem Physicam favere hæreticis hujus temporis, id est Calvinistis: quod falsum esse fatetur ipse Societatis Jesu Defensor Pater Deschamps lib. 2. de hæres. Jansen disp. 6 c. 9. edit. Paris. an. 1654. pag. 302. ubi ait. Verè mihi videor dicturus, nullos huic doctrinæ (scilicet Calvinianæ) Infensiores reperiri, quam qui post natam Calvini hæresim ex S. Dominici Ordine, aliisque ejusdem Sacramenti Theologis majori eruditionis & ingenii laude floruerunt. Nam eadem est mens omnium quam Dominicus Soto exprimit.... Deinde laudat ex eodem ordine Petrum Ledesmam: Cabezudo: Bannezium: Alvarez: Medinam: Joannem Buderium: Franciscum Panigarolam Episcopum Astensem. Et ante prædictos ibidem jam laudaverat idem P. Deschamps Franciscum Cumelium Ordinis B. Mariæ de Mercede, *qui* (inquit) *pugnacissimè omnium, Physicam Prædeterminationem deffendit.* Ante præfatos eadem de causa laudaverat etiam idem P. Deschamps pag. 189. Josephum à S. Maria & Cabreram, quem dicit *Physicæ Prædeterminationis Propugnatorem nobilissimum*, nec tamen illius judiciô minus oppositum novæ opinioni Cornelii Jansenii: quod certè debebat os obstruere Magistro Philosophiæ, qui nec suos Authores nec nostros legit: aut quod pejus est, perpetuâ dissimulatione laboravit: idque cum scandalo juventutis, cui tàm falsa de insontibus inspiravit verbo & scriptis.

Prædictos sequitur de Lugo Cardinalis de pœnit. disp 8. sect. 7. n. 169. *Salvatur ergo* (inquit) *propriissima libertas cum Prædeterminatione, si semel admittatur possibilis mutua illa prioritas & causalitas, quia pro illo priori, pro quo præcedit consensus Prædeterminationem, non intelligitur procedere à principio determinato, sed solùm à voluntate cum cognitione indifferenti: ergo intelligitur procedere à principio potente utrumque actum elicere .... Nam qui amat, habet pro priori concursum Dei ad odium: licet pro posteriori habeat amorem incompossibilem cum odio: ergo licet pro posteriori signo sit Prædeterminatio ad amorem, poterit pro priori intelligi concursus Dei ad odium & per consequens pro eo signo intelligetur principium sufficienter indifferens ad utrumque actum.* Et factâ objectione in contrarium sic huic satisfacit: *sed contra* (inquit de Lugo) *quia si conceditur mutua prioritas in diverso genere causæ, non est repugnantia in eodem, ut Recentiores jam ingenuè fatentur loquendo de possibili-unde dicent Prædeterminantes ita de facto esse, nec poterunt impugnari*: Hactenùs Cardinalis subtilissimus.

Quod autem admittenda sit prædicta hæc mutua prioritas, ostendemus alibi cum Soto: cum doctoribus Facultatis Duacenæ ac Lovaniensis quibus potest adjungi ex eadem Societate Jesu Ripalda tom. 2. disp. 124. sect. 6. pag. 624. n. 43. *Esto* (inquit) *non repugnet ea mutua prioritas Physica....* Et

nu. 50. in fin. *Vt aliqua qualitas*) inquit) *jure censeatur proprietas formæ, sufficit illi, necessariò connecti, ipsamque subsequi intentione, licet executione antecedat, ut argnere est ex calore ultimò disponente ad formam ignis. At charitas cum gratia inseparabiliter connectitur, ipsamque semper intentione subsequitur, licet executione præcurrat: quia prior est intentio infundendi gratiam, quàm infundendi charitatem, eoque charitas prius infunditur ut tandem peccator mediâ contritione gratiam justificantem consequatur.* Et nu. 51 Accedit (inquit Ripalda) S. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 3. ad 1. asserens *Deum unicuique donare charitatem juxta dispositionem & preparationem sive conatum accipientis: sed hanc etiam dispositionem vel conatum* (inquit D. Thomas) *prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis, vel plus vel minus secundum suam voluntatem.* Item 1. 2. q. 112. ar. 2. in corp. *Loquendo* (inquit) *de Gratia secundum quod significat Auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quasi præveniens Divinum Auxilium: sed potius quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex Auxilio Dei moventis ad bonum.* Ergo etiam ex hoc capite est aliqua præparatio proveniens ex Dei Auxilio movente, quæ tamen in genere causæ materialis est prior illo: ut cum Soto alibi declaravimus exemplo flatus venti fenestram impellentis. Item legatur ibid. ad 1. & ar. 4. ubi ait: *qui magis se ad Gratiam præparat, pleniorem Gratiam accipit: sed ex hac parte non potest accipi prima ratio hujus diversitatis, quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium ejus præparatur à Deo.* legatur ibid. q. 109. ar. 6. & passim, & miraberis quomodo de hac mutua prioritate possint Adversarii dubitare, quæ vel sola in tuto ponit Thomistas, contra tam apertam falsitatem à tot annis tàm falsò illis impositam, quod scilicet eorum de Præmotione doctrina lædat libertatem.

Quicumque legerit Historiam, quàm composuit Ripalda de Scientia Media in Suorum Gratiam: mirabitur fortè quod de hoc Authore hic fecerim mentionem: At hîc Historiam non ponderamus, (cujus judicium, ex his quæ dicemus, erit penes lectorem) sed Historiæ rationem, sive quâ de causa, hæc disceptatio suscepta sit: istud enim sincerè aperuit Ripalda loco supra citato nu. 53. ubi ait, *Sub idem tempus Bannez & plerique alii ejus Discipuli in publicis disputationibus, privatisque sermonibus & scriptis, cœperunt notare sententiam istam Pelagianam, quod acerbè tulerint apud nostros malè tunc audivisse..... Contrà: Nostri (* id est Jesuistæ) *ut notam Pelagianismi suæ sententiæ vitarent: objiciebant oppositæ notam Calvinismi:* ex quo notatum velim, quô animo (hujus Authoris testimonio) objecta sit Dominicanis tetra Calvinismi nota.

Quô verò Dominicani in doctrinam Molinæ insurrexerint, aperit ipse Ripalda, eadem sinceritate pag. 528 editionis citatæ n. 85. *Negotio illo, quod Patres Prædicatores Provinciæ Castellæ Catholicæ doctrinæ retinendæ studio ac Zelo commoti, agebant in Hispania adversus multa contenta in dicti Patris Ludovici de Molina Societatis Iesu: potissimùm in libro de Concordia Gratiæ & liberi arbitrii, quem veram, sanamque doctrinam, minimè redolere putaverant, ad hanc Sedem devoluto: ejusdem Sanctæ Sedis judicium ac definitionem cupiebamus.* Scio hujus Authoris sinceritatem non placuisse multis: sed Divinâ providentiâ id factum esse existimo: ut innotesceret notam Calvinismi

Calvinismi Thomistis objectam, esse contra propriam eorum mentem qui sic loquuntur: à qua D. Thomæ doctrina est alienissima, non solùm Cardinalis de Lugo testimonio vel ex sola distinctione quam cum ipso admittit Ripalda: sed etiam judicio omnium Patrum Religiosæ hujus Societatis, qui floruerunt ante hujusmodi dissidium: quod certè nullum potest ferre præjudicium veritati tàm apertæ, qualis est Præmotio, pro quâ militant Thomistæ. Nemo igitur vertet vitio, quod ut Ripalda fatetur *solo Catholica doctrina retinenda studio ac zelo* à Dominicanis factum est, qui libenti animo patientur Molinæ doctrinam quandiu Ecclesia eam tolerabit, quæ certè non ita favet Religiosæ huic Cohorti, quin ex ea non pauci vellent plura numquam scripta esse à Molina. Et in hujus rei fidem, alia quædam proferre possem ex Mariana, ejusdem Religiosæ Societatis Authore, qui à Compilatore Baronii dicitur, *Scriptor celeberrimus*; & ab ipso Baronio tom. 9. ad annum 775. *Rerum Hispanarum nobilis Historiacus, vir doctus & pius*, quæ duo his quæ post ipsum & ex ipso dicemus, singularem conferre possent Authoritatem. Sed hæc interim sufficiant, donec plura à nobis exigat Eupistinus.

SECTIO II.

In qua dirimitur curiosa quæstio de Scientia Media: deque illius origine, examine, mente D. Augustini circa illam & D. Thomæ, aliisque scitu dignissimis.

Nu. 12. SUperest aliud Testimonium, omni exceptione majus, alienissimum ab omni studio partium, quoad Scientiam-Mediam, pro qua stabilienda tantùm tandiuque insudasse dicitur Henao: quod proindè majorem apud omnes authoritatem habere debet. Porrò hoc desumitur ex Religiosissimis & doctissimis patribus Salmanticensibus in 1. p. tract. 3. disp. 10. dub. 3. sect. 2. n. 67. *Primum est* (inquit hæc vox Multitudinis) *quod cum primò Molina librum suum de concordia gratiæ cum libero arbitrio in lucem edidit, in quo novum Scientiæ-Mediæ nomen & peculiarem, ratione illius modum conciliandi efficaciam divinarum prædefinitionum cum libertate creata typis mandavit; statim apud Summum Pontificem juridicè accusatus est: & licet de aliis delatus fuerit, de eis tamen in præsenti (ut omni ex capite decreto Sanctissimi Domini Pauli Quinti pareamus) nihil prorsùs, sed solum de eo, quod circa Scientiam-Mediam ab eodem Molina typis mandatam, contigit.*

Igitur delata causa ad Clementem VIII. designati ab ipso fuerunt triginta ad minus gravissimi viri, inter quos alii Cardinales, alii Episcopi, alii Regulares erant: ut omnes hi, eodem Summo Pontifice pro Tribunali sedente, tanquam Consiliarii & testes assisterent: cumque negotium per aliquot sessiones sic pertractatum, & tractatum fuisset ut argumenta à ratione, petita; similesque responsiones in medium adducerentur: compertumque esset, nihil hâc viâ concludi, quia dialecticis & metaphysicis terminis ac distinctionibus omnia obscura & incerta reddebantur: decrevit Spiritu Sancto, ut par est cre-

dere, suggerente: Clemens Summus Pontifex, ne deinceps causa hæc Catholica rationibus à lumine naturali per naturales scientias subministratis, tractaretur: sed solis Divi Augustini & D. Thomæ testimoniis, utpotè non aliunde quàm ex limpidissimis Sacræ Scripturæ, Traditionum, Conciliorum & Sanctorum Patrum fontibus desumptis, aut ex illis rectè deductis.

Secundò notandum est, quod cum facto hoc Decreto Patres Societatis se rationibus naturalibus destitui & ad sola testimonia Divi Augustini & fidelissimi ejus Discipuli D. Thomæ Aquinatis astringi cernerent: coacti sunt eò se convertere, ut niterentur ostendere Scienciam-Mediam esse de mente utriusque Sancti Doctoris, quamvis Molina in suo libro (pro cujus doctrina defendenda convenerant) ingenuè fateatur oppositum, nempè prædictam Scientiam-Mediam non esse de mente S. Augustini, sed ei ignotam, & ita deinceps anxiè curarunt prædictam Scientiam Mediam & efficaciam divinarum Prædefinitionum per illam regulandam D. Augustino & Doctori Angelico fuisse notissimam, multoties assertam, & clarissimè traditam, aut saltem non esse doctrinæ horum Patrum contrariam, aut dissonam.

Vnde summo studio (ut par erat) plurima & diversa testimonia Divi Augustini & D. Thomæ in medium toto illo, non parùm longo, ut jam dicemus tempore, coram Summo Pontifice & triginta gravissimis viris pro Scientia-Media protulerunt, & credibile valdè est, testimonia selectiora & quæ in omnibus operibus utriusque Sancti Doctoris possunt reperiri, ab eis oblata esse, & eximio ingenii acumine ad intentum probandum deducta, expensa & ponderata fuisse. Quoniam ad id ex Patribus Societatis designati fuerunt gravissimi & doctissimi Theologi, maximoque ingenii acumine pollentes, inter quos præcipuus fuit P. Gregorius de Valentia, vir eruditissimus & in Sanctorum Patrum lectione valdè versatus, ut egregia ejus opera in totam Summam D. Thomæ satis testantur. Cui, ut socii dati sunt eximii alii Theologi ex eadem Societate, ut P. Petrus Arrubal: P. Vastida: P. Salas & alii: quotique ad illum mittebantur, (ut fas erat) tùm manuscripti, tùm etiam impressi de hac materia codices, ab eminentibus, quibus Sacra Societas tunc efflorebat, semperque floruit & florebit, accuratè compositi, nota hoc Amice lector: *sicut etiam ex opposita parte, plura etiam egregia Augustini & Doctoris Angelici testimonia adducta sunt, quia ad hoc eximii & graves Theologi ex Dominicana Familia destinati fuerunt, inter quos astiterunt P. F. Thomas de Lemos vir maximâ sapientiâ præditus & in doctrina D. Augustini & D. Thomæ insigniter versatus: quem Magistri F. Franciscus de Avila & F. Ioa. Gonzalez insignes Theologi, comitati sunt, quos alii non inferiores, quibus Dominicana Familia semper abundat, tùm viva voce, tùm scriptis fovebant: & ex toto Ordine, præsertim ex Hispania, ubi primùm controversia hæc exorta est, multa & doctissima manuscripta ab aliis peritissimis Magistris mittebantur.*

14. *Tertiò notandum est, quòd in utraque parte hinc inde pro se allegante & diversa D. Augustini, & Angelici Doctoris testimonia in sui favorem, proferente, longum diuturnumque tempus in hujus causæ discussione, probatione; & ut sic dicamus, litis contestatione, consumptum est. Nam circa hoc, habitæ sunt quamplures Sessiones sub utroque Pontifice Clemente VIII. & Paulo V. adstantibus triginta illis gravissimis viris, & ex*

omnibus illis, uno vel altero excepto, cuncti alii eam sententiam protulerunt: nimirum, nec Augustinum, nec Doctorem Angelicum ullâ ratione docuisse Scientiam Mediam seu conditionatam, per quam Deus prævideat consensum v. g. voluntatis humanæ ut infallibiliter futurum, antequam actu habeat decretum efficax de illius futuritione; sed potiùs utrumque Doctorem sanctum prædictæ Scientiæ refragari, & absolutas præfinitiones Dei, independenter à prædicta Scientia, & salvâ libertate creatâ, docuisse.

Quæ omnia (inquiunt hi Patres Religiosissimi) *non ex proprio Marte adinvenimus; sed ea, à viris gravissimis, omni deceptione majoribus; de quorum veritate, nulla suspicio suboriri cordatè potest, accepimus. Quia tamen oppositus rumor ab aliquibus sparsus fuit, propterea ut omnis deceptionis morale periculum, quantùm in hac parte fieri potest, fugeremus, in Romana Curia peculiarem diligentiam & sollicitudinem ad hoc examinandum adhiberi curavimus, & diligentiâ ista adhibitâ comperimus rem ita se habere, sicut à gravissimis illis viris acceperamus: idque Romæ novissimè testatus est insignis quidam Theologus, qui omnibus Congregationibus à nobis recensitis attentissimè interfuit, & cuncta in eis acta diligenter notavit: & ne oblivione delerentur, illa scriptis fideliter commisit, quique non solùm maxima sapientia, sed egregiis virtutibus adeò floruit, ut post obitum suum plura ediderit miracula: & ut ejus testimonium adhuc firmius & omni exceptione majus maneat, testamur virum istum gravissimum octo diebus ante suum obitum, & antequam in morbum quo vitam finivit, incidisset, ac proinde dum in sacra Theologia & sanctitate maximè vigebat, ea quæ diximus, ingenuè fassum esse...*


15. *Ex quibus omnibus sequens deducitur ratio. Quoniam difficillimum creditu triginta illos viros adeò gravissimos unà cum summo Pontifice, ita intentè & per longum tempus, per tot Sessiones, omni passione (ut par est, de dictis viris credere) semota; & hinc illinc expensis, selectioribus Augustini testimoniis pro utraque parte, non solùm ea expensione, quæ ab eximiis Theologis adhibebatur, sed etiam addendo eis sæpè novas vires ex majori expensione, quæ unicuique ex his triginta viris pro sui ingenii acumine, & scientia occurrere poterat: difficillimum ergo creditu est triginta hos gravissimos viros simul cum Summo Pontifice, sic indigitasse mentem D. Augustini quoad Scientiam hanc Mediam, & quod nihilominùs eam assecuti non fuerint. At omnes illi* (nota, Lector,) *unô vel alterô exceptô, convenerunt cum Summo Pontifice non esse dandam prædictam Scientiam Mediam: ergo signum valdè urgens est, Augustinum non approbasse, sed potiùs reprobasse prædictam Scientiam.....* Lege ibid. quam illi addunt confirmationem, quæ nullum dubitandi locum relinquere potest: ad quam accedit adhuc hæc sequens.

Confirmantur prædicta omnia (inquiunt) nu. 72. *ex eo quod aliqui viri docti & Religiosi (quos Lectores Theologiæ Salmanticæ & Compluti in suis Collegiis agnovimus & consuluimus) nobis ingenuè aperuerunt, se aliquando Scientiæ Mediæ addictos, ejusque (ut sic loquamur) odore imbutos, coloreque affectos, lectioni Augustinianæ ex professo vacasse, ut ex ipso tanquam ex fonte mentem ejus haurirent, ipsiusque testimoniis Scientiam illam Mediam confirmarent: ex prædicta tamen lectione manifestè agnovisse Augustinum prædictæ Scientiæ valdè adversari, & pro opposita sententia stare. Et ideò antiquam illam sententiam de Scientia Media, quam ipsi imbuerant*

deposuisse, aliamque ei oppositam, quam antea respuebant, amplexatos fuisse; quia manifestè cernebant hanc, & non illam ubique Augustinum profiteri.

Quantùm verò ad Tridentinum spectat, lege quæ ibidem sequuntur, & sine dubiô miraberis, quî possint vel audeant Adversarii pro se Tridentinum citare, vel de ejus mente dubitare, vel Salmeronem in suum consortium revocare, quantùm spectat ad Scientiam Mediam.

Sed ad propositum redeamus. Nam hîc adhuc duo breviter attinguntur, quibus Adversarii hactenùs incautos ludificati sunt, quos in parte fideliter sequutus est Eupistinus. Primum quod dicunt & præcipuum est, quod scilicet ex Prædeterminatione peccatum foret (quod absit) Deo Opt. imputandum. Alterum, quod ipsamet Prædeterminatio læderet liberum arbitrium. Quare sit



CAPUT DECIMUM.

In quo, unô argumentô conficiuntur præfata duo monstra ab Adversariis conficta, quibus hactenus incautos deterruêre à sequenda Divi Thomæ doctrina, ubi & Authoritate Tridentini intacta ostenditur libertas creata sub ipsa gratia efficaci, ac subinde sub Præmotione physica.

Nu. 1. HOc argumento ex duobus tantùm D. Thomæ testimoniis deprompto, divinæ operationis efficacia satis exprimitur; quâ semel stabilitâ, ritéque intellecta, corruunt omnia Adversariorum argumenta, quibus ostendere videbantur præfata inconvenientia esse metuenda, ex præfata D. Thomæ doctrina.

Primum D. Thomæ testimonium habetur de verit. q. 23. a. 5. ubi ait: *Divina voluntas est agens fortissimum; unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundùm speciem, sed ut fiat eo modo quo, Deus vult fieri, vel necessariò, vel contingenter; citò vel tardè.*

Alterum legitur 1. p. q. 19. a. 8. ubi sanctus Doctor sic loquitur: *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quô Deus vult fieri.* Id est, vel necessariò, vel liberè, qua de causa (ut alibi diximus) Deus quibusdam causas necessarias præparavit, ut necessariò agerent. Aliis verò liberas aptavit, ut & liberè possent agere.

Porrò ex prædictis Divi Thomæ testimoniis, sic formatur argumentum. Causa efficacissima præmovens ad agendum agens liberum, nullo modo potest esse causa peccati aut defectûs, qui in illius actione reperitur, aut ejus nocere potest libertati: Sed Deus est causa efficacissima, ut patet ex citatis Divi Thomæ testimoniis, præmovens creaturam rationalem ad agendum, ut libro integro ostendimus. Ergo non potest Deus esse causa peccati, si aliquod esse contingat ex aliqua operatione rationalis creaturæ.

Major propositio, in qua una potest esse difficultas, probatur & explicatur quoad primam partem, scilicet quòd non possit Deus esse causa peccati seu defectûs in actione creaturæ reperti. Quò major est alicujus Agentis virtus seu activitas, eò purior est à potentialitate & à defectu remotior, qui in ejus operatione aut effectu reperitur. Quia hæc virtus seu activitas ex se nihil attingit in eo effectu, nisi id quod perfectionem & actualitatem participat, & à defectu recedit, ut fusè probavimus lib. 1. cap. 2. *Nova stella*. Rursumque magis declaratur ex Angelico Doctore, 1. p. q. 19. a. 8. exemplo patris, in quo si fuerit virtus fortis & perfecta, nascitur ei filius perfectè similis, non solùm quoad speciem, sed etiam secundùm accidentia. Omnis verò defectus seu dissimilitudo, non nisi ex imperfecta virtute, quæ in ejus erat semine, oritur. At virtus divina est efficacissima. Ergo impossibile est ut sit causa defectûs seu privationis debitæ rectitudinis, quæ reperitur in operatione aut effectu rationalis creaturæ.

Quis autem in infinita Dei virtute, ullum possit defectum concipere? Quæ si esset ab ipso, quantùm ipse potest, applicata creaturæ, ipsa nunquam deficeret, sed eam redderet Deus impeccabilem, sicut reipsâ reddidit Christi humanitatem.

2. Nec prædictis obstant quæ à Deo fiunt in rebus ad decorem Universi, & prout ipse est Author & Provisor universalis: immanè enim hæc duo ab invicem distant: quod scilicet Deus plus vel minus creaturas suas moveat, tam in ordine naturæ, quàm in ordine Gratiæ, secundùm justum æternæ suæ Sapientiæ judicium; & quod ex ejus motione, defectus oriatur in rebus: hîc enim sibi cavendum est, ab hac quæ dicitur *fallacia non causæ ut causæ*. Nam duo sunt totô cœlo differentia, nimirùm quòd reperiatur aliquis defectus in operatione vel effectu creaturæ à Deo præmotæ ad agendum; & quod defectus, ex tali motione Dei oriatur. Primum enim non rarò verum est; alterum verò semper est à veritate alienissimum. Quia, ut ritè ait D. Thomas, locô supra citatô, lib. 1. Stell. Cassyop. cap. 21. *Ars non est principium alicujus defectûs in rebus arte-factis*. Seu ut ait 1. 2. q. 57. a. 3. ad 1. *Cum aliquis habens artem operatur malum artificium, hoc non est opus artis, immò est contra artem: sicut etiam cum aliquis sciens verum, mentitur, hoc quod dicit, non est secundùm scientiam, sed contra scientiam.*

At Verbum (inquit D. Thomas) quô omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, & sine quo nihil omninò facere possumus; non solùm est, *ut habens artem*, sed est essentialiter *Ars Patris, plena rationum viventium, quas dum agit, imprimit rebus singulis*, ut post D. Dionysium loquitur D. Thomas. Ex quo satis patet quomodo defectus ex motione Dei minimè oriatur, sed ex voluntate creata deficiente.

Et quamvis defectus, non nisi in aliqua entitate reperiatur (sicut nec cæcitas, nisi in animali) quæ esse non potest, nisi ab Agente, sine quo nihil est: non tamen licitum est utrumque Deo, entitatem scilicet & defectum tribuere, ut patet tum ex dictis locis citatis, tum ex sequenti testimonio Angelici Doctoris in cap. 10. Joa. lect. 7. *Caïphæ autem, nec mentem (scilicet Deus) illuminavit, nec imaginationem; & ideò ejus mens & imaginatio ad malum intenta mansit: movit tamen linguam ejus, ut proferret modum, quô salus populi impleretur.*

Sancto Doctori conforme est sequens Divi Chrysostomi testimonium, homil. 64. *Vide*, inquit, *quanta sit virtus Spiritûs Sancti : à mente enim mala, valuit verba proferre Propheta .... ore solùm usa est, Gratia cor contaminatum non tetigit.* ubi os illud aureum ostendit Gratiæ efficaciam, attingere solam rationem entis, non verò defectum seu debitæ rectitudinis privationem, quæ cum sit extra sphæram activitatis (si sic loqui fas est) divinæ Omnipotentiæ, & extra lineam entis : hunc defectum longè minùs potest Deus attingere, quàm oculus corporis videns colorem poni, possit illius saporem aut odorem percipere.

3. Nemo igitur ex entitatis productione inferat causalitatem privationis, quæ non magis esse possit à primo Agente, quàm tenebræ causari possint à Sole. Legendus sanctus Doctor de Malo, q. 3. a. 1. ad 4. Et in D. Dionysium, cap. 4. de divinis Nominibus, lect. 13. sub finem; ubi inquirens quomodo Deus, cum sit bonus, valuit producere malum; ait : *Si voluit malum facere, quomodo potuit? Non enim calidum potest infrigidare, &c.* Quod fusiùs expendit sanctus Doctor his verbis : *Malum non potest esse ex bono; & si esset ex bono, non esset malum : unum enim contrariorum non est causa alterius .... Ex quo sequitur (inquit) quod bonum est causa solùm existentium, & quòd malum nullius existentis causa sit.* Rursumque, *Malum*, inquit, *non est in existentibus, quasi de numero existentium, aut pars aliqua aut proprietas existentis, sed magis ut recedens.* Id est, ut defectus qui provenit ex infirmitate seu imperfecta virtute agentis, ut allatô patris exemplô diximus.

Id ipsum confirmari potest ex D. Augustino, lib. 1. de Ordine, cap. 7. *Ut malum nasceretur* (inquit) *non utique Dei ordine factum est, sed cum esset natum, Dei ordine inclusum est.* Quod certè deberet sufficere ad obstruendum os quibusdam diffamatoribus doctrinæ Divi Thomæ, qui ex eo quod cum ipso dicamus à Deo creaturam præmoveri ad omne quod bonum est; dicunt consequenter etiam ipsum præmovere ad peccatum, quod est magis impossibile, ut dictum est, quàm tenebras produci à Sole. Peccatum enim est privatio debitæ rectitudinis in actu libero, seu defectus: (non verò effectus) nam deficit creatura peccando, non efficit. At ad defectum (cujus voluntas creata, diabolo suadente, est prima causa, quatenùs ex nihilo creata) nullus requiritur Dei concursus; nec potest Deus dici causa defectûs seu peccati, sicut nec Regula rectissima, quam dum non sequeris, & à qua volontariè aberras, educendo lineam, potest dici causa curvitatis seu obliquitatis ejusdem lineæ. Unde ritè dixit D. Augustinus, librô citatô de Ordine : *Non Dei ordine natum est malum, sed quando natum est (scilicet ex creata voluntate) Dei ordine inclusum est*, ut ex malo bonum aliquod educeretur à Deo : v. g. gloria Martyrum ex persecutione & nequitia Tyrannorum; & redemptio generis humani, ex passione Christi & sævitia Judæorum.

4. Quærunt hîc nonnulli cur Deus Optimus aliquos cadere sinat, cum impedire possit : & cur non semper conferat gratiam efficacem, quæ est sufficienti perfectior ac potentior, quâ invictè agerent homines quod beneplacitum est illi; idque absque ullo meritorum detrimento, cum sub hac gratia quantumvis efficaci adhuc essent liberi, ut docent Antithomistæ?

Non est nova hæc objectio, sed jam aliàs facta Sancto Prospero, ut ipse testatur lib. & cap. 1. de vocat. Gentium: *Quæritur*, inquit, *cur hoc donum, sine quo nemo salvus est, ab eo qui omnes salvari vult, non conferatur?*

Eandem moverat difficultatem S. Augustinus, lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 9. ubi loquens de primis Parentibus, ait: *Cur eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat.*

His ergo ex S. August. to. 3. de Genes. ad litt. lib. 11. c. 10. faciemus satis: *Posset (Deus) etiam*, inquit, *ipsorum (id est malorum) voluntatem in bonum convertere, quoniam Omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Puto autem paulò ante satis nos ostendisse, non parvi boni esse rationalem creaturam, etiam istam, quæ malorum comparatione cavet malum. Quod genus bonæ creaturæ non esset, si omnium malas voluntates in bonum Deus convertisset, & nulli iniquitati pœnam debitam infligeret: ac sic non esset, nisi solum illud genus, quod nullâ vel peccati vel supplicii malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum numerus minueretur.* Itaque dicendum est cum sancto Præsule, quod etiam alibi apud ipsum me legisse memini. Certum est oculos v. g. esse facultates longè perfectiores quàm aures: & tamen nullus nasci vellet cum quatuor oculis, & duabus carere auribus. Item multis perfectionum gradibus præstat calcaneo oculus: & tamen non esset bonum in corpore humano (inquit Doctor Angelicus) si tantam haberet subtilitatem ac teneritudinem calcaneus, quantam habet oculus. Igitur & injustè conqueruntur homines, quod Deus Opt. gratiam non semper conferat efficacem, sufficienti perfectiorem, quâ positâ nullus caderet, etsi cadere posset; quia nullus esset locus creaturæ, quæ malorum comparatione proficeret: seu ut ait sanctus Præsul supra laudatus: *Auctâ numerositate excellentioris generis, ipsorum generum numerus minueretur.*

Qui plura voluerit, his ac similibus querimoniis & quæstionibus sopiendis maximè concinna; legat sanctum Præsulem in Enchir. c. 27. to. 3. Item to. 5. lib. 11. de Civit. c. 18. quæ brevitatis causâ omittimus.

5. Quantùm autem ad alterum, nempè ad libertatem creaturæ, quam debemus servare illæsam, etiam sub Præmotione: certè non videntur unquam legisse D. Thomam, qui hoc audent vel in dubium revocare. Ipsum ergo saltem hac vice auscultent 6. Metaph. lect. 3. in fin. ubi ait: *Voluntas divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias: sunt autem differentiæ entis, possibile & necessarium; & ideò ex ipsa voluntate Divina originantur necessitas & contingentia in rebus.*

Ex quo patet quomodo causis liberis Dei Prædeterminatio nunquam imponat inevitabilitatis necessitatem, sed libertatis inevitabilitatem, cum sit vera illius causa, & qudem ita efficax, ut in iis quæ absolutè Deus intendit efficere, ejus intentio non possit deficere. Quis enim sibi persuadere valeat causam aliquam ex se radicaliter & immediatè libertatem profundere & efficere, & ipsius esse destructivam? Porrò libertatem creatam etiam actualem, esse à Deo, tanquam à Prima Causa Efficiente, quis negabit nisi Hæreticus? Sicut igitur non stat prædestinatum damnari, quam-

vis damnari possit : ita non stat à Deo aliquem præmoveri, seu efficaciter prædeterminari ad operandum liberè, & ipsum non liberè operari & agere. Neque possibile est causam aliquam concipere (qualis est Deus Opt.) quæ non tantùm libertatem, quantùm ad substantiam producit, sed & ipsum quem actu habet, dum agit voluntas creata libertatis modum; quin actu unoque intuitu concipiatur intacta libertas creata, tàm radicalis quàm actualis. Si enim, ut ait D. Augustinus lib. 2. de cor. & gra. c. 18. to. 7. *Nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona vel mala : bona verò voluntas ex nobis, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est; quod,* inquit, *absurdissimè dicitur.*

Nec quidquam novi hac in parte contra nos comminiscuntur Adversarii, quod olim ab Hæreticis objectum non fuerit, quibus os obstruxit D. Prosper de ingratis cap. 21. hunc in modum.

Hoc itaque arbitrium, cum sanat Gratia, tolli dicitis, & perimi vitâ aspirante, putatis. Quid mirum rabido si corde phreneticus æger, morbum amat & pellit Medicum? &c. Seu, ut ait lib. contra Collatorem c. 6. *Non est periculum, quod ex gratia Dei voluntas auferatur, cum in ipsa bonum velle generatur.* Sed quomodo generatur? Domino dante benignitatem, sine qua nullum fructum daret terra nostra : sive Deo agente actuali auxilio gratiæ, quô fit ut agamus sicut & dono gratiæ habitualis, verè dicimur agere posse. *Quomodo enim* (inquit D. Augustinus contra secùs sentientes, lib. de Gratia Christi, cap. 25.) *quod possumus benè agere, Dei est; quod autem agimus, nostrum est?* Rationem assignat D. Thomas, 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. *Licet voluntas sit causa sui motûs, non tamen est causa prima; & ideò priorem causam se moventem supponere potest, quæ non lædit, sed causat motus voluntarios, sicut & naturales.* Non tantùm igitur causat Deus potentias & facultates, sed etiam potentiarum & facultatum motus & operationes. At omnis causa est prior effectu.

6. Denique quia nullum habere possumus majoris ponderis argumentum quàm ex Tridentino : & sicut ex illo evidenter probavimus lib. 2. Stellæ Cassyop. cap. 9. Prædeterminationem : ita ex eodem hîc efficaciter demonstrabimus sub illa remanere intactam creaturæ rationalis libertatem: hoc argumento.

Eô ipsô quod voluntas creata, ut physicè ad unum præmota dissentire potest, si velit; hôc ipsô etiam manet libera. Sed ex Tridentino voluntas creata physicè ad unum præmota & prædeterminata, dissentire potest, si velit. Ergo ex Tridentino manet voluntas libera, etiam sub Præmotione physica. Major probatur ex Trident. sess. 6. cap. 4. asserente liberum arbitrium etiam ut motum & excitatum posse adhuc dissentire si velit. Sed ibi loquitur Concilium de libero arbitrio moto Præmotione physicâ. Ergo juxta mentem Concilii manet voluntas libera ut physicè præmota, & potest dissentire si velit. Minor etiam probatur. Concilium docens liberum arbitrium à Deo motum, posse si velit dissentire : hoc dixit contra Hæreticos nostri temporis, ex quibus nullus unquam, ut fatetur ipse Suarez, negavit motionem moralem; aliàs semetipsos communi omnium mortalium irrisioni exposuissent, omnem evertentes Philosophiam solo vel sensu communi omnibus notam, asserentem, *nihil esse amatum, nisi præcognitum.*

Nostram

Nostram Conclusionem fusè probat ipse Suarez quoad substantiam, p. 2. lib. 5. cap. 37. ubi prædictâ ratione convictus, palam fatetur, Tridentinum loqui de Gratia efficaci. Secùs (inquit Suarez) *diceret Calvinus, quòd licet posset (scilicet liberum arbitrium) abjicere inspirationem, non verò aliam motionem : & ideò non liberè consentire.* Additque idem Suarez ibid. *Hinc ergo concludo Concilium loqui etiam de Gratia efficaci.*

7. Defendunt ergo Thomistæ libertatem creaturæ, sed eô, quô par est modô: nam peccant per defectum, qui libertatem destruunt; nec minus graviter delinquunt per excessum, qui eam nimis extollunt.

Consulant Sanctos Patres Adversarii, ut ab ipsis discant quò, homines impulerit hęc nimia ambitio libertatis, nimirùm usque ad negandum Deum, vel saltem perfectam illius providentiam, teste Psalmistâ: *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Et rursum: *Viduam & advenam interfecerunt, & dixerunt : Non videbit Dominus.* At primus insipiens (inquit Chrysost.) fuit diabolus, qui primus in Paradisi deliciis existens, veræ libertatis creatæ jura temeravit, dum suam, ut ostendimus contra Fuliensem, nimis efferre tentavit.

Discant igitur Adversarii medium sequi nobiscum, quod tenuêre Beati, suamque libertatem non æquare libertati increatæ, ne & ipsi sint ex eorum numero, qui existimant (inquit D. Augustinus) se non esse liberos, *si vel Deum ipsum, habeant Dominum.*

SECTIO UNICA.

Vindiciæ Thomistarum ex ipso P. Annato, etiam contra hæreticam sensûs compositi & divisi *expositionem; ubi iridem quidpiam aperitur maximè ponderandum circa libertatem creaturæ.*

8. ANtequam huic Capiti finem imponamus, unum sese offert, quô Thomistis infertur plaga adeò enormis, ut insons esse non possit quicumque sciens & prudens injuriam tam gravem & atrocem non repulerit. Et quamvis decrevissem in hoc opere me ipsum exhibere tanquam hominem injurias nobis illatas ab Adversariis penitùs non audientem; tamen hæc quæ hic occurrit, vel potiùs quæ jam centies confutata recurrit, eò gravior est, quò mollitus sermo super oleum, prætextu speciosæ cujusdam ac justæ petitionis, validius simulato silentio, omnes Divi Thomæ Discipulos confodiat quocumque jaculô. Porrò quàm injustè & immeritò statim apparebit.

Scripserat P. Annatus (ad quem tam frequenter recurrit Eupistinus) de Scientia Media, cujus occasione hæc ait: *Nonne est justa Defensorum Scientiæ Mediæ petitio, qui post tam longam tot annorum altercationem, adhuc quærunt quæ sit reipsâ differentia inter Adversariorum & Calvini doctrinam, in ea precisè dubitatione, quâ petitur, sit ne aut non sit in homine, liberi arbitrii usus aliquis?*

At quid gravius dici potest de viris publicæ Christianorum institutioni ex voto ac professione deputatis, quàm illos traducere, non solùm tanquam de hæresi suspectos, verùm & quantùm ad doctrinam, & in eo quod caput est,

in nullo differentes ab ipsis Hæreticorum Patribus & Patronis?

Sed justô Dei judiciô factum est ut ipsemet P. Annatus ab hac criminatione Thomistas absolverit, ac innocentiæ nostræ apologiam texuerit. Nam in quodam suo libro apud *Cramoisy* anno 1664. Parisiis edito, cui titulus est, *La Conduite de l'Eglise*, non tantùm unam differentiam inter Thomistas & Calvinistas (quam tunc se non invenire dicebat) sed decem & octo discrimina seu differentias observavit, ac ipsemet prosequutus est à pagina 214. usque ad paginam 264. Cui una pagina 241. potuisset sufficere, in qua relatis ab ipso plurium Thomistarum testimoniis, evidentissimè apparet Thomistas inter & Calvinistas, non majorem esse conventionem, quàm Christi ad Belial, seu lucis ad tenebras. Quid ad hæc, Candide Lector?

Certè quidpiam hîc tanquam miraculosum intueor; nam per annos ferè viginti summis laboribus ac vigiliis insudaverat vir Religiosissimus P. Annatus in concinnando volumine integro pro tuenda Scientia Media, quâ ritè semel stabilitâ, necesse fuisset Præmotionem physicam exulare (eo siquidem fine à suis Authoribus tanto calore propugnatur) nec toto hoc tempore, tantâ curâ & sollicitudine, vel unum potuerat dictus P. Annatus discrimen deprehendere Thomistas inter & Calvinistas: quare Scientiam hanc Mediam veluti omninò necessariam magis magisque urgebat. At ubi primùm fuit ille assumptus ex prædicta Societate, ut Regi Christianissimo à sacris Confessionibus adesset, tanto diù desideratæ lucis splendore illicò circumfusus est, ut fateri coactus sit, in oculis Solis hujus, nullam esse convenientiam inter nos & Hæreticos, annotatis inter nos & illos octodecim discriminibus.

Hoc non debebat dissimulare Eupistinus, sicut nec ejusdem R. P. Annati paginam 245. ubi præter cætera, sufficientes ostenduntur Thomistarum vindiciæ contra Calvinisticam *sensûs compositi & divisi* explicationem; quam tamen Eupistinus & alii Antithomistæ non erubescunt, etiam nunc, nobis imponere.

9. Verùm quia ad R. P. Annatum pervenimus, ipsi quoque faciendum est satis. Ille siquidem volens ad libertatem non sufficere potentiam ad oppositum in sensu diviso, etiam ritè intellecto (quæ distinctio est necessaria, etiam in Adversariorum sententia) asseruit ad rationem libertatis necessarium esse re ipsâ *Actum oppositum*; sive loco illius *ipsum non agere* cum prærequisitis ad agendum componere: id est, cum voluntate adjuta auxilio gratiæ. Ita ille de Scientia Media, Tolosæ impressa, disp. 1. n. 115. ubi ait: *Ostendo igitur requiri ad libertatem, ut cum omnibus prærequisitis possit componere non actionem, & facere ut simul sint.* Et ibid. nu. 119. ait *Actum oppositum æquivalere (non agere.* Ita ille. Sed inde præter alia quæ possunt inde inferri inconvenientia, sequitur primò, Gratiam sanctificantem simul esse posse cum peccato mortali. Quod sic ostendo. Præcipiat Deus justo, ut producat actum amoris. Ut justus ille possit juxta prædictam P. Annati doctrinam liberè actum illum producere, necesse est ut possit componere *non actum dilectionis* cum prærequisitis ad diligendum, scilicet cum voluntate adjuta auxiliô Gratiæ: sed *illa non actio, seu non dilectio tunc præcepta* est peccatum. Ergo Gratia & peccatum mortale sunt simul tunc in illo justo, vel saltem esse possunt. Quod est contra omnes Theologos, & contra apertam veritatem.

Secundò, ex eodem R. P. Annati principio ritè infertur Deum non posse

Beato impeccabili præcipere, ut aliquem actum liberum eliciat. Ratio est, quia non potest componere cum Dei præcepto *non actionem, vel actum præcepto oppositum*, prout Annatus faciendum exigit, ut quispiam Beatus liberè possit agere, seu actum aliquem liberum circa creaturam exercere.

Tertiò, sequitur nullam à Deo liberè produci posse creaturam: nam ad ejus productionem requiritur Dei scientia (quæ est causa rerum) accedente ejus voluntate: sed cum his prærequisitis non potest Deus componere *non actionem* quæ est impossibilis cum decreto Divinæ voluntatis. Etenim ista duo sunt æqualiter impossibilia: *Deus vult justum salvari, & iste damnabitur.* Et *Deus vult liberè creaturam producere, & illa non producitur.* Sed primum est impossibile juxta D. Thomam de verit. q. 23. a. 5. ad 3. & unanimem sententiam omnium Theologorum. Ergo & alterum.

Sed non potest dissentire, nisi qui consentit (inquit R. P. Annatus locô supra citatô.) Ergo (inquit) potest dissensus actu componi cum prærequisitis ad consentiendum; id est, cum voluntate creata liberè actu per Gratiam & cum Gratia, consentiente.

Verùm quid sit sentiendum de hac instantia, judicet Lector ex argumentatione simili: *Non potest mori nisi qui vivit: ergo potest vivens mortem cum vita componere (quod nulli unquam venit in mentem) quæ enim componuntur simul ponuntur, & necesse est, ut unà ac semel sint. At quis formam aliquam esse dicat simul & semel cum sui privatione?*

Sed aliud nos manet sub finem illustrius argumentum dissimulationis Eupistini, vel potiùs obfirmatæ voluntatis quam videtur habere, in ævum resistendi.



CAPUT UNDECIMUM.

Præter Gratiam sufficientem, est & alia per se efficax, quâ positâ, è medio tollitur Scientia Media, & ultimum Adversariorum infringitur repagulum.

Nu. 1. QUIDQUID hac in parte hactenùs scripserunt Antithomistæ, eò solùm tendebat, quò viam sibi sternerent ad negandum Gratiæ per se efficacis auxilium; quod ipsis fuit lapis offensionis, prætextu tuendæ libertatis, quasi verò hæc Gratia esset ipsi contraria. Nunc verò ita receptum est in Ecclesia hoc Gratiæ auxilium, ut de ipso vix fas sit dubitare: siquidem præter Scripturam (cujus nonnulla statim subjiciam testimonia) id satis annuit, vel potiùs declaravit Alexander VII. Cum enim ad ipsum Illustrissimus Convenarum Episcopus Dominus Gilbertus *de Choyseul*, suo & Ecclesiæ Gallicanæ nomine, quosdam articulos super hac re transmisisset, cujus doctrina Gratiæ per se efficacis in sensu Thomistarum docetur, hos benevolo animo suscepit Summus Pontifex, ipsique gratulatus est, sicut & aliis Galliæ Præsulibus, quòd suô exemplô, operâ & consiliô plures ad sanam doctrinam de aliquo Gratiæ auxilio per se efficaci fuissent reducti. Et hac occasione 29. Julii

1665. Breve direxit speciale ad eosdem, quod ita incipit, *Venerabiles Fratres*. Ex præfatis verò articulis hic erat primus: *Cum ex Sancti Augustini sententia, quam tota Divi Thomæ Schola defendit, Gratia efficax voluntatem indeclinabiliter & infallibiliter citra tamen necessitatem, vi divinæ motionis flectens & determinans ad singulos Christianæ pietatis actus necessaria sit, nunquam contingit, ut vel oremus sicut oportet, nisi cum ea operatur ut oremus, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum* .... Fusiùs hac de re Gonetus tom. 1. pag. 359. edit. in fol.

Probatur ergo prædicta Gratiæ efficacia ex Scriptura, quæ D. Bernardo teste, *est speculum veritatis, quod nemini blanditur, neminemque palpat*, Seu ut loquitur D. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 65. *Est fidelis speculi nitor, nullius accipiens adulandam personam.*

2. Scriptura autem de voluntate Dei absoluta, ait Esther 13. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare Israël.* Iterumque ibid. *Dominus exercituum tu es, nec est qui resistat Majestati tuæ.*

Ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet?* Isa. 14. *Dominus Exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Manus ejus extenta, & quis avertet illam?* Item cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, Et cap. 14. v. 24. *Iuravit Dominus Exercituum dicens: Si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, sic eveniet.*

Sap. 16. v. 16. *Manum tuam effugere impossibile est.* Item nu. 24 de Balaam dicitur, *quòd irruente in eo Spiritu Dei, assumptâ parabolâ*; benedixit iis quibus volebat Balac maledici: & inde irato Rege, ipsi respondit Balaam: *Nonne Nuntiis tuis quos misisti ad me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare sermonem Domini, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo; sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar.* Et cap. 25. *Num*, inquit, *aliud possum loqui, nisi quod jusserit Deus?* Et Ps. 74. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Et Isa. 54. *Verbum meum non revertetur ad me vacuum.*

3. His præmissis, sic argumentor. Cum Gratia sit executrix æternorum Dei Decretorum, seu Divinæ voluntatis: talis debet censeri, qualis voluntas Divina nobis ex Agyographis divinitùs significata innotuit. Sed Agyographi (ut patet ex citatis Divinæ Scripturæ testimoniis) talem nobis exhibent absolutam Dei voluntatem, ut ipsa invincibiliter efficiat, quidquid absolutè intendit efficere: ita ut in eam nemo prævaleat: vel prævalere aut ipsi resistere possit. Non possit (inquam) potentiâ consequenti, & in sensu composito, secundum quem, ut alibi diximus, intelligendum non est Tridentinum: sed juxta, *sensum divisum* juxta quem, sine ullo Scripturæ præjudicio, definivit contra Calvinum, *liberum arbitrium motum & excitatum, posse dissentire si velit.* Ergo talis est & ipsa Gratia.

Nec possunt amplius Adversarii Lectoribus illudere pravâ expositione & intelligentiâ *sensûs compositi & divisi*, quàm usque modò Thomistis imposuère: nam teste P. Annato, libro cui titulus est, *La Conduite de l'Eglise*, paginâ 245. ait: *Et puisqu'il veut que pour un plus grand éclaircissement nous ayons recours aux Thomistes, qui ont traitté de la Predetermination physique; j'en suis content; je l'ay déja fait, j'ay eu recours à celuy qui en a plus écrit, & avec le plus d'approbation de ceux de son party. Ie treuve*

qu'il juge que cette maniere d'explication du sens composé & divisé, est de l'invention de Calvin. C'est Didacus Alvarez, au lieu que j'ay cité cy-devant. Sensus compositus non est ille qui in argumento insinuatur; quod videlicet quando Gratia est in voluntate, non possit voluntas non agere: ablatâ verò motione, possit non agere. Hic sensus (inquit) confictus fuit à Calvino.

Major prædicti argumenti per se patet. Minor etiam fit manifesta ex Scriptura absolutam Dei potestatem prænuntiante, quam jam satis contra Fuliensem insinuavimus, demonstratâ motionis moralis, concursus simultanei aut indifferentis ad bonum & malum insufficientiâ, præter quos concurrendi modos aliosque ibi designatos, nihil superest, nisi ut dicamus gratiam aliquam esse per se efficacem, quâ Deus Opt. (cujus intentio deficere non potest) operatur quidquid vult tam in Cœlo quàm in terra; tam in Angelis quàm in hominibus, juxta illud: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Et Prov. 21. *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ergo, &c.

Unde testibus Tannero & Paulo Leonardo Societatis Jesu Scriptoribus, 1. 2 disp. 6. q. 1. de gra. dicere non audent ampliùs Adversarii, *Gratiam fieri efficacem per creaturam*; ne tam manifestè resistant Apostolo dicenti: *Quis te discernit?* Quod illorum nonnulli cautè conantur restringere ad *solum æternum Dei decretum, & ad ordinem intentionis tantùm.* Quô subterfugiô in aliud relabuntur præcipitium, quô velint, nolint fateri cogantur, *melius esse id quod ipsi efficiunt in semetipsis in negotio propriæ salutis, quàm quod Deus ipse in eis efficit*, quodque jam laudato Divi Augustini testimonio, ac communi Sanctorum Patrum suffragio, *absurdissimum judicatur.*

4. Confirmatur, magisque ex Sanctis Patribus præcedens argumentum explicatur. Et quidem ex D. Augustino, lib. de cor. & gra. cap. 14. *Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Lege totum hoc caput cum 18.

Idem evidenter innotescit ex Angelico Doctore in hæc verba Genes. c. 32. (Tetigit nervum femoris ejus) *Ut*, inquit, *efficaciam virtutis per quam facillimè potest prævalere, sensibiliter experiretur, etiam tunc cum Deo prævalere videretur.* Legendus sanctus Doctor 2. 2. q. 24. a. 2. Et 1. p. q. 19. a. 8. Et de veritate, q. 23. a. 5. & 3. contra Gent. capitibus 94. & 98.

Confirmatur secundò ex S. Prospero ad Ruffin. *An dicendum*, inquit, *voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros tamque intractabiles horum hominum mores, ut Evangelium ideò non audiant, quia prædicationi impia corda non pareant? Et quis istis corda mutavit, nisi qui finxit sigillatim corda hominum? Quis hujus rigoris duritiam ad obediendum mollivit affectum, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare?*

Idem non minùs efficaciter jam probaverat sanctus Præsul lib. cit. de cor. & gra. c. 12. his verbis: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.)* Quod magis magisque roboratur ex eodem sancto Antistite in Enchyr. cap. 55. ubi ait: *Efficacissima Dei voluntas multa potest, quæ non vult; nihil autem vult, quod non possit, juxta illud (Omnia quæcumque voluit, fecit, &c. Quod utique non esset verum, si aliqua voluit, & non fecit. Et quod indignius est, ideò*

non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, hominis voluntas impedivit. Legendus ibid. S. Præsul cap. 97. ne ipsum omninò exscribere cogamur.

5. Non aliter loquitur Mellifluus Doctor D. Bernardus serm. 7. in Cant. *Quæris* (inquit) *unde per se efficacem Gratiam noverim? Ex illius effectibus nedum agnosco, sed quotidie experior. Viva est & efficax, moxque ut intùs venit, expergefacit dormitantem Animam meam: movet & emollit, vulneratque cor meum quoniam durum, lapideumque erat & malè sanum: incipit quoque evellere & destruere: ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare: clausa reserare: frigida inflammare, nec non mutare; mittere aspera in vias planas, &c. Ex illius igitur effectibus adeò admirandis, stupendam illius potentiam adverti.*

Idipsum confirmari posset ex S. Cyrillo lib. de Adorat. asserente præter Gratiam sufficientem, esse & aliud Gratiæ auxilium fortius *quàm ut malum præsens & violentum prævalere possit.*

Et ad perfectam horum omnium convictionem, poterit quilibet studiosus legere Concilium 2. Arausic. c. 3. & c. 6. ubi & apud Angelicum Doctorem 1. p. q. 19. ar. 6. fundamentalem horum reperiet rationem, quæ est Universalitas Primæ Causæ, à qua id quod videtur recedere secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: unde merito jure ait D. Augustinus de spirit. & litt. c. 32. *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideò tamen eam vincunt, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt & ita voluntas Dei semper invicta est.* Seu ut loquitur D. Fulgentius ad Trasym. *virtus illa (scilicet Dei) insuperabilis est.*

Mirum in modum, hoc secretum rimari studuit S. Augustinus in Enchy. cap. 100. omninò legendus; & alibi passim: ubi apertè ab ipso ostenditur, quî voluntas Dei, aut à nobis, aut de nobis semper impleatur.

SECTIO UNICA.

Solvitur argumentum quod sequitur ex prædictis: ac refutatur quod falsò imponitur Thomistis à Molina, qui Domesticorum judicio damnatur.

Nu. 6. Dices adversus prædicta: Sub Gratia efficaci ad unum Prædeterminante; asserunt quidem Thomistæ potentiam ad actum oppositum remanere in homine prędeterminato: quam ipse numquam reducet ad actum; quod tamen videretur necessarium, saltem ut suam experiretur libertatem, vel ob aliquam aliam rationem: Ergo (inquiunt Adversarii) frustrà & chymerica est hæc potentia.

Respondeo neg. conseq. quæ non provenit nisi ex hoc falso principio, scilicet infœlici potentia peccandi, quam Adversarii existimant ad rationem libertatis pertinere: qua in re, eò frequentius in modo loquendi labuntur, quo promiscuè à potentia naturali ad bonum & malum indifferente, fit transitus ad moralem, quæ est tantùm boni, seu ejus quod licitè & secundum Deum potest fieri. Quod interim notatum velim.

Explicatur. Nemo ambigit quin Titius v. g. habeat potestatem diligendi Deum, & dandi eleemosinam indigenti. Item quin habeat potestatem eruendi sibi oculos, aut nudus per plateas discurrendi. Quin & Mercator tempestate quassatus, merces suas conservandi integra adhuc facultate potiatur. At si Titius sive ut suam experiatur libertatem, sive ob aliam quamcumque rationem eruat sibi oculos; non idcircò magis liber, sed furiosus & crudelis reputabitur, sicut & fatuus si per plateas nudus incedat. Idem fiet de Mercatore judicium, si avaritiâ occupatus, malit cum suis mercibus perire, quàm vitam servare, quod potuisset (ut supponitur) si navim exonerare voluisset.

Item dicimus Petrum v. g. sic esse per Gratiam efficacem ad obediendum Deo præmotum; ut simul habeat potentiam ad oppositum, quæ tamen numquam reducetur ad actum, quandiu hæc Gratia ejus affectui dominabitur, quæ ab illo potestatem dissentiendi non tollit, sed voluntatem, quam sic Gratia disponit, ut dissentire nolit. Quod si Petrus tantâ corripiatur amentiâ, ut Deum deserat voluntate mutatâ & per peccatum corruptâ; non ideò reputandus est ille liberior sed miserior. Nihil ergo repugnat nos sub Gratia efficaci habere potentiam ad actum oppositum, quem tunc non producat (propter incompossibilitatem actuum oppositorum) & voluntatem dissentiendi, quæ non dissentiat. Non enim requiritur ad rationem potentiæ, ut actu dissentiatur, nisi tum affectus gratiâ insertus, miserè per peccatum corrumpitur & avellitur voluntasque mutatur.

7. Sed iterum dices Titium posse quidem velle, sed nolle sibi oculos eruere, ne crudelis in se efficiatur, & amens judicetur. Nos quoque dicimus, Gratiâ efficaci donatum, nolle Deum deserere; quem si deserat, amentior & crudelior meritò reputabitur. Sed quare non vult Titius (saltem ut suam experiatur libertatem) oculos sibi eruere? Quia amore sui fortiter retrahitur, ne in tantam amentiæ crudelitatem devolvatur. Nos quoque & idipsum dicimus. Ac subinde inquirimus an potentior sit amor sui æstimandus, quàm amor Dei: qui in corde justi similem effectum suaviter operatur. Idem dicendum est de Mercatore, qui quandiu divitiis ultra modum adhærebit, numquam illas abjiciet: at si semel ad cor redierit, & judicet (ut par est) vitam divitiis esse præferendam; mutatâ priori voluntate, illas sponte projiciet naufragio imminente, semper remanente eas conservandi liberâ facultate, quam non nisi culpabiliter ad actum reduceret, sinendo se tum ipsis perire.

At id quod diximus de Titio & Mercatore prudenter agentibus, universim debet intelligi de omnibus, quos nimius voluptatum, honoris aut divitiarum occupabat affectus, qui adveniente Gratiæ per se efficacis auxilio, immutatur à Deo, fortiter ac suaviter omnia disponente, novo alio affectu per Gratiam immisso, quô à rebus, quibus priùs inhærebat, abhorret animus, integram circa illas retinens potentiam, quæ licet magis libera sit quàm facultas Mercatoris, merces in Mare projicientis naufragio urgente: numquam tamen illam ad actum reducet, quandiu ipsi aderit & dominabitur affectus per Gratiam productus à dissentiendo retrahens.

8. Quod expressit D. Thomas exemplo lapidis, cui Deus tantum daret levitatis, quantùm priùs habebat gravitatis: & hæc est mutatio dexteræ Excelsi, de qua loquitur Vates Regius, quâ fit ut jam non placeat vel displiceat, quod anteà tantoperè placebat. Quia cum ut amori tuo v. g. indul-

geas, res suscipis difficiles & arduas: aut non laboras, aut laborem tuum amas, propter gaudium & voluptatem, quæ certè major est mentis, quàm ventris, ut D. Augustinus ait: Verùm, quî istud gaudium non amares, aut ipsi resisteres, (quamvis eidem semper resistere possis) cujus Gratiâ, ipsis resistitur suppliciis gravioribus, & mori pro Christo lucrum æstimatur?

Et hæc est vera D. Thomæ & S. Augustini sententia, qui ut ritè ait quidam Modernus, ipse priùs fuit miraculum Gratiæ quàm Defensor, qui non solùm sui temporis inimicorum Gratiæ audaciam fregit; sed & de futuris quoque, anticipatione quâdam victoriæ, ut palmam Gratiæ in omnia sæcula extenderet, triumphavit: verumque lumen horum duorum Candelabrorum lucentium, quô verè ac legitimè contra omnes hæreticos liberum hominis arbitrium defenditur quantùm postulat æquitas, ejusque contra Dei Gratiam temeraria præsumptio expugnatur. Ex his apparet 1. Thomistas nihil docere de Gratia per se efficaci, cui non suffragentur totius naturæ ritè institutæ consensus, & praxis cujuscumque hominis, qui aut condignè de Deo sentire, aut rebus suis piè prudenterque prospicere velit.

9. Secundò etiam patet quàm alienum sit à veritate id quod Thomistis imponit Molina Lugduni editus an. 1622. q 14. ar. 13. disp. 18. memb. 4. dum ait *Concursus ex se efficaces non esse admittendos, quoniam qui illos constituun:; affirmant: sine illis voluntatem non posse elicere actum bonum: & illis præsentibus, non posse illum non elicere*, utrumque enim falsum est: nec magis verum est, quod ibid. asserit his verbis. *Eâque de causa expediens non fuit, ut Deus illis provideret per concursus efficaces, sed per eos, quos reddere efficaces ad opera, penderet ab ipsis creaturis libero arbitrio præditis.* Si quidem hæc omnia destruuntur per ea quæ supra diximus. Sane mihi Molinam legenti; non commentaria, pro doctrina Divi Thomæ enucleanda; ipse edidisse visus est: sed perpetuam instituisse artem contradicendi eidem; dum ait ibidem, peccandi potentiam pertinere ad libertatis rationem etiam in Christo, *& habuisse voluntatem perinde liberam ad implenda aut non implenda præcepta, quæ sub culpa obligabant, ac si in Christo, gloria Animæ non fuisset quoniam id ita erat necessarium ut posset mereri.*

Candide Lector, tria hæc prædicta, doctrinæ Divi Thomæ adeò contraria, ex uno sunt Molinæ supra relati articulo excerpta: & tamen ex omnibus Molinæ operibus, (si fides Eupistino adhibeatur) *ne quidem apex potest auferri:* verùsque vult haberi ipse Molina Divi Thomæ commentator & Discipulus; penes te igitur sit æquum ea de re judicium.

10. Hic uni Molinæ possem Sanctum Ignatium de Loyola & 20. alios Religiosos hujus Societatis alibi Laudatos opponere, sed mihi modò sufficiat duos tantùmmodo ejusdem instituti adducere. Primus erit Cornelius à Lapide ex cujus editione Antuerpiæ factâ legitur id quod sequitur in Act. Apost. c. 9. in expositione horum verborum (Saulus spirans minarum & cædis.) *Unde* (ait Cornelius) *S. Chrysostomus miratur Dei potentiam & Gratia Christi virtutem, utpotè quæ Paulum ferocientem & furentem in ipso æstu furoris stetit, fregit & immutavit: nec expectavit donec hic sæviendo subsideret: ut ostenderet* (inquit) *Potentiam suam vincens & superans Persecutorem in media insania....* Et ne pro libertate, quis sibi inde metueret ex efficacia Gratiæ: utramque ibid. explicat Cornelius ex Sanctis Patribus & ad mentem Divi Thomæ adversus hæreticos.

Alter

Alter erit Mendosa tom. 2. Lugd. 1626. in lib. 1. Regum c. 7. pag. 476 ubi ait: *Ad Gratiam prevenientem omninò primam, nullam requiri aut sufficere dispositionem ex parte hominis, juxta illud: Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant Isa.* 65. citatque D. Paulum, quem maximè indispositum Deus excitavit, ut D. Augustinus lib. de gra. & lib. arb. c. 6. ritè observavit. *Quia (inquit Mendoza) Deus potens est quamlibet voluntatem quamtumvis indispositam & in suis peccatis obstinatam ad Gratiam excitare, neque enim hoc sine impietate negari potest, ut D. August. in Enchir. c. 10. passim testatur: quia veritas est de fide in Conc. 2. Arausic. c. 4. definita, condemnante eum qui dixerit Deum expectare voluntates nostras ut à peccato purgemur.* Lege totum ibidem.

Item in lib. 1. Regum tom. 3. c. 10. Lugd. 1631. pag 127. explicans efficaciam Gratiæ, citat ut supra D. Augustinum tom. 7. de Correp. & Grat. c. 14. asserentem Deum non traxisse invitos ad sequendum Saülem, sed tamen efficacitet promovisse, *hoc*, inquit, *non fecit nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quid ad hæc mi Eupistine: quomodo verum est quod asseris, *totam Societatem esse contrariam Thomistarum doctrinæ?* Per te ergo periit tota Societas (quod absit) nam si ab ea separaveris Sanctum Ignatium, omnesque alios alibi meritò laudatos, doctrinæ Divi Thomæ hac in parte addictissimos: ipse separasti Caput, ossa ac nervos ab hoc Corpore, quod subinde procumbere necesse sit. Sed ad ultima castrorum munimenta properemus.



CAPUT DVODECIMUM.

In quas tandem Antithomistæ acti sint angustias circa efficaciam Gratiæ. Et præcipuum eorum præcluditur subterfugium prævisionis circumstantiarum.

Nu. 1. EO tandem devenêre Thomistarum Æmuli in explicatione Divinæ Gratiæ; ut hanc dixerint, nuncque contendant suam ex se efficaciam minime habere: sed illam tantummodò mutuari ex congruitate temporis aut loci, vel etiam ex dispositione personæ: quam dispositionem Deus potissimùm observare, aut etiam expectare teneatur, ne lædatur libertas creaturæ.

Hic non negamus (id quod fit ut plurimùm) quin ipsum quem Deus Gratiâ sufficienti sensim disposuit, hunc eumdem potentioris gratiæ subsidio, adjuvet & perficiat ut rectè operetur, ejusque opus ad effectum & finem debitum perducatur: qui est proprius Gratiæ efficacis effectus. Sicut & in ordine naturæ aliquos Deus paulatim sanat infirmos; alios verò repentè; ut Socrum Simonis, quæ licet magnis febribus laboraret, statim tamen ad imperium Christi ita convaluit, ut continuò ministrare sufficeret.

At, asserere, ut volunt Adversarii, nullam esse Gratiam per se effica-

cacem; sed omnem illius efficaciam dependere ex congruitate & circumstantiis loci aut temporis, vel etiam ex dispositione personæ, cujus genio, indoli & inclinationibus Deus studere, & quas prospicere aut expectare teneatur, ut gratia suum effectum sortiatur, seu ut fit, verèque efficax dicatur: alienissimum esse à veritate existimamus. Nam hic modus explicandi efficaciam Gratiæ Dei, dedecet omninò ejus omnipotentiam, habet in agendo dependentiam Deo prorsùs indecoram, magisque aucupibus & venatoribus propriam (quorum solertia potissimùm consistit in expectanda opportunitate venationi propria, & cognoscendis, quibus possint animalia escis inescari) quàm Agenti sapientissimo & ita potenti ut nemo possit ejus virtuti resistere, potentia consequenti & in sensu composito. Neque minus repugnat Sanctis Patribus, & præsertim sancto Præsuli Augustino; Hæc in Deo Agente dependentia à dispositionibus creaturarum. Signanter dixi D. Augustinum; nam hunc reluctantem & invitum non verentur pertrahere Adversarii in patrocinium suæ sententiæ: ex eo scilicet, quod aliàs S. Doctor in quodam Opusculo contra Porphyrium dixisset tanquam per transennam, Christum voluisse hominibus eo tempore apparere, quô sciebat eos esse melius dispositos: quod tunc dixerat S. Præsul (ut ipse testatur) *sine præjudicio diligentioris inquisitionis*, & doctrinæ quam passim & ferè ubique docet de efficacia Gratiæ: cujus sententia est vera Ecclesiæ doctrina; quæ Cardinalis Baronii testimonio in Notis ad Tomum X. *Lædi nunc aut ulla ex parte impugnari aut reprehendi non potest, sine manifesto viginti & amplius Summorum Pontificum contemptu: & sine singulari Sanctæ Sedis Apostolicæ injuria.*

2. Igitur S. Præsulem audiamus, primo verbo fucum Adversariorum (scilicet libertatis servandæ prætextum) aufferentem lib. de Cor. & Gra. cap. 14. *Deus facit quod vult*) inquit) *etiam de ipsis hominum voluntatibus; habens sine dubio humanorum cordium quocumque placuerit inclinandorum Omnipotentissimam potestatem; cum magis habeat in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas.* Legatur ibid. cap. 18.

At quomodo magis si nequeat Deus, quod quisque facillimè in se potest efficere determinando se; suamque voluntatem ab uno in aliud immutando? Nam si secùs de Deo sentiamus, indignè de ejus Omnipotentia sapimus, possetque & nunc dicere quod olim: *si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

Mentem meam magis aperiam. Irridebat aliàs Ethnicos S. Præsul August. lib 4 de civit. Dei cap. 8. hunc in modum *Quisque* (inquiebat) *unum domui suæ ponit Ostiarium: & quia homo est, omninò sufficit. Tres deos isti posuerunt: Forculum foribus, Cardeam cardini: & Limentinum limini: itaque non poterat Forculus, simul fores & cardinem limenque servare.* Majori profectò irrisione digni sunt, qui quotidie id sibi arrogant, quod Omnipotenti Deo denegant: Ipsumque pluribus indigere affirmant, ut quempiam efficiat ex nolente volentem quàm homulus in semetipso quotidie efficiat & experiatur.

Explicatur. Libertatem à Deo optimo accepimus, nostrorumque actuum habemus dominium cum tanta perfectione & independentia ab omni creatura, ut immunes simus ab omni coactione & necessitate, possimusque velle & nolle independenter ab omni extrinseco agente, ac nostros ab uno in aliud immutare actus.

Verum, nonne idipsum Deo Omnipotenti denegant, qui contendunt eum debere, non solùm loci & temporis circumstantias observare, sed & bonam, tùm corporis tùm animi dispositionem illius, cui suum confert Deus auxilium, expectare, ut fiat efficax, suumque sortiatur effectum? Deus ergo creaturæ rationali contulit Facultatem se se determinandi, quam vel non habebat, vel quam sibi non reservavit. Utrumque autem ita est à ratione alienum; ut mirum sit, quî unquam ausi sint viri docti & pii eam proferre, aut tueri doctrinam nedum nobis, sed & Scripturæ, Conciliis ac Patribus contrariam.

SECTIO I.

Circumstantiæ loci ac temporis non minùs sunt à Deo dispositæ quàm aliæ. Quàm parùm exigebant Pelagiani ut primas creaturæ in aliquo darent: & tamen damnati à Patribus & Conciliis: Hic audiuntur duo Neoterici; quorum doctrina meritò rejicitur. Cavendum à fucato subterfugio. Mirum in modum exprimitur Gratia efficacia à D. D. Augustino & Bernardo.

5. NOn minùs adversatur S. Præsul dependentiæ quam existimant Antithomistæ Deum habere ex circumstantiis loci & temporis. Ita Tract 104 in Joa. tom. 9. in medio: *Omne tempus*, inquit, *& quid, & quando faceret vel fieri fineret, ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula momenta, in Dei sapientia, causas efficientes habent, in quo nulla sunt tempora.* Cuncta ergo ab ipso Deo disposita sunt: quare à Divis Prospero & Hylario computata est inter errores Semipelagianorum sequens propositio: *Dispensata sunt tempora & Magistrorum ministeria, ut exoritura erat bonarum credulitas voluntatum*: Et ab omnibus talis existimatur doctrina Cassiani Collat. 13. cap. 13. ubi ait: *Deum quosdam conatus bonæ voluntatis exigere, & occasiones quodammodo quærere, & gratiam dare sub colore cujusdam desiderii ac laboris, ut non irrationabilis munificentia sua largitas videatur, aut dona sua conferre dormienti, vel dissoluto inerti, otiô*, etenim nulla est bona dispositio creaturæ, nullusque conatus, quem non faciat ille, sine quo nihil fit omninò: unde Sanctus August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. tom. 6. *Vt sit*, inquit, *nutus voluntatis: ut sit industria studii: ut sint opera charitate ferventia: Ille*, scilicet Deus, *tribuit, ille largitur.* Et lib. de prædest. S. S. c. 8. *fides inchoata & perfecta, Dei donum est.*

Quantùm verò ad prædictam Cassiani rationem, dicimus illam nullius esse momenti aut roboris: etenim non solùm dormientes, otiosos & inertes Deus vocavit, excitavit, ac suam in vineam quandoque misit: verùm etiam aliquando rebelles, inimicos, contradicentes ac gravissimos peccatores. Totum ergo quod bonum est, ipsi Deo priùs ac magis debet attribui: quia etsi agat creatura, semper Deus priùs agit, sine quo non ageret ipsa: seu ut ait Conc. 2. Arausic. c. 20. *Nulla facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo.* Vel ut semper cum Augustino loquamur, lib. 2. ad Bonif. c. 8 *Si sine Dei Gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat adjutorium, & sic Gratia Dei, non gratis donabitur.*

unde & pro singulari Dei munere petimus *ut ipse adaperiat cor nostrum.* 2. *Mach. c. 1.*

Si autem quæras quomodo fiat istud? Respondebit S. Præsul hoc fieri à Deo, *quatenùs reluctanti voluntati, priùs aditus Divinæ vocationis, ipsâ Dei Gratiâ procuratur: & deinde in illo, jam non reluctante, spiritus virtutis accenditur.* Ita tom. 7. lib. 4. Contr 2. Epist. Pelag. c. 6. *Ratio ejus est, quia in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia ejus prævenit eum.*

His ac similibus testimoniis motum Concil. 2. Arausic. ait: *Si quis humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit Gratiæ Adjutorium: nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit; resistit Apostolo dicenti, quid habes quod non accepisti?*

His insistens vestigiis, dixit Doct. Angelicus in 2. ad Corinth. c. 2. lect. 3. *Ipsam præparationem mentis humanæ esse ex virtute Divina: nam licet,* inquit *facilitas quâ mentes præparantur, sit causa conversionis: tamen ipsius facilitatis & præparationis causa, est Deus.* Legendus etiam S. Doctor 1. 2. q. 112. a. 2. in c. & ad 1. & ibid. q. 109. ar. 2. ad 1. Certe nihil mihi videtur efficacius ad confutandam Lessii doctrinam, quâ lib. de Gra. c. 10. nu. 9. ubi *rectè dicit Molina* (inquit Lessius) *quod Gratia sit efficax, vel inefficax, pendere à libero arbitrio:* Additque *esse in potestate liberi arbitrii, gratiam, quæ est ex se sufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu secundo: quod quâ ratione negari possit non video* (inquit Lessius.)

At nulla ratione id concedi posse existimo; etenim istud non solum est contrarium oraculis supra relatis, sed etiam juxta hanc doctrinam id quod est optimum in negotio nostræ salutis æternæ, non Deo, sed creaturæ esset tribuendum: quod abhorret à fide.

Verum hic cavendum est à fucato cujusdam Neoterici subterfugio: Nobis (inquit) imponunt Thomistæ dum dicunt nos asserere, Dei Auxilium esse indifferens & indeterminatum ad bonum & malum: Nam (inquit) præcepta, exhortationes, consilia & id genus alia, quibus ad bonum adigimur, ita sunt ad bonum determinata, ut nullo modo ad malum fiat indifferentia.

At quis non videat, hic meram esse difficultatis evasionem: nam prædicta omnia ad solam spectant Motionem Moralem, cujus insufficientiam toties demonstravimus. Considerandа verò est potentia non solum ex parte objecti propositi, sed prius ac magis ex parte subjecti: unde ait Doct Angel. 1. 2. q. 80. ar 1. *Nihil potest esse causa actus, nisi per hoc, quod proprium principium illius actus movet ad agendum.* At quando Adversarii loquuntur de Concursu indifferenti ad bonum & malum per voluntatem determinabili; loquuntur de Concursu physico ex parte principii effectivi proveniente; quem dicimus non posse à sola voluntate creata ad bonum determinari, quæ sine Deo nihil omninò agere potest. Certè quidquid dicat Eupistinus de præstantia doctrinæ Patris Molinæ, nihil movemur, nec ipsi aut ulli invidemus: sed existimamus jam nullum esse in ipsa Societate Jesu, qui se Patronum exhibere velit ipsius aut Lessii supra relati; nec nobis opus est, ut cum Eupistino aut Henao assiduè recurramus ad disputationes de Auxiliis, ut sciamus quid in illis contra Molinam actum sit: solis enim oculis patet quid agendum foret, nisi ob bonum pacis esset dissimulandum. Cum tamen asse-

tant Adversarii historiam de Auxiliis fuisse prohibitam à Summo Pontifice, rem gratissimam toti mundo fecissent, si aliquod privilegium ostendissent, quo sibi solis concessa esset licentia utendi hac historiâ, quam prædicti semper habent in ore: confirmatur prædicta Gratiæ efficacia, independenter à prævisione circumstantiarum, aut dispositione personæ, quas Deus prævidere aut aut expectare teneatur, ut ubique testatur Sanctus Augustinus, nominatim lib. 50. hom. 25. c. 6. *Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor fuit, & ut deesset, ego feci. Adfuit Suasor, non defuit locus, non defuit tempus; & ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes, & quod non admisisti.* At quid commune habet hoc cum doctrina Molinæ?

Urgeo magis ex eodem sancto Antistite in Enchyr. cap. 95. & 99. ubi ait: *Quis tam impiè desipiat, ut dicat Deum, malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Legendus etiam sanctus Doctor lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 8.

4. Non aliter sentit de Gratiæ efficacia sanctus Prosper carm. de ingrat. cap. 15. *Cui* (scilicet Deo) *tempus*, inquit, *agendi semper adest, quæ gesta velit, nec moribus illi fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis, &c.*

His sanctis Patribus subscripsit D. Bernardus, serm. 39. in Cant. *Non modò immeritos*, inquit, *sed malè meritos prævenit, ut dum adhuc filii iræ sumus, & operamur opera mortis, ipse cogitat super nos cogitationes pacis, & nec petentibus, sed impetentibus; non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed repellentibus spiritum bonum, spiritum vitæ & adoptionis largitur.* Nonne obstupescis, mi Eupistine?

Quid plura? vis exempla? Quonam pactô aut congruitate facta est conversio Pauli? An expectavit Deus, aut observavit meliorem ejus dispositionem? Quin immò, facta est hæc conversio quando *erat Saulus spirans minarum & cædis in Discipulos Domini.* Itidem, quænam erat dispositio Assueri, quando Deus immutavit cor illius *ab asperitate in lenitatem, & in odium hostis Mardochæi, totiusque Iudaicæ Gentis?* Certè pessima, quia tunc erat Assuerus *velut taurus tumens in impetu indignationis suæ*, ut loquitur D. Augustinus. Legendus etiam to. 3. in Enchir. c. 95. & 97.

Neque alia prædictorum quærenda est ratio, nisi Omnipotentia Dei, *quâ facit*, inquit sanctus Præsul, *omnia quæ vult in Cœlo & in terra, quando, ubi & quomodo vult. Quod non esset verum*, inquit, *si aliqua voluit facere, & non fecit, quia ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.*

5 Et post pauca in Enchir. citato: *Nisi hoc credamus*, inquit, *periclitatur ipsum fidei nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum Omnipotentem credere confitemur. Nec enim ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest, neque voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.*

Itaque ut paucis fiat satis, quæ ex Eupistini libro consequuntur, & quæ ab Adversariis re ipsâ objiciuntur: Dicam breviter, quod quantumvis aliquod objectum conveniens & bonum videatur; quantumvis congruentes judicentur circumstantiæ illud concomitantes; nunquam videntes, verè videbunt, nec audientes magis intelligent, quàm illi quibus Christus non nisi in parabolis

loquebatur; vel illi duo Discipuli, *quorum oculi tenebantur, ne eum agnoscerent.* Nam præter externum auditum illis communem cum turbis, beneficio singulari Christus aperiebat Discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas & veritatem mysteriorum.

Et quamvis hæc Gratia efficax non sit semper in Scriptura aut in Patribus expressa, semper tamen est subintelligenda, quoties intentus à Deo consequitur effectus. Si autem quæratur, quare id quod à nobis aut ab aliis meritò agendum foret, non agatur? Ritè respondet D. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. *vel quia latet, vel quia nos non delectat. Quis enim habet*, inquit sanctus Præsul, *potestatem, ut vel occurrat quod eum delectare possit, aut delectet cum occurrerit?* To. 7.

At quando operamur & effectum consequimur, quidpiam aliud exigitur, seu ut loquitur sanctus Præsul, *Cum nos ea delectant, quibus ad Deum proficiamus, inspiratur hoc, & prabetur Gratia Dei, non nutu nostro & industriâ, vel operum meritis comparatur; quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.*

SECTIO II.

Quomodo intelligenda sint quædam Divi Augustini testimonia. Cur ambiat prioritatem aliquam creatura? Cui non pars denegatur; immò totum conceditur, sed datum, non redditum. Nec illi unquam denegatur auxilium Dei ad agendum cum opus est, nisi ob voluntarium, quod illa præstat impedimentum.

6. CUm igitur ait sanctus Præsul de dono persev. cap. 14. *quosdam habere in ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quò moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Illud *intelligentiæ munus* est ex D. Thoma, in Matth. cap. 11. *quædam docilitas*, quæ nunquam habebit effectum, nisi Deo tribuente pium affectum, & efficaciter voluntatem movente ad finem debitum.

Quidquid igitur his fidei Christianæ principiis in specie oppositum alicubi legitur, semper est intelligendum, ut ait D. Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 9. *sine præjudicio latentis consilii Dei, & excepta Altitudine Sapientiæ & Scientiæ illius*, ac proinde Prædeterminationis physicæ illarum executricis in tempore, quâ semel stabilitâ (ut etiam inviti fatentur Adversarii) evanescit Scientia Media.

Nec magis urget toties objectum ab ipsis argumentum, ex sancti Præsulis testimonio depromptum, quo utuntur, inquiunt, ut in bono opere aliquas partes tribuant voluntati creatæ, cui non partem denegamus; immò totum ei tribuimus, sed acceptum & dependens à Deo. Legendus solummodò sanctus Præsul, tom. 3. in Enchir. cap. 32. ubi ait: *Totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam: præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia; quæ autem non præcedit ipsa, in eis est ipsa.... nolentem prævenit (Deus) ut velit, subsequitur ne frustrà velit.* Deus ergo semper prævenit absolutè loquendo, & oppo-

situm asserere non possumus, quia veritati Christianæ & sancto Præsuli resistimus, asserenti *impietatem superbam multùm delectari, si datum à Deo, non sibi datum, sed ab eo redditum esse videatur.* Ita loquitur lib. 4. ad Bonif. c. 6. to. 7.

Legi etiam poterit eod. to. 7. de peccat. merit. c. 18. ubi ait: *Sed laborant homines invenire in nostra voluntate quid boni sit nostrum, quod nobis ex Deo non sit, & quomodo* (inquit) *inveniri possit, ignoro*.... Quid enim habes quod non accepisti? Legat integrum & signanter cap. 9. de prædest. Sanctorum, & non solùm facilè acquiescet his quæ supra diximus de Prioritate Primæ Causæ: sed & obstupescet qui audeant nonnulli sanctum Præsulem citare pro Adversariorum opinione in favorem Scientiæ Mediæ, cum sanctus Præsul ipse satis revocet, aut ut veriùs loquar, explicet quod dixerat contra Porphirium, & quâ intentione, scilicet ut obiter quæstioni satisfaceret, sine præjudicio accuratioris inquisitionis veritatis, pro qua militamus, & quam sanctus Præsul semper supponit quotiescumque illam non exprimit.

Legendus est etiam sanctus Præsul de Prædest. Sanctorum, cap. 2. cui suffragantur Sanctus Fulgentius de Incar. & gra. cap. 18. & D. Prosper contra Collat. c. 6.

Hoc ipsum eleganter expressit S Bernardus Tract. de Gra. & lib. arbit. *Quod à Gratia sola*, inquit, *cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim Gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragant.*

Cum verò S. Augustinus nunquam satis laudatus dicat lib. 12. de Civ. c. 6. *Ex duobus æqualiter animo & corpore affectis, visa eadem pulchritudine, unum voluisse, alterum verò noluisse à castitate deficere*; per hoc voluit tantùm sanctus Præsul in utroque causam proximam indicare, scilicet voluntatem creatam, cum hoc tamen discrimine, ut scilicet respectu peccati, voluntas creata non tantùm sit causa proxima, sed etiam prima: unde ait Divus Augustinus lib. de cor. & gra. cap. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab Omnipotenti bono.* Cumque peccatum non sit effectus, sed defectus, & ad defectum seu ad privationem debitæ rectitudinis in actu liberò, nullus requiratur Dei concursus: ideò voluntas creata est in illo genere, ut dictum est, non tantùm Causa proxima, sed & prima. At ad bonum agendum & perficiendum, idem dici non potest; quia bonum est ex integra causa, & magis priusque à causa Prima quàm à secunda.

Quare si quæratur v.g. cur unus tantùm ex pluribus, qui prædicationem audiunt, sit ad fidem conversus? Responderi potest, quòd conversus sit, quia voluit, sed non est ibi sistendum; quia Deus est qui *operatur velle*. Qua de causa dixit D. Augustinus: *Si à me quæratur cur hic ita suadeatur, ut persuadeatur? imus in longum*, scilicet usque ad ipsum Deum, à quo fidem habet, quæ est speciale ipsius donum. Speciale dico (non enim omnium est fides) quô singulari beneficiô & misericordiâ ille donatus est. Ita D. August. de prædest. Sanctorum, cap. 8. unde ut probet à Deo non deseri justificatum, nisi Deus ipse, prius ab eo deseratur, & alibi passim, ubi ait: *Ad malum quippe prior est voluntas ejus* (*scilicet creatura*) *ad bonum verò prior est*

voluntas Creatoris, sive ut eam faceret, quæ nulla erat; sive ut eam reficeret, quæ lapsa perierat.

Neque unquam denegat Deus alicui auxilium illud actuale Gratiæ, v. g. ad amorem Dei necessarium, nisi ob voluntarium aliquod impedimentum ex parte creaturæ præstitum; quæ (ut Causa prima deficiens) liberè se se applicat ad aliquem actum huic amori oppositum, & simul incompossibilem.

Quare merito jure dixit sanctus Præsul, serm. 12. de verb. Dom. cap. 5. *Potes aurum ... perdere nolens, bonum verò, quô verè bonus es; nec invitus accipis, nec invitus amittis.* Legendus sanctus Præsul, lib. de cor. & gra. Et D. Thomas, 2. 2. q. 2. a. 5. ad 1.

Dixi voluntarium à creatura impedimentum exhiberi, quia voluntas creata, liberè huic actui applicata, sibi facit impedimentum ad actum bonum oppositum, ad quem non tenetur Deus alium prævium dare concursum; à quo tamen si hoc removeatur impedimentum, tunc Deus misericorditer operatur, ut ait D. Thomas supra citatus.

Hinc metuunt Sancti, ne affectu nimis intenso, adhæreant creaturis, assiduéque Deum rogant, nosque rogare debemus, ut Deus Optimus salutis nostræ removeat impedimentum; unô verbô, *ut terrenis affectibus mitigatis, faciliùs cœlestia capiamus.*

Et quia fusissimè ostendimus contra Petrum Fuliensem, mirabilem hanc Dei & creaturæ œconomiam fieri sine ullo libertatis creatæ præjudicio, diutiùs in istis non immorabimur. Talis enim est Divinæ Motionis efficacia, ut ei semper resistere possit creatura in sensu diviso: volens siquidem Deus, ut Petrus v. g. amet liberè, prout convenit illius naturæ; non utcumque ipsum movet ad amandum, sed juxta modum illius liberum: id est, adaptat voluntatem Petri sub judicio indifferenti ad amorem, quô judicat amandum esse illud objectum. Et quia (ut supponimus) non apprehendit in eo omnimodam boni rationem, illud non proponit amandum, nisi sub ratione sub qua possit non amari. Quod expressit D. Thomas 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2. his verbis: *Ex hoc voluntas liberè potest in diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.*

Ex prædictis evidenter innotescit, alienum esse à veritate id quod nobis imponunt Adversarii, nimirùm, præmotum à Deo *necessariò agere, sive non posse non agere*, ut ait Molina supra citatus c. 11. eosque Lectoribus illudere, dum ut omnibus suadeant id quod nunquam nobis venit in mentem, his utuntur exemplis, *hominis scilicet detenti compedibus, aut podagrâ laborantis; vel etiam jacentis in tenebris*, qui nec ambulare nec videre possit, etiamsi toto affectu velit, cum hujusmodi impedimenta ab extrinseco necessitatem imponente, proveniant; nec sit in potestate hujusmodi hominis ea superare si velit. At impedimentum quod quis ponit Gratiæ per peccatum, est omninò voluntarium & intrinsecum, quod ille debet superare & tollere, cum possit per auxilium Gratiæ sibi oblatum ab eo qui dicitur *Adiutor in oportunitatibus.* Vide ea quæ fusiùs hac de re scripsimus contra Fuliensem nobis falsò improperantem, nullum apud nos superesse locum Gratiæ sufficienti.

SECTIO

SECTIO III.

Cur non in omnibus ex Præmotione sequatur æqualis effectus. Quomodo & in quo peccavit Petrus juxta mentem D. Augustini & S. Bernardi. Cur aliquando permittat Deus aliquos deficere, quos tamen ne caderent, facilè posset impedire. Quomodò omnis Dei Gratia actualis aliquem habeat effectum, quamvis propter eum, ipsa, efficax non sit dicenda; & quàm inutilis sit Scientia Media.

9. QUamvis omnes creaturæ ad suos actus à Deo præmoveantur, inde tamen non licet inferre illas omnes æqualiter benè agere; tùm quia plus & minus moventur secundùm occultum & justum æternæ Sapientiæ illius judicium; tum quia unamquamque movet juxta propriam ipsius dispositionem, quæ cum sit diversa in diversis, non est mirum, si ex diversis causis adeò dispares fiant effectus, sicut est & valdè diversa Pictoris Scriptura seu tabella, ex bono & malo penicillo efformata; etsi aliunde perfecta sit juxta regulas artis; & ideò defectus non in pingentem, sed in calamum & penicillum est refundendus.

Sic igitur, ut ostenderet Deus (inquit S. Augustinus, to. 9. tract. 2. c. 8. de Cantico novo: *quid posset liberum hominis arbitrium (Gratia scilicet speciali, quæ à culpa Adamum retraxisset) non adjutum*, juxta miseram quam ille habuit pro uxore (si sic loqui fas est) complacentiam, quam, ut supra diximus, noluit contristare, Deus ut Motor Universalis, ad actum physicum ex se bonum, eumdem præmovit, à cujus malitia abhorrebat; sicut & Animam suam ponebat Christus per passionem, quamvis Judæorum nequitiam detestaretur: quamobrem sanctus Præsul in Enchyr. c. 101. *Quasdam*, inquit, *Deus voluntates suas, utique bonas, implet per hominum voluntates malas, sicut per Iudæos malevolos, bonâ voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.*

Prædictam effectuum diversitatem provenientium ex diversis causis à Deo motis, in quibus prævius Dei influxus diversimodè recipitur, satis insinuavit Doctor Angelicus de Malo, q. 3. a. 2. in o. *Cum aliquid est*, inquit, *in debita dispositione ad recipiendam motionem Primi Moventis, consequitur actio perfecta secundum intentionem Primi Moventis; sed si non sit in prima dispositione & aptitudine ad recipiendum motionem Primi Moventis, sequitur actio imperfecta.* Et specialiter loquens ibid. de habentibus liberum arbitrium, ait: *Si fuerint in debita dispositione & ordine ad recipiendum motionem quâ moventur à Deo, sequuntur bonæ actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, sicut in causam.* Et sic ritè dicitur omnia suaviter disponere, quia Dei auxilium sic attemperatur secundùm creaturæ modum, ut ex contingentibus effectus contingenter eveniant: ex necessariis, necessariò: in homine robusto actum efficiat robustum; in infirmo infirmum; eademque sit ubique efficacia, sed non idem efficaciæ modus: quia, ut ex D. Thoma alibi diximus, Deus movet mentem hominis plus aut minus, & unumquemque juxta suum modum. Quare si fateantur Adversarii (quod certè salvâ Dei Omnipotentiâ

negare non possunt) Deum Opt. Max. posse aliquam qualitatem, aut si mavis, motum aliquem libertati creatæ congruentem ac proportionatum efficere, quô ipse utatur, quando, ubi aut quomodo voluerit, jam mirum est quomodo possint hac in parte doctrinæ D. Thomæ resistere, cum hac unica observatione evanescant omnia ferè argumenta quæ in oppositum excogitare potuerunt.

10. Id ipsum satis apposité explicuit quidam Anonymus *fortis & timidi exemplis*, qui eadem carnis tentatione pulsantur, quibus volens Deus victoriam dare, fortem præmovet ad amorem æternæ gloriæ, quam tentationi resistendo consequetur. Timidus verò, timore pœnæ inferni à Deo percellitur, quam pro peccato justè in ævum pateretur. Neque ad superandam hanc tentationem sufficiens fuisset utriusque hujus objecti tam diversi simplex intuitus seu propositio, quia his motivis hac in vita non convincitur efficaciter intellectus, & voluntas nostra (quæ intellectum sequitur) ut est potentia libera seipsam supponit, ut est natura quædam; sicut etiam visus & gustus supponunt sensum tactus: similiter tota natura ipsum Deum ceu primam radicem, basim & fundamentum. Unde sicut impossibile est ut visio v. g. eliciatur à potentia visiva, quin præintelligatur ac subsit in ipsa influxus prævius tactus (in quo potentia visiva radicatur;) ita impossibile est ac potiori jure, ut fiat aliqua actio creata, sive naturalis, sive libera, quin Deus Opt. semper sit prævius, ut ipsum *Esse* per essentiam, sustinens in *esse* omnia entia & agentia per participationem (sicut per Solis influxum lux conservatur in aëre) in quibus ejus influxus recipitur & secundùm *esse* modificatur, non secùs ac (salvo immenso discrimine) sensus tactus modificatur in singulis sensibus, qui in ipso radicantur. Quod si vel semel vellent Adversarii intelligere, æternùm contra nos obmutescerent hac in parte, eosque sine dubio pœniteret tot falsa Thomistis imposuisse. Legendus D Thomas de verit. q. 22. a. 5. in o.

Porrò id quod diximus de *forti & timido*, hoc ipsum dicendum est de cæteris mortalibus, in quibus indoles (juxta quam Deus ut plurimùm operatur) cum non sit minus diversa in diversis, quàm hominum facies, in quibus, vix duos reperias perfectè similes: nihil mirum si tam diversam quoque intueamur in eis Dei operationem, in quibus tamen tantâ suavitate, tamque secretâ operatione Deus operatur, ut sibimet ipsis omninò relicti, & sola eorum natura & voluntas agere videantur, ac miseri dicant: *Quis noster Dominus est?* Quorum temeritati & arrogantiæ Deus aliquando medetur per substractionem Gratiæ & auxilii, ut saltem propriâ infirmitate discant, nihil sibi arrogare; sed eum à quo est omne bonum, intùs operantem agnoscere, & ad eum in necessitatibus confugere, ejusque opem (sine qua vel ad momentum subsistere nequeunt) indesinenter implorare.

11. Hoc si fecisset Petrus (inquit D. Augustinus) sine dubio non cecidisset: nam bonum quod in ipso erat, erat adhuc valdè imperfectum, quod profectò ille perfecisset, cujus perfecta sunt opera & omnes viæ ejus judicia. *In Petro*, inquit sanctus Præsul, lib. de gra. & lib. arb. c. 7. *jam erat parva & imperfecta Charitas, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam*.... Sed quia præpósterè præsumpsit agere Petrus, à Deo, quem priùs deseruit, desertus est. Quem alloquens sanctus Præsul tract. 66. in Joa. sic ait: *Quid festinas, Petre? nondum te suo Spiritu Petra solidavit; noli extolli præsumendo, noli dejici desperando, sequeris posteà.* Restitit Petrus

dicens: *Quare non possum te sequi modò?* Quia ille qui modò in te operatur velle, debet operari & perficere; est enim Alpha & Omega, Principium & Finis. Ut Principium (inquit sanctus Præsul ad Simplic. q. 2.) *Petere, quærere & pulsare concedit, qui ut hæc faciamus jubet.* Ut Finis, *Operatur perficere pro bona voluntate. Quò conatus operum*, inquit D. Prosper, *affectusque juvante, propositam citiùs ferret mens libera palmam.*

Hîc & D. Bernardum audiamus. [Veniat (inquit Tract. de Gra.) in medium Petrus Apostolus; ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem: siquidem aut negare, aut mori necesse erat; mori timens negavit: negare nolebat, sed magis nolebat mori: itaque invitus quidem sed negavit tamen ne moreretur..... Mortem evadere volebat, sed quid istud criminis fuit? Duas Apostoli tenemus voluntates; unam, quâ voluit non mori penitùs inculpabilem: alteram, & multùm laudabilem, quâ sibi complacebat quòd esset Christianus: in quò ergo culpabitur? An in eo, quod mentiri, quàm mori maluit? Hæc planè voluntas, reprehensione digna fuit, quia corporis magis quàm Animæ voluit servare vitam. Os nempè quod mentitur occidit Animam: Sap. 1 Peccavit ergo, & non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miseræ, sed planè liberæ. Peccavit autem non spernendo aut odiendo Christum, sed se nimis amando.... Si Christum non amasset, non negasset invitus. Verùm si se ampliùs non amasset, non aliquatenùs negasset.] Hactenùs D. Bernardus, qui, ut patet, lapsum Petri non refundit in subtractionem Divini auxilii, sed in propriam Petri voluntatem, suique nimium amorem. Quod notatum velim.

Sic multi ingrati cadere aliquando permittuntur aut premuntur gravi aliquâ necessitate, ut saltem tunc agnoscant se à Deo (quem in prosperitate ignorabant) robur ac sanitatem accepisse, quam nisi det ipse (à quo gratis eam acceperant) à nullo possint habere. Quare Propheta Divinitùs afflatus aiebat: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine.*

Ita quoque permisit Deus (inquit S. Augustinus, q. 14. in Matth.) *quosdam Iudæos tanto superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primò non credere, & ad hoc fuisse excæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas; quibus non intellectis, non in eum crederent: non credentes autem, cum cæteris desperatis eum crucifigerent, atque ita post eius Resurrectionem converterentur.* Sed quare ita factum est? *Quoniam*, inquit, *tanta erat eorum superbia, ut tali esset humiliatione dejicienda.*

Et quia alibi fusiùs contra Fulientem ostendimus nullum esse Dei Auxilium actuale, quin aliquem semper habeat effectum, licet propter eum non dicatur efficax: placet hoc confirmare hoc tam aperto quàm brevi D. Thomæ testimonio 1. 2. q. 21. a 1. ad 2. ubi ait: *In peccato autem naturæ deficit quidem actus à fine ultimo, qui est perfectio generati; non autem deficit à quocumque fine proximo: operatur enim natura, aliquid formando... Et similiter*, inquit, *in peccato voluntatis, &c. Licet non deficiat ab aliquo fine proximo, quem voluntas intendit & consequitur.*

Sed quid alio opus erat, quàm sermone Evangelico ex parabola Seminantis deprompto, Lucæ 8. ubi præter semen quod nullum retulit fructum; aliud est, quod natum quidem, sed continuò aruit; quia non habebat humorem: aliud verò quod in terram bonam cecidit, quodque ortum *fructum fecit*

centuplum; seu prout alibi Scriptura loquitur, *Dedit semen serenti, & panem comedenti.* Quibus rectè distinguitur Gratia sufficiens (quæ non ultimum semper habet effectum) ab efficaci, quæ nunquam caret suo, etiam in corde durissimo, cum eo fine à Deo (cujus non potest intentio deficere) detur, ut cordis duritia primitùs auferatur; quod alio modo in Scriptura exprimitur, scilicet *verbo, quod vacuum non revertitur.* Sic ergo cum de Gratia per se efficaci loquimur, sufficientem præsupponimus; quia actus præsupponit potentiam sufficienter elevatam ac necessariis instructam; & qui secùs dicendum arbitraretur, ei similis mihi videretur, qui referens hæc verba Jobi cap. 28. *terra de qua oriebatur panis*; assereret panem oriri ex terra & semine, sine ullo germine & aliis dispositionibus prærequisitis, à quibus in agendo non consuevit Deus Opt. abstinere, nisi quando operatur miraculosè.

Ex his & aliis supradictis discet Eupistinus Omnipotentem nullo modo dependere ex circumstantiis loci aut temporis, vel dispositione personæ; ac subinde nullam esse necessitatem Scientiæ Mediæ quam ejus Defensores necessariam esse arbitrantur, ut Deus per eam, has dispositiones & circumstantias prospiciat ac exploret. Semper enim illi subest cum voluerit posse, quando, ubi & quomodo sibi placuerit ac bene visum fuerit, etiam independenter ab omni dispositione, quam ille teneatur expectare, prospicere vel præsupponere ex parte creaturæ, quæ cum sine illo nihil omninò possit efficere, nec subindè valebit seipsam disponere, nisi Deo ipso eam aptante.

12. Hîc subinde totus uno verbo abstergendus est Scientiæ Mediæ fucus, quam ut se se super Senes, ac nominatim supra Sanctum Augustinum intellexisse suaderet illius Propugnator, hanc à se inventam esse gloriabatur & jactabat, illamque esse valdè necessariam prædicabat, pro explicandis Divinæ Gratiæ & Prædestinationis Dei æternæ arcanis, in quibus quidquid hactenùs dixerint, aut unquam dicere possint quidam Moderni, nunquam ulli sanæ mentis ac Christianè sapienti suadebunt, se esse Apostolo usque ad tertium Cœlum rapto, lumine Ecclesiæ sancto Præsule Augustino .... doctiores, qui persæpè in prædictis, id est, in componenda Divinæ Gratiæ efficacia cum libertate creata, & in reddenda ratione, cur unus ita suadeatur ut persuadeatur, altero in duritia, remanente, exclamat cum Apostolo, non minùs quàm in Trinitatis mysterio. O Altitudo! Quod parùm modestè parumque religiosè quidam Scientiæ Mediæ Propugnatores vocarunt *Asylum*, alii verò *Anchoram* ignorantiæ. Qui si ore proferre vellent, quod tenent corde, sincerè faterentur, Scientiam Mediam non tollere, sed tegere difficultatem, ob quam velint nolint, coguntur eandem amplecti *Anchoram*, & ad hoc confugere *Asylum*, nisi malint in abyssum incidere, quam vitare nequeunt. Quod satis indicat illorum Responsio. Si enim quæratur ab ipsis: Quis sit Scientiæ hujus Mediæ fructus? Respondent quidem: Quia per eam ante omne Dei decretum ab æterno notæ sunt infinitæ occasiones & rerum circumstantiæ, in quibus si ponatur v. g. Petrus, salvabitur; in aliis verò damnaretur. Tuncque tantùm his prævisis (inquiunt) efficaciter Deus decrevit ponere Petrum in illis in quibus salvetur.

13. At si urgeas, ulteriusque inquiras: cum Paulus v. g. nondum esset, nec quidquam adhuc mali egisset: cur Deus Opt. non decreverit illum ponere in aliqua fœlici occasione aut circumstantia, in qua salvus fuisset? Aut cur illum

non fecit optimę indolis ceu verum Israëlitam, in quo etiam Adamus peccasse non videretur, prout de Divo Bonaventura dicebatur. (Nec enim possunt, ut supradictum est, ad prævisionem confugere.') Respondet ipsemet Pater Annatus: & cum eo omnes Scientiæ Mediæ Propugnatores. *O Altitudo!* At non videtur valde generosum, immò satis turpe Aliqui fortasse judicabunt ut tàm citò quisquiam redeat, seu confugiat ad id, quod tanto verbôrum fastu paulò ante aspernatus fuerat. Quare hîc mihi videtur D. Augustinus lib. de peccat. merit. c 17. tom. 7. Scientiæ Mediæ Defensores alloquutus his verbis. *Quando secum ipsi paululùm sine certandi studio cogitaverint, quàm sit absurdum, nec dignum disputatione, quod dicunt: continuò sententiam commutabunt. Quod si voluerint, non usque adeò de humanis sensibus desperandum est, ut metuamus ne hoc cuipiam persuadeant. Ipsi quippè ut hoc dicerent, alicujus alterius sententiæ prajudiciô impulsi sunt.*

Quod autem sit illud præjudicium, tot jam editis libris, quibus tam apertè veritas manifestatur; satis apparet, nullum aliud esse præter difficultatem revocandi gradum, seu retractandi id, quod innumeris libris prætextu Thomistarum à centum circiter annis scripserunt Adversarii in ipsum Doctorem Angelicum: modò palam, ut Petrus à S. Joseph, assumptô etiam nomine Defensoris Divi Thomæ: aliàs clam & frequentiùs ut Eupistinus, aliique plures falsis Nominibus assumptis: quibus sine dubio facilius esset resipiscere, & evanidæ hujus Scientiæ Palinodiam recantare, vel eam prorsùs abiicere: quàm ullum deinceps fucum rebus facere, quô vel apparenter valeant rem adeò inutilem & falsam Peritis persuadere. Quòd si noluerint, nihil subinde est metuendum Thomistis, contra quos nihil obiicere possunt Adversarii, quô prius non lædantur (quos summa devotione & honore venerari debent) non tantùm Apostolus, sed & præcipui Ecclesiæ Patres, Augustinus, Prosper, Bernardus, Chrysostomus, Doctor Angelicus, &c. Quibuscum sapere malumus, quàm Scientiam Mediam, & id genus alia Adversariis propria vel auscultare: cum id facere non possimus, quin tritam tutamque horum Sanctorum semitam deseramus: quâ viâ semel relictâ, tot erroribus patet aditus, totque instant exerrationes in Moralibus.

SECTIO IV.

In qua audiuntur tres Celebriores Societatis Iesu Scriptores, à quibus magis commendatur hac in parte potissimùm, Doctrina D. Thomæ.

Nu.14. SI hîc audiatur Tannerus Societatis Jesu Author Celeberrimus, non eo fine adducitur, quasi sentiam vel ipsum favere Prædeterminationi physicæ, vel Adversari Scientiæ Mediæ: sed tantummodò ut innotescat quomodo ab invicem diffideant, qui hac in parte recesserunt à secura D. Thomæ doctrina, ex quibus vix duos reperias in omnibus perfectè consentientes. Et hújusce rei testis est Tannerus tom. 2. typis Engolstadii edito, an. 1626. disp 6. de Grat. q. 2. dub. 5. ubi inquirit, *An Gratia efficacia formaliter consistat in sola cooperatione ejusdem cum libero arbitrio?* Ita ut sit in potestate hominis *Gratiam reddere efficacem, qua alioquin ex se non esset nisi*

sufficiens prout (inquit) sentiunt Molina, Vasquez, Lessius, quos nu. 76. citat cum aliis Recentioribus, parùm inter se consentientibus: nec tamen discrepantibus ab aliorum opinione quam Bellarminus, ait *esse omninò alienam à sententia Scripturarum Divinarum, & evertere omninò fundamentum Prædestinationis Divinæ, quam S. Augustinus ex Divinis litteris solidissimè comprobavit.*

Porrò prædictorum de gratia doctrinam, quæ asserit Gratiam sufficientem fieri efficacem per liberam creaturæ cooperationem, absolutè rejicit Tannerus, atque per eam *nimis extenuari Gratiæ efficaciam*; quod fusissimè & efficacissimè probat: Primò (inquit) quia *falso nituntur fundamento Authores ejusdem, existimantes, quòd si efficacia Gratiæ constituatur in vi quadam infallibili efficiendi consensum, quæ prior sit ipso consensu absolutè futuro, destructum iri libertatem consensus: quod falsum esse*, inquit, *ex iis etiam, quæ Authores isti ultrò concedunt, evidenter demonstrabimus.* Additque ibid. *Gratiam debere esse & dici efficacem ante consensum & cooperationem quam efficit.* Est ergo causa illius, ac proinde præcedit ut volunt Thomistæ.

15. Hoc confirmat his verbis: *Si detur Gratia habens vim infallibilem efficiendi consensum, etiam priùs ratione, quàm consensus ipse absolutè futurus sit, (quod negari nullo modo potest:) efficaciam Gratiæ propriè & formaliter in ea ipsa vi infallibili sitam esse* affirmat: & *ex opposita sententia*, inquit, *sequitur hominem facere posse Gratiam efficacem seu congruam, ex ea, quæ alioquin esset sufficiens: idque*, inquit, *Authores isti, Molina, Vasquez & Lessius ultrò & disertè fatentur. Hoc autem juxta Scripturæ veritatem non videtur dici posse: quia sic, homo seipsum discerneret, contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. v. 7. (quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Hoc fusè prosequitur Tannerus confutatque modum quem, adinvenerat Lessius ad *molliendam locutionis suæ duritiam, quâ dicebat ab homine, reddi Gratiam efficacem*; contra quem superiùs jam dixerat Tannerus *Gratiam efficacem esse & dici debere ex natura sua talem*, sicut *gluten* (dicitur) *tenax, etiamsi actu nihil teneat: ita simili modo*, inquit, *efficax vinum vel medicina dicitur, etiam dum nihil efficit, adeòque priusquam efficiat..... ita & Gratia efficacia significat actum primum, non secundum; ipsamque vim quandam efficiendi consensum: non quamlibet; (sic enim non distingueretur à gratia sufficienti:) sed infallibilem*: At ne totum Tannerum exscribere cogamur, vide ibidem quomodo doceat ex sententia Molinæ & aliorum *Nullum Prædestinationi gratuitæ relinqui locum* contra Apostolum ad Rom. 9. & contra D. Augustinum c. 8. de Prædest. Sanctorum, ubi ait Gratiam efficacem: *à nullo duro corde respui.* Et Epist. 107. ubi *vocatio illa dicitur alta & secreta, quæ sic agit sensum, ut accommodet assensum.* Et lib. de spir. & litt. c. 34. interrogatus *cur Deus ita uni suadeat, ut persuadeat: alteri non ita*: exclamet *(O altitudo divitiarum!)* At juxta opinionem Molinæ & aliorum *in promptu esset respondere, istud ideò fieri, quia unus gratiæ vocanti cooperatur, alter non item.* Et Prædictorum doctrinam ostendit Tannerus non solùm Scripturæ & D. Augustino repugnare, sed & manifestè oppositam esse D. Thomæ 1. 2. q. 112. ar. 4. quem quivis legere poterit.

16. *Denique eadem sententia*, inquit, *post diuturnam ac diligentem hujus rei discussionem peculiari Decreto Claudii Aquavivæ Præpositi Generalis anno*

1613. *improbata est* ut videre est pag 1166. Quibus relatis ait Tannerus, *negari tamen nullo modo potest, in eo planè definiri, Gratiæ efficaciam formaliter non esse sitam in ipsamet cooperatione nostra, sed eam in actu primo priùs naturâ efficacem esse, quàm cooperatio nostra absolutè futura sit.* Profectò vellem ut ipsi Tannero, exposita fuisset D Thomæ doctrina, eô quo illam hic explicuimus modo; salvâ semper libertatis indifferentiâ etiam sub efficacissimo Divinæ Gratiæ Auxilio, cum perfecta immunitate tàm à coactione, quàm à naturali necessitate: Vellem (inquam) etenim nullum alium opponerem doctrinæ Adversariorum. Quid adhęc mi Eupistine? hic non est Dominicanus, sed illustris inclytæ Societatis Jesu Defensor. Jam quæso non amplius de Scientia Media loquamur, quam sine dubio pari zelo ille respuisset, si ea, quæ de hac retulimus, ipsi suâ ætate, innotuissent. Vides hac in parte Thomistarum à quadringentis annis consensum unanimem, & assiduam à centum, Tuorum discordiam? Sanctum Ignatium cum 20. totius Societatis Jesu sanctioribus & doctioribus habes Adversarium: ut infra ostendemus: habes & Decretum P. Generalis Claudii Aquavivæ, prohibentis ne ullus ex Religiosa Societate Jesu docere audeat Gratiam fieri efficacem per liberum arbitrium. Quò ergo effugies? aut quem in tuum consortium induces? forte Petrum à Valle-clausa, ad quem toties recursum habes. Sed omni jure contra ipsum in tuto sunt Thomistæ.

17. Qui supersunt ex Religiosa hac Societate, si liberum ipsis esset dicere quid sentiant, non dubito quin citò Sapientissimum Patrem Annatum imitarentur in salutari resipiscentia, quæ ipsi in ævum Sanctum erit gloriosissima in qua ipsi viam straverat P. Bastida, qui sui juris factus, licet anteà in Societate Jesu existens tanquam Doctior selectus fuisset ad Scientiam Mediam propugnandam; attamen ubi primùm fuit ab ea egressus, evolavit in Castra Thomistarum ad Præmotionem physicam propugnandam. Sed ne actum agamus, aut lectorem superflua aut nimis prolixa serie Authorum Celeberrimorum Societatis Jesu, qui hac in parte nobis consentiunt gravemus: Legat qui voluerit Paulum Fasseau, qui infatigabili labore cum pari fidelitate, à pagina 41. usque ad 488. numerum Sectatorum doctrinæ Thomisticæ prosequutus est. Qui supersunt (dixi) nam inter & ipsos est dissidium, de quo Palavicinus magnum præfatæ Societatis Decus, c. 25. *Vindicationum Societatis* ubi ait: *Disconvenit nobis cum inclyta Dominicana Familia super efficacitate Divini Auxilii. Nulla causa vehementioribus studiis unquam suscepta, quam hæc à nobis, quippè accusatis ac reis, adeòque non tantùm ad victoriam, sed ad Defensionem quæstionis sublimitas: Accusatorum Authoritas: publica mortalium expectatio; Societatis novitas, ac proinde existimatio non satis firma.* Et postquam dixit doctrinam Societatis posse defendi, (quod nullus nostrum unquam negabit; quandiu Ecclesia eam tolerabit) ait Palavicinus: *Iam verò ferè perventum est; ut plus negotii atque studii in hac ipsa quæstione apud nos civilis, quàm externa contentio habeat. Domestica enim quippe propiora & acriùs irritant, & vehementiorem habent ictum, vel molestiæ vel voluptatis.* Sed ut in ore duorum testium stet omne verbum: audi & Alterum quem nemo negare potest, quin post Sanctum Ignatium majori exarserit zelo, pro decore & bono Regimine Societatis prædictę. Hic est Joa. Mariana: qui in opere *de bono Regimine Religiosæ hujus Societatis* edito

causalitatem seu influxum per *concursum prævium*, ex ly *præ*, *&* *concursu* quorum primum dicit prioritatem, alterum verò simultatem: existimavit hanc notionem contradictionis vitio laborare.

At, apparentem hanc contradictionem facillimè sic solvunt Thomistę. Ly *concursus prævius* importat contradictionem distinguo grammaticaliter seu secundum vocem; transeat Antecedens; Philosophicè, secundum rem & Theologicè nego Ant. Explicatur. Cum Dei influxus sit simul tempore cum operatione causæ secundæ, rectè dicitur *concursus* & quia eandem operationem præcedit naturâ & effectivè; ritè etiam dicitur *Prævius*; sicque nulla est contradictio, aut ulla Adversariis cavillandi justa ratio, nisi fortè quod hæc via ipsis longe facilior visa sit, quàm ullus alius respondendi modus.

Alterum quod buccis concrepantibus ventilabat argumentum idem Neotericus, est: quòd ut patet (inquiebat) ex primo Eupistini volumine, omnium ferè suffragio probata sit Scientia Media. At libri tres à me editi contra Fuliensem pro Defensione Præmotionis physicæ, à nullo obtinuissent approbationem, nisi ab iis Thomistis, & quidem domesticis, qui suam in me propriam doctrinam approbarant. Verùm nihil facilius, aut magis authenticum afferri potest ad perpetuam falsæ hujus objectionis repulsam, quam quod paratum ab Amico reperi testimonium, post assiduam ferè quatuor annorum absentiam.



IUDICIUM CENSORIUM A DEPUTATIS

ex quinque Universitatum Doctoribus Theologicis factum, circa quatuor libros in lucem iterum Divione editos pro Prævii Influxus Primæ Causæ in omnes creaturas etiam liberas Defensione; seu legitimo jure Prædeterminationis Physicæ vindicando; cujus æquitas hic evidenter aperitur: atque tum antiquâ æmulorum scommata: tum nupera cujusdam Neoterici dicteria in ejus Propugnatorem conjecta, satis confutantur.

EX ALMA UNIVERSITATE PARISIENSI.

OMnibus non Lusciosis & qui rectitudine judicii pollent suspiciendus videbitur & suscipiendus quasi Nuntius sidereus Author Dissertationis hujus Theologicæ Reverendus Pater Jacobus à Sancto Dominico, Ordinis Prædicatorum, Professor Theologiæ Emeritus; qui jure vindiciarum liberavit ab Acroamate Interpolatoris genuinam Doctoris Angelici doctrinam, quam convellere tentabat officio inofficioso, nec satis à familiari popularitate remota industria; dum scilicet Doctorem nostrum omni commendatione & confirmatione majorem quasi in aporia constitutum exhibet circa mysterium Prædeterminationis, & Procceretici Personam gerens, Facultatem sibimetipsi facit determinandi sensum illius quem muto debuisset obsequio nunquam non audire. Oculis igitur non emissitiis, sed defixis inspectet Novam hanc Cassiopeïæ Stellam, quę ad instar ejus miraculosæ quæ in fronte Divi Dominici conspicua dum lustralibus undis tingeretur, innuit fulgorem simul & ardo-

rem cœlestis Scientiæ; equidem hæc stella circulo quasi lacteo connexa cum cęteris syderibus circa Cassiopeïam undequaque circumstantibus totius Militiæ Cœlestis vexilla protendit si ex Sacro Eloquio placeat ad pugnam Sizaræ animos convertere. Sed quia ad hirundinem præsentior & mitior allusio, hinc per talem hirundinem Tobiâ cæcior factus Acroamaticus Adversarius, discet quòd non nisi Aquinatis Angelico consilio à cæcitate ad usuram lucis revocandus sit, interposito videlicet stellę hujus Mediceæ & illuminatricis splendore, quæ lumen Cœli ipsi perspicuum exponet. Nolim tamen illum incusare quasi nihil cum nostra Cassiopeia habeat convenientiæ præter immanitatem Ceti contra Andromedam aut Nereïdum invidiam: vel ut ad Sacrum Oraculum convertatur amica nostra Commonefactio, nihil præter Callionimi Tigridis horrorem: si enim ita rem nobiscum haberet, sentiret hic Perseum Liberantem, at mage persentiret Tobiam apprehendentem branchiam ejus. Faxit ergo Supremus Omnium Moderator Deus Opt. Max. ut quemadmodum in hoc opere omnia fidei Orthodoxæ apprimè sunt consona, ita & Charitatis vinculo omnium qui perlegerint corda mentesque connectantur. Ita scripsi Ego Doctor Theologus Sacrę Facultatis Parisiensis. Nono Kalendas Novembris, Anno 1669.

CHAPELAS, *Curatus S. Iacobi à Macłaboria.*

OPus R. Patris Jacobi à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum, novum quoddam Lumen ingerit in animos Lectorum, qui Prędeterminationem physicam velut modum idoneum conciliandi liberum arbitrium cum gratia efficaci admittunt: & sicut Divus Prosper suum Ruffinum in evolvendis Sancti Augustini libris, suum omne studium impendere volebat, ut in confitenda Dei Gratia, saluberrimam Evang. & Apost. Doctrinæ intelligentiam consequeretur; ita qui per tramitem Thomisticæ doctrinę in agone Theologico currunt, inoffenso decurrent pede & propriùs veritatem Theologicam apprehendent, qui mentem Divi Thomæ & doctrinam ejus de necessitate & efficacitate gratię in hoc libro expressam, sub auspicio & Regimine hujus Stellę indagabunt. Ita testor & censeo Ego infra-scriptus Doctor Theologus Societatis Sorbonicę. Datum Lutetię 6. Kalend. Martii. Anno Domini 1670.

CHASSEBRAS, *Curatus S. Magdalena.*

QUibus oculis unquam legerit quispiam Angelicum Doctorem, & ejus doctrinam his in libris, quibus pręfixus erat aliàs titulus (Nova Cassiopeïæ Stella, &c. Authore R.P.F. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Fratrum Prędicatorum) contentam, non adverterit, sanè non video: Etenim tam apertè mihi constat ex mente Divi Thomę necessarium esse omnibus agentibus creatis, tam naturalibus quàm liberis Pręvium hunc Dei Influxum hoc in opere accuratiùs explicatum ac propugnatum, ut cæcutire mihi videatur in meridie, qui de hoc vel anceps fuerit.

Ita ego infra scriptus Doctor Sorbonicus post sedulam horum lectionem librorum judicavi Parisiis die 2. Decembris 1670.

LUDOVICUS FREMONT.

EGo infra-scriptus Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor ac Socius Sorbonicus testor legisse & quantâ potui diligentiâ examinasse opusculum cujus titulus est (Nova Cassiopeïæ Stella, &c. seu D. ttensio Sancti Thomæ Doctoris Angelici, Authore P. F. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Fratrum Prædicatorum) in quo nihil deprehendi Fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanę, bonisque moribus contrarium: immò Sancti Thomæ Doctrinam eximiam, quæ Prædeterminationis Physicę Spiritum continet: ut enim olim determinavit nostra Facultas Parisiensis adversus malè intelligentes ejus Doctrinam. Fuit universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitæ & Scholas Doctrinæ sanæ ingrediuntur; lumen vident, &c.

Ita Ego Scholæ Parisiensis Doctor Theologus, ut filius pro Matre, Discipulus pro Magistro Zelum meum palàm ac publicè manifestarem, subscripsi in Sorbonâ die 30. mensis Decembris anni 1670.

N. PETITPIED.

EX VNIVERSITATE DVACENA.

CUm hæc nova Cassiopeïæ stella tàm benigno Thomisticam de Præmotione physica doctrinam lumine illustret, ut nec malignis convitiorum radiis Adversarios perstringat, nec ullas in se maculas fidei orthodoxæ, bonis moribus aut Decretis Apostolicis adversas exhibeat; meritò novam typis iteratis lucem dabit & accipiet. Actum Duaci die 2. Martii 1670.

MATHIAS GERTMAN, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Primarius: Insignis Ecclesiæ Sancti Amati Præpositus, & Vniversitatis Duacenæ Cancellarius: Seminarii Regii Præses, &c. nec non Librorum Censor.

NOva hęc R. Patris Jacobi à Sancto Dominico Cassiopeïæ stella radios suos omnes de Prędeterminatione physica & verè Thomistica, quam ut sanæ & inconcussæ Ecclesiæ Catholicę doctrinę maximè conformem Sacra Universitatis Duacenæ Facultas pro viribus propugnavit; ab Angelico Sancti Thomæ Aquinatis lumine ita perfectè mutuatur, ut eâ Thomas ipse fulgere videatur: atque per illam tenebrę quas purissimę & indeficienti Communis Magistri Luci, in sua Larvata Divi Thomæ Defensione, re ipsâ, acerrima impugnatione R. P. D. Petrus à Sancto Joseph voluit effundere, planè dissipantur. Quare illam prælo dignissimam judicamus die 27. Februarii 1670.

JACOBUS RANDOUR, *Sacræ Theologiæ Doctor ejusdemque Regius & Ordinarius Professor.*

NICOLAUS JOSEPHUS, *de la Vardune, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor Regius & Ordinarius.*

NOs infra-scripti vidimus (non sine animi voluptate) novam Cassiopeïæ Stellam à R. P. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum compositam. Vidimus & mirati sumus lucem illius, ideò purissimam, clarissimam, quia à Sole Theologiæ mutuatam. Vidimus in ea Thomisticæ (de physica Præmotione) doctrinæ soliditatem, suâ in profunditate adeò modestam, ut nec profunditas officiat claritati: nec claritas subtilitatem obtenebret, nec subtilitas modestiam exsuffler. Vidimus doctrinam dignissimè de Deo sentientem, ipsius in omni causarum secundarum causalitate Primatum egregiè vindicantem, & creaturam intra creaturæ limites continentem. Ut sic totum D. Thomam in nova Cassiopeïæ Stella conspexerimus ad vivum expressum. Dignissima proinde est quæ in firmamento Cœli litterarii luceat omnibus Angelicæ veritatis Amatoribus, ut in ejus Lumine videant Lumen. Ita censuimus Duaci hac die 21. Decembris 1669.

F. HENRICUS, *à Sancto Ignatio Ordinis Carmelitarum Sacræ Theologiæ Professor.*

F. GREGORIUS, *à Sancto Martino Sacræ Theologiæ Professor ejusdem Ordinis.*

NOs infra-scripti Fratrum Carmelitarum discalceatorum Conventus Duaceni Sacræ Theologiæ Lectores: Novam hanc Cassiopeïæ Stellam à R. P. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis F. Prædicatorum compositam diligenter evolvimus: nihilque in ea fidei, nihil pietati, nihil probis moribus adversum reperimus: quin immò præfatus Author Prædeterminationis Thomisticæ originem, progressum & necessitatem perspicuè evincit, ac solidè roborat, idque adeò consone ad mentem Doctoris Angelici ut ipsum nedum sequi, sed etiam exprimere videatur. Eandem præterea D. Thomæ doctrinam à Neotericorum impugnationibus tam acriter tuetur ac nervosè propugnat, ut nebulæ quas Petrus à Sancto Joseph Fuliensis Soli nostro obduxit, sicut & illæ quas nuper alii suscitarunt, novi hujus syderis fulgoribus penitùs dissolui ac dissipari queant. Datum 28. Februarii 1670.

F. CAROLUS *ab Assumptione Sacræ Theologiæ Prælector,*

F. DOMINICUS *à Sancta Maria. Sacræ Theologiæ Prælector,*

NOva hæc Cassiopeïæ Stella solis sui Angelici ignem spirat & lucem, suisque quà Authoritatum, quà rationum plenis ac robustis radiis sic effulget, ut ex his unà diffusis & undequaque dispersis; & disceptationum nubes facilè dissipentur: suus verò doctrinæ Thomisticæ (cui ex professo Author unicè addicitur) primus, vereque nativus splendor redditur, totius Thomisticæ Scholæ novâ luce ac subsidio. Datum Duaci in Sancto Augustino Kalend. Martii 1670.

F. ANTONIUS DOUCHE' *Augustinianus Sacræ Theologiæ Professor Regius.*

F. CHRISTOPHORUS *de Labbaletrie Augustinianus Sacræ Theologiæ Professor,*

NOs infra-signati Collegii Vedastini Sacræ Theologiæ Professores publici in Alma Universitate Duacena librum inscriptum, nova Cassiopeïæ

ſtella, &c. Authore P. F. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum, attentè perlegimus: opus planè eruditum, quod profundam Authoris doctrinam & perſpicaciam commendat in aſſequenda mente Doctoris Angelici, cujus partum eſſe genuinum Prædeterminationem phyſicam à ſola ejus Schola fœliciter ſemper propugnatam, ſolidè adſtruit: unde nihil hîc Orthodoxę fidei, aut bonis moribus adverſum contineri, ſed Sancti Thomę (ut Alexandro VII. Summo Pontifici placuit) *tutiſſima, inconcuſſaque Dogmata* cenſemus. Duaci 23. Februarii milleſimo ſexageſimo ſeptuageſimo.

D. Petrus Leſtrelin.

D. Gillenus de la Ruë Ordinis S. Benedicti.

D. Petrus Honoré Relig. Sancti Amandi Ordinis S. Benedicti.

D. Philippus Albertus Deſprez Ordinis S. Benedicti.

D. Antonius Chaſſe, ejuſdem Monaſt. & Ordinis.

VErè grata mihi Caſſiopeïę Stella illuxit à R. P. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prędicatorum firmamento ſcholaſtico inducta; quippe Angelici Solis D. Thomæ Aquinatis clara, lumine; antiquum Prędeterminationis Thomiſticæ negotium, originem, progreſſum & neceſſitatem participatæ Lucis mutuâ reflexione irradians: & Sancti Doctoris mentem apertè explicans: quare dignam cenſeo quæ omnes veritatis Amatores illuminet. Datum Duaci hac 26. Februarii in Conventu Ord. noſtri Sanctiſſimæ Trinit. de Redemp. Capt.

F. De Bethencour Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, per Belgium Provincialis & Conventus Duacenſis Miniſter.

EGo infra-ſcriptus legi attentè, & maximâ cum animi delectatione ac ſatisfactione perlegi librum cui titulus; nova Caſſiopeïæ Stella, &c. à R. P. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum compoſitum: cujus quidem ſtellæ radii ſic emicant, ut Sanctorum, præſertim Sanctiſſimi Præſulis Auguſtini ac Angelici Doctoris Thomæ, mentes cuivis intuenti omninò explicent, tàm quoad Præmotionis Phyſicæ, quàm quoad gratiæ per ſe efficacis certitudinem & infallibilitatem, ſalvâ ſemper humanæ voluntatis libertate & indifferentiâ. Ita ut vel in meridiana luce cæcutire vel certè voluntariè rebelles lumini eſſe jure merito cenſeri debeant, qui hos veritatis radios non videant. Agnoſcant igitur quicumque in nebulis & caliginoſo loco hactenùs ambulaverunt, lucem tam patentem, humiliati ſub potenti manu Dei; cujus Dominium non ſolùm in effectus, ſed & in ipſas cauſarum ſecundarum actiones cum noſtro Authore amplectantur, niſi velint, dum nimis creaturæ tribuunt, Divinæ Potentiæ plurimùm detrahere, & ſuum ſibi fieri principium intolerabili audaciâ præſumere. Suum igitur ſtet Dominium Primo Motori & Primo Libero; ſtet & ſua creaturæ libertas, ſed ſecunda. Prodeat itaque hæc ſtella & radios ſuos in omnes Orbis partes emittat, & Adverſariorum nebulas penitùs depellat. Datum in Conventu Patrum Minimorum Duacenſi hac die 1. Martii 1670.

F. Matthæus Doyen Ordinis Minimorum Sacræ Theologiæ Lector & in Belgica Provincia Exprovincialis.

Ex Universitate Remensi.

NOs infra-scripti in Sacra Facultate Remensi Theologiæ Doctores, librum cui titulus est, nova Cassiopeïæ Stella, &c. Legimus attentè, nec in eo quidquam reperimus quod aut fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus adversetur: sed accuratam & eruditam Prædeterminationis physicæ Defensionem. Datum Remis 2. Septembris 1669.

Oudinet. Du Chemin. Rogier.

Ex Academiis Burdigalensi & Pictaviensi.

POst accuratam & diligentem Lectionem trium Librorum & brevis eorum Synopsis de Prædeterminatioe physica adversus illius propugnatores, sub nova Cassiopeïæ stella; Authore ac Propugnatore R. P. F. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum: visum est nobis non tantùm nihil in toto hoc opere contineri à fide orthodoxa alienum: verùm etiam omnia solidæ ac subtili S. S. Patrum, Conciliorum & Thomistarum doctrinæ conformia esse: in quo quia fœliciter Author est sequutus mentem Doctoris Angelici & nihil acerbum contra Adversarios protulit: judicamus quôd magno omnium Theologorum bono, iteratò & sæpius posthac in lucem edatur. Burdigalæ quarto kalendas Julii 1670.

ARNAL, *Augustinianus & Professor in Academia Burdigalensi.*

EGo infra-scriptus Sacræ Facultatis Theologiæ Pictaviensis Doctor, Decanus, Scholarum Prior ac Sanctæ Opportunæ Rector: fidem facio me legisse opus, cui titulus est, nova Cassiopeïæ Stella, &c. à R. P. Jacobo à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum conscriptum, quod utique dignum censeo ad Theologicæ veritatis indagatorium compendium typis mandari: est enim quoad Prædeterminationem Physicam menti Divi Thomæ valde consentaneum, nihilque in eo reperi quod eatenùs non sit Ecclesiæ conforme. Datum die 5. mensis Martii Anno salutis 1670.

GUERRY.

Approbatio Professorum Ordinis.

PErlegimus ex mandato Reverendissimi Patris Generalis, libros tres, & brevem ipsorum synopsim de Prædeterminatione, sub hoc nomine, *Nova stella, &c.* Authore Reverendo P. Fr. JACOBO à S. DOMINICO, Ordinis Prædicatorum, quibus hoc suffragium nos debere censuimus: ubique Angelici Præceptoris mentem Author assequitur, totque testimoniis comprobat ex omnibus suorum operum partibus exactè quæsitis, ut manifestum sit nihil frequentius à D. Thoma usurpatum, eâ Dei motione suaviter efficaci, quâ creaturam regit, movet ac ducit, & quæ ut Christianæ humilitatis, ita Tho-

misticæ doctrinæ fundamentum est, eâ verò sedulitate, & in evolvendis Sancti Thomæ operibus diligentiâ sanctissimi Magistri moderationem animi didicit, nihil sibi asperius in Adversarios permittentis. Parùm fuerit nullum unquam liberius verbum excidisse in eos, quos pro suæ scholæ vindiciis & veritate urget; ita agit, ut sanè gloriari possint à viro Religiosissimo etiam laudes promeruisse. Opus quod egregium suæ Scholæ, eruditionis & Christianæ charitatis specimen est, dignissimum publicâ luce judicamus. Datum Parisiis die 10. Octobris 1665.

Fr. BERNARDUS LAPALISSE, Prior Novitiatus Generalis Parisiensis, & Doctor Theologiæ.
Fr. VINCENTIUS BARON, Theologiæ Professor.
Fr. ANTONIUS MASSOULIE, Lector Theologiæ.

NOs infra scripti Doctores Sorbonici, fidem facimus accuratius à nobis lectum & examinatum quartum hunc librum à R. Patre JACOBO à Sancto Dominico editum, in quo nihil reperimus fidei aut bonis moribus contrarium: immò dignum illum judicavimus, ut de eo idem fiat judicium ac factum vidimus à Doctoribus de aliis tribus libris præcedentibus, quibus hic quartus liber est adjungendus propter conformitatem doctrinæ, meritòque pro Defensione D. Thomæ, publicam in lucem emittendus. Ita censuimus Lugduni, die 22. Aprilis, anni 1670.

Fr. BENEDICTUS FARCONET.
Fr. ALEXANDER RICHARD.

POrrò hoc quarto libro efficaciter confutatur cujusdam Larvati Authoris Libellus Duaci editus 1670. cui hic titulus ementito vocabulo est præfixus: *Authoritas Germani Philalethis Eupistini contra physicas Præmotiones pro Scientia Media.*

LETTRE DE MONSEIGNEVR L'ILLVSTRISSIME Evesque de Rodés.

MON REVEREND PERE,

Il y a quelques mois que je receus une Lettre de vostre part: à laquelle je ne fis point de réponce parce qu'estant absent de Paris, je ne sçavois par quelle voye ny adresse vous la faire tenir. Il est vray qu'ayant trouvé l'année passée vostre livre en la boutique d'un Libraire, je l'achetey dans le dessein de profiter de sa lecture, mais les infirmitez frequentes & particulierement l'incommodité d'un œil que j'ay esté menacé de perdre, m'ont empéché de m'y appliquer comme je l'eusse desiré. Ie vous diray neantmoins qu'outre l'erudition dont il est remply & les sentimens Orthodoxes que vous soûtenez; j'ay esté beaucoup edifié de la moderation avec laquelle vous traitez cette matiere qui est des plus difficiles de toute la Theologie, & sur laquelle les plus Sages s'échauffent & s'échappent quelquefois. Il seroit à desirer qu'on agist toûjours de la sorte en semblables sujets, & si on l'eust fait par

le passé, peut estre que nous n'eussions pas veu tous les troubles qui ont agité l'Eglise & divisé les Esprits. Voila ce que je vous puis dire pour réponce à vostre Lettre, & le jugement que je puis faire du peu que j'ay leu de vostre ouvrage, qui m'a servy déchantillon pour juger de toute la piece. Vous avez des Approbations si celebres, qu'il n'est pas necessaire d'en augmenter le nombre, & j'espere que vous serez satisfait de moy si j'ajoûte à ce que je viens de vous declarer que je suis..

Vostre tres-affectionné & tres-acquis serviteur, Louys E. de Rodés.

A Paris le 7. Decembre 1669.

EN amice lector, & Extraneorum à te tandiu, totiesque postulatum suffragium quo ipsi obmutescant Thomistarum Æmuli, tuaque interim fiat satis patientia in mora novæ Editionis, cui per se nequivit Author absens operam dare: hoc unum priori editioni improperantibus Antithomistis, quòd scilicet, solis eorum esset roborata suffragiis, qui suam hoc in opere propriam Doctrinam approbarent. At modò hoc tàm authentico istorum Censorum judicio, quid quisque de Dei in omnes causas secundas influxu prævio, sive de physica Prædeterminatione, verè possit ac debeat sentire, tàm certò quàm evidenter accipit. Arbitror enim nullum jam fore adeò pertinacem, qui suam privatam hâc de re opinionem, huic tàm solemni tot Doctorum judicio ac Sententiæ ausit præferre. Nec dubito quin mireris, qui fieri potuerit, ut viri tantâ professionis differentiâ, tantâque locorum intercapedine ac distantia ab invicem discreti, solâ vi veritatis & evidentiâ, fuerint in unâ sententiâ, non solùm inter se, sed etiam cum Domesticis ita Unanimes; ut quasi uno ore in gratiam Doctrinæ D. Thomæ ab Authore propugnatæ loquuti sint, quò vel solo, adeò convincenti indicio, os omninò obstruatur omni Homini, non Momo, qui assiduâ insectatione & irrequieto opprobrio sapientissimum domus Minervæ Architectum ubique lacesseret, quòd huius scientiarum Deæ Basylicam non fecisset mobilem, ut eam secum aut posset auferre, aut saltem removere eam, quoties domum vicinam sibi molestam reperisset. Proh insulsas falsi huius Numinis querimonias! Quasi verò, fas esset sic sibi blandè adulari & arrogare (cum aperto aliorum detrimento) quod commune debet esse? vel solis disceptationum tricis, aut arte cavillandi possent omnes excæcari? Sacro pronuntiante Oraculo: Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. Prov. 1. *Aut cuipiam interpolatori licitum esset, solâ revocandi gradum verecundiâ, seu pudore retractandi quod perperam cœptum est: perpetuum etiam notissimæ veritati bellum indicere, & totum contentione importunâ Mundum fatigare? Dixi bellum indicere veritati: quæ unâ expugnatione Prædeterminationis physicæ, triplici conficitur vulnere. dùm Supremum impetitur Dei Dominium: debita creaturæ à Deo solvitur dependentia: atque primum Christianæ humilitatis convellitur fundamentum ita ut parùm absit, (si tamen parùm) quin & in agendo tàm falsò & temerè possit dicere, etiam quivis homuncio, quàm arroganter ac miserè dixerit infœlix ille*, Similis ero Altissimo. *Sed amabò, Quorsum ergo tandiu disceptare, ac delubra instaurare? Ne forte silentium transire videatur in consensum, aut existimentur taciti Thomistarum Æmuli lite cecidisse.*

Verùm,

Verùm, an aliud Prudentes sentient, etiamsi tales in ævum contendant? Quibus hâc in parte, iam non major fides adhibeatur apud Peritos, ut patet, quàm iis, qui ut sibi nomen faciant; omnium Sapientum cœtu secùs asseverante, ipsoque sensu reclamante; idiotis nituntur persuadere; terram moveri: Cœlum verò, Solemque ipsum quiescere. At tu Candide Lector, qui veritatis Amicus es, verusque Cultor illius. Qui non respiciens personam hominum, viam Dei in veritate docebat, spretâ illorum invidiâ qui convenerant ut illum caperent in sermone. *Matth. 22. Ne ullus tibi superesse possit circa hoc negotium scrupulus, Vniuscuiusque ex prædictis viginti quinque* Doctoribus *reperire potuisti Authographum Lingonis depositum apud Dom. Iavernaut Archidiaconum & Illustrissimi Episcopi Lingonensis Vicarium Generalem, ad quem in huius rei fidem remissus es: ne tu quoque existimares suppositititia esse præfata illorum suffragia; ut falsò commentus est Acroamaticus quidam Neotericus, cui sine dubio alter eris Azarias obsequio, & fortasse (saltem in specie) peritior illo, si tàm malè feriato in Thomistas animo, efficaciter mederi valeas: & te Medico absque felle piscis Tobiæ iunioris, ab eius oculis voluntaria decidat albugo. Cui ut nihil desit, huic mecum voce ac voto benè preceris, Vale*

3. His ita compositis, peto an posset quispiam controversiæ alicujus dirimendæ laqueis irretitus; aliquos offerre lectoribus testes magis integros, aut judices æquiores, quàm quos constat omnium judiciô, nulli partium, sed uni veritati fuisse addictos? Sapientiâ, probitate, prudentiâ præditissimos: sic ab invicem dissitos seu distantes, ut nullius inter se fœderis aut pacti, eos quisquam efficere possit suspectos: mihi ignotos: toti Galliæ, omnique Belgio notissimos. Quos tamen una vis veritatis, sic mente adunavit, ut quasi uno ore loquuti sint in favorem Prædeterminationis physicæ: & subinde in condemnationem Scientiæ Mediæ huic oppositę, quam non excogitavêre ejus Propugnatores, nisi ut præfatam Divi Thomæ doctrinam à Scholis possent eliminare, Superstites sunt, ad quos à quatuor annis provocarunt Amici Adversarios: Authenticum uniuscujusque Authographum nunc apud me asservo, omnibus oblatum: aliàs ab Amicis ob consimiles cavillos apud personam publicam depositum.

Quæro iterum, an ullus esset temeritati locus; si quis tam alta voce prædicatas ab Adversariis Scientiæ Mediæ palmas, pro hac, quam propugnamus Divi Thomæ doctrina, in veritatis triumphum credidisset fore commutandas? Si enim post tam accuratam tot Censorum discussionem, totque judicum adeô solemne judicium, cum præfatis habitum circumstantiis, quispiam possit adhuc rem hanc in dubium revocare; Certè dicendum est, vix ullam esse in Mundo veritatem, cui non possit perpetuum contradictionis bellum indici. In ore duorum aut trium testium in lege stat omne verbum, etiam cum de vita agitur: & viginti quinque omni exceptione Majores, Eupistino non sufficiunt ut veritatem fateatur: inciderunt in manus illius tres libri à me editi, in quibus rem de qua agebatur feci meridianâ luce evidentiorem; ac de verbo ad verbum prætensam Divi Thomæ Defensionem à Petro à S. Joseph factam (quam tot æquissimi Censores judicarunt, *veram Divi Thomæ impugnationem seu inofficiosum officium*) confutavi. Hanc tamen Defensionem tot titulis exauthoratam, dicit Eupistinus *esse optimam*;

ac novam illius curat Duaci editionem fieri; dissimulando illius confutationem ac prædictorum judicum Censuram: & ut possit res in favillas redactas excitare; novâ præfatione præfata defensio ab illo exornatur: Centum Divi Thomæ & aliorum Sanctorum Patrum, nec non Scripturæ & Conciliorum Authoritatibus: & testimoniis à me allatis, sicut & tot argumentis convincentibus ne uni quidem respondit: sed tantummodò Bellarminum & Thyphanium ex omnibus à me laudatis Authoribus contra doctrinam quam tuetur Eupistinus, ad se reducere nititur: (sed an pro se fœliciter ad modùm, ex libro sequenti judicabit prudens Lector.) Et quia non fui Propheta, nec potui ominari Bellarminum, (quem Authores vitæ ipsius dicebant morti proximum) adhuc viginti annis victurum: inde nacta occasione, hoc mihi dicteriorum exornat Eupistinus eloquentia, ut me posset innumeris afficere injuriis, *crassæ scilicet & palpabilis ignorantiæ: in evolvendis Authoribus negligentiæ: falsi ac infœlicis Astrologi, fallaci dioptrâ usi*: unô verbo, vix ullam adversum me prætermisit injuriam ex iis, quas etiam optimi judices in Tribunalibus dissimulant & aliquandiu permittunt iis qui lite & causâ ceciderunt.

4. Si inter diversa, quæ hic nobis à Deo conceduntur tempora pacis & belli; loquendi & tacendi; reperissem aliquod etiam esse tempus veritatis & mendacii seu falsitatis: ut verum fatear, solo quietis seu otii amore obmutuissem ad novam hanc Eupistini præfationem: in qua repetit sine rubore, quæ reperit omnino soluta & confutata: loquens enim de causis secundis ait, *positâ illâ motione, necessariò sequi operationem: easque posse cum solo concursu Dei simultaneo, elicere suas operationes suis viribus proportionatas*: cumque fusiùs prosequi vellem, reperi totam hanc præfationem esse exscribendam, totque in ea fere esse falsitates quot lineas libris contra Petrum Fuliensem editis, ex quibus nihil assumpsit Eupistinus præter solam me lacessendi dicteriis occasionem: & ut ipsi nullum deesset genus impetendi Thomistas; relicto de eorum sufficientia & eruditione contemptu, quo adversus eos abundat Lector Gratianopolitanus, ipsis sub finem præfationis adulatur his verbis Eupistinus, *certè mirari non desinam, viros doctrina & Religione conspicuos, tam impensè laborare, ut Divum Thomam in suas partes volentem, nolentem trahant*: At his blanditiis non demulcentur Thomistæ. Nam qui Divum Thomam sequantur: aut invitum & reluctantem pertrahant, conspicuum est ex Thomistarum libris, & Authenticô, præfatorum Censorum suffragio, omniumque peritorum judiciô. Quare ne nobis & Lectoribus in gravioribus occupatis illudant amplius Adversarii, nosque gravent superfluis repetitionibus, conferat benevolus Lector novam hanc Eupistini præfationem cum tribus libris à me editis contra Petrum à S. Joseph, cujus novam instauravit editionem; ipsumque in illo Eupistinum ita evidenter & efficaciter confutatum reperiet, ut mirum sit, quâ fronte de illo mentionem facere ausus sit: quod si horum non suppetat copia librorum, plenè sufficient, quæ supra diximus de modo ab omnibus (exceptis Adversariis) receptissimo, quô Thomistæ explicant efficaciam Gratiæ.

CAPUT DECIMUM QVARTVM.

In quo confutatur libellus Gratianopoli 1674. editus, quantum spectat ad Prævium Causæ Primæ influxum, prorsus alienum à quinque propositionibus condemnatis, nobis falsò impositis.

Nu. 1. SI assumptum jam abjecissem clypeum, ad tuendam D. Thomæ doctrinam contra larvatum Authorem falsò nomine Eupistinum; illicò fortassè resumendum nonnulli suasissent: nec facile obtinuissent: aliis non paucis secùs faciendum sentientibus. Existimant enim eos, jam non pluris esse faciendos aut aliter audiendos, qui contra doctrinam Divi Thomæ hac in parte loquuntur ac sermonem profundunt, quàm audires quempiam exerto ore in foro vociferantem *non esse diem in meridie.* Hoc dictum sit ratione libelli semel & iterum Gratianopoli editi 1673. in quo juvenis Philosophiæ Magister non metuit Thomistas, innumerosque Ecclesiasticos & omnium Ordinum Religiosissimos viros, doctrinæ Divi Thomæ addictissimos, hæreticis accensere sequenti positione.

Ex illa (scilicet Prædeterminatione physica) evidentissimè sequitur (inquit) *non tantùm aliqua Dei præcepta esse impossibilia, & interiori Gratiæ numquam resisti: verum etiam ad meritum & demeritum sufficere libertatem à coactione: & Gratiam prævenientem talem esse, ut ipsi voluntas humana resistere vel obtemperare non possit: atque ita Christum pro omnibus hominibus non esse mortuum.* Si tot libris jam editis oppositum ostendentibus non integram adhiberet fidem hic Philosophiæ Magister, debebat saltem auscultare Dominum Caramuëlem, Magnum Societatis Jesu Amicum: At ille in sua Theologia fundament. not. 2. pag. 29. ait; *Ianseniani non debent accenseri Thomistis: isti enim (etiam quando loquuntur severissimè;) negant in sensu diviso necessitatem, quod probabiliter sufficit ut salvetur libertas. At Ianseniani in omni sensu necessitatem protrudunt, & re sublata, retinent merum libertatis vocabulum.* Quod si ut supra diximus ex Professoribus collegi Cordubensis, *penè temerarium sit Caramuëli respondere;* quid eidem contradicere? At ipsi contradicis mi Magister, eoque gravius, quò falsò asseris, tuam positionem esse *juxta puram Tridentini, Sanctorum Patrum & præcipuè S. Augustini & D. Thomæ doctrinam, quos ut constat, aut numquam legisti, aut eis ac nobis imponis.* Et ut tuæ nihil desit audaciæ, positione sextâ addis, *Prædeterminatio physica non datur, quia*, inquis, *ut veri Sanctorum Augustini & Thomæ Discipuli, rem adeò utriusque doctrinæ oppositam pati non possumus,*

2. Hunc profectò Philosophiæ Magistrum videtur D. August. lib. 3. contra Academicos cap. 3. præsaga mente alloquutus dum ait; *Quia bene nosti istos Adolescentulos, vix adhuc posse discernere, quæ acutè & subtiliter disseruntur: tanquam judicum abuteris ignorantiâ, ut tibi quantumlibet loqui liceat, nullo reclamante.* Loquatur ergo ille quandiu quantumque sibi placuerit, per

me licet: dummodò ex eo vera esse quæ ait nemo existimet; quod facili negotio hic evidenter demonstrabo: vel ex Magno ipsius Societatis Defensore, cui comparatus hic juvenis Magister Philosophiæ, novitiolus tantummodò judicabitur. Hic est Joa. Martinonus in Append. sui Antijanseniani pag. 708. Parisiis editi apud Cramoisy an. 1652. in fol. qui licet pag 597. nu. 10. in doctrinam D Thomæ impegerit dum existimavit *Gratiam efficacem vi sua, talem esse seu tanta virtutis & efficaciæ, ut voluntas illi resistere non possit, necessiteturque physicè aut moraliter ad consensum*: Quod est falsum & ab omnibus Thomistis reprobatum, attamen satis hac in parte habuit æquitatis, ut ipsos in tuto poneret hac in parte contra hunc Magistrum Philosophiæ: nam ille loco supra citato loquens de possibilitate mandatorum, quæ propositio caput est aliatum quatuor damnatarum ait, *errant vel ipsis Thomistis judicibus: nulla est ex illis quinque propositionibus ad Summum Pontificem missis ut eas speciali censura notare dignetur, quam duo illi Ordines (Iesuitas & Dominicanos intelligit) non damnent & censurâ dignam judicent: nulla cuius oppositum sibi certum esse non profiteantur: nulla denique quam utriusque familiæ Theologi, quotquot de his rebus scripserunt, non graviter insectati sint.* Et quamvis insolitum videatur, meque nonnulli judicent modum excedere, ita accuratè libellis ac thesibus respondere solo contemptu & silentio dignis; & ea, quæ centies contrita sunt, & quæ quot annis sine verecundia ad incudem revocant, confutare: tamen Amicorum precibus id nequivi denegare, qui sibi expedire judicarunt, librum seu opus aliquod fixum apud se habere, ubi (id est Gratianopoli) specialiter videtur instituta Academia, ad perpetuò impugnandam D. Thomæ doctrinam, quam importunè quæsita quavis occasione aggrediuntur, agitantes obscuriores Theologiæ difficultates, etiam in ipso limine & aditu Philosophiæ, apud insontes pueros, vix priora Dialecticæ rudimenta capientes: ut his falsis, quæ imponunt Thomistis, primò imbuti, *servet odorem testa diu.* Quare *si error, cui non resistitur, teste D. Gregorio, approbatur*, ne ulla hic erroris approbatio imputetur Thomistarum silentio: pro ipsis ac juribus veritatis breviter dicam, commiseratione dignius esse quàm responsione hoc ultimum, quô se jactat hic Magister Philosophiæ, dum ait se hac in parte *veros esse S. Augustini & D. Thomæ Discipulos*, seque hanc ob causam non posse pati doctrinam, quam propugnamus: sed ne actum agamus illique perpetuò obmutescant, sufficit illis opponere tres libros à me hac de re contra P. Fuliensem editos, quibus à sex annis nihil responderunt Adversarii præter injurias, omnium judicio valde insulsas.

5. Et ne quis arbitretur in Tridentino (nobis ab ipso perperam objecto) aliquam esse difficultatem ex qua possint Adversarii illud Interpretari in suum favorem; Peto ab ipso Philosophiæ Magistro: num major fides adhibenda sit testibus ocularis & auritis, certiorque habenda sit cognitio alicujus negotii, apud eos, qui rem ipsam gesserunt, aut saltem magna pars ejus fuerunt, quam apud ipsum, qui de eodem Concilio nihil nisi forte post centum annos audivit. At ea est præsens controversia pro qua dirimenda, non ei opponam sex Archiepiscopos: 17. Episcopos: 28. Doctores, plures Fidei Inquisitores, ac Regum aut Principum delegatos Confessores, omnes ex Familia Dominicana assumptos & Tridentino præsentes: Sed unum objiciam Salmeronem totius Societatis Jesu doctissimum, Divi Ignatii Socium, hac de causa ad dictum

Concilium, ab eodem transmissum, qui disp. 19. in Epist. ad Rom. exponens hæc verba (Quos præscivit & prædestinavit) perpetuum dicto Magistro silentium imponit his verbis : *Illos amavit* (scilicet Deus) *non ad aliquod bonum temporale, sed ad supremum cœlestis Gloriæ ; nec ad tempus, sed usque in finem dilexit eos : id est*, inquit, *firmâ suâ & immobili Prædeterminatione, per certa media, quasi serie quadam instituit, ut possent ad Gloriam pervenire.* Lege eumdem tom. 4. in Evang. & in Epistolas Pauli disp. 5. in fin. ubi semel & iterum tuam reperies sententiam ab eo prolatam tot annis antequam nascereris ; huncque damnare, ut arbitror, ignorantiæ non audebis, nec in dubium revocare quin veram cum nostris, Tridentini (cui aderat) intelligentiam consequutus sit.

Item legantur omnes Canones 2. Concilii Arausic. ut inde Lector possit inferre, non minùs favere Thomistis hoc Concilium, quàm Tridentinum supra citatum, quibus doctrina Molinæ evidenter impugnatur, & maximè circa donum Perseverantiæ.

Ita levia sunt, & à veritate aliena, quæ prosequitur ille Magister Philosophiæ, ut responsione non indigeant. *Malè*, inquit, *confunditur omnis Præmotio cum Prædeterminatione physica.* Nedum malè, Pater mi, sed pessimè, idque non à Thomistis, sed ab iis quos ipse tueris, qui motionem moralem & concursum simultaneum & indifferentem à centum circiter annis tot artibus frustrà satagunt obtrudere pro physica Prædeterminatione, nihilque proficiunt ; immò quotidie deseruntur à sapientibus æquitatem & necessitatem doctrinæ D. Thomæ agnoscentibus.

4. Ut cognoscat Lector eandem difficultatem centies solutam, fidenter tamen ab Adversariis revocari ad incudem, tamque audacter ab ipsis objici, ac si de illa nulla unquam mentio facta fuisset : nec alio nec recentiori argumento ad hoc probandum opus est, quàm supra relata positione Magistri Philosophiæ, quâ tàm falsò Thomistas facit Patronos propositionum ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatarum ; & quamvis solo contemptu solvenda esset inveterata hæc objectio : ne tamen Magister ille, cui aut nova sunt omnia, aut qui dissimulatione laborat circa vetera, ex nostri silentii æquitate, sibi utcumque possit blandiri.

Dico primò ad perpetuam hujus falsitatis repulsam, post condemnatas à Summis Pontificibus prædictas quinque propositiones sibi oblatas, per Belgium continuò rumorem falsum fuisse sparsum à quibusdam Neotericis, asserentibus doctrinam S. Augustini & Divi Thomæ, harum propositionum censuris & condemnatione labefactatam fuisse. Inde commota Celeberrima Universitas Lovaniensis, suas super hac re ad Alexandrum VII. detulit expostulationes & querimonias. Quibus fecit satis Summus Pontifex per Breve ad hujus Academiæ Doctores directum, & Romæ 7. Augusti datum, sexto sui Pontificatûs anno : quo declaravit illibatam remanere utriusque Sancti doctrinam, semperque esse ac fuisse *tutissima & inconcussa illorum dogmata.* Quid potest Adversariis os obstruere, si istud non sufficiat?

5. His tamen non obstantibus, instat Philosophiæ Magister, & ait : *Multò pejus confunditur Præmotio supernaturalis, hoc est, Gratia excitans, cum Prædeterminatione physica : nam nec omnis Prædeterminatio physica est Præmotio supernaturalis, &c.*

Cui respondeo, & peto ab ipso in quonam Thomistarum legit unquam confundi motionem ordinis naturalis, cum Gratia excitante ordinis supernaturalis? Quid ergo omnibus Thomistis affingere satagit tanquam rem certam quod ne in uno quidem reperiet unquam aut reperire potuit? numquid manifestè sic abutitur Lectorum credulitate, nec tam suæ causæ favet hac falsitate, quàm nocet ingenuis adolescentibus, quorum mentes (inquit Suares) veritate imbuere tenetur Magister? His si nondum ille acquiescat, legat librum secundum Resp. contra Fuliensem, & reperiet unde dicenda sit Gratia efficax, salvo sensu legitimo secundæ propositionis condemnatæ; vel si malit, legat ipsum Doctorem Angelicum, 1. 2. q. 111. a. 2. à quo discet qui sit distinguendus duplex Gratiæ (sicut & cujuslibet formæ) effectus; *esse scilicet & operatio*, quô vel solô differunt omninò Thomistæ ab illorum opinione, qui dicebantur asserere *omnem Gratiam esse efficacem*, ex eo nimirùm quod Gratia semper aliquem effectum habeat, etsi non illum, quem posset ac deberet habere connaturaliter, quem si consequeretur, verè ac simpliciter efficax diceretur.

Quod autem Gratia semper aliquem habeat effectum, sic fit manifestium. Omnis Gratia Animam realiter afficiens, aut est illuminatio intellectûs, aut motio voluntatis: At impossibile est, ut Deus illuminet intellectum, & intellectus non sit illuminatus; aut ut moveat voluntatem, & voluntas non sit mota: (quia relativa sunt simul intellectu & natura) sicut impossibile est ut albedo sit in pariete, & paries non sit albus. Discat igitur distinguere hic Philosophus cum Angelico Doctore, locô citatô ad 2. *esse Gratiæ seu ejus effectum formalem ab illius operatione.* Legat eumdem 1. 2. q. 24. a. 3. ad 1. ubi ait: *Spiritus Sanctus movet mentem hominis vel plus vel minus secundùm suam voluntatem.* Et passim: nominatim verò 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2:

Secundò, ut agnosceret ille Magister Philosophiæ doctrinam Divi Thomæ è diametro oppositam esse propositionibus condemnatis; debebat legere P. Guyard Doctorem Parisiensem, qui utriusque doctrinæ, Jansenii scilicet & D. Thomæ discrimina integro volumine prosequutus est per sexcentas viginti & octo paginas, Parisiis apud Thierry 1655. edito. Debebat ipse & P. Leonardy consulere, & si integram ipsis non haberet fidem, certè non debebat R. Patri Annato contradicere, qui libro Gallico idiomate edito, jam laudato, cui titulus est, *La Conduite de l'Eglise*; apertè ostendit 18. discrimina inter Jansenii & Divi Thomæ doctrinam. Quid plura?

Profectò nihil efficacius quàm quod statim subjiciam, quô omnibus innotescat in iis quæ tam audacter nobis ille Magister Philosophiæ imponit, aut malâ fide nobiscum agere, aut D. Thomam nunquam legisse. Sit ergo

PRIMA PROPOSITIO CONDEMNATA ab Innocentio X.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.

Primò, huic propositioni contraria est Divi Thomæ doctrina, 1. p. q. 49. a. 2. ad 3. ubi ait: *Deus non deficit in agendo quod est necessarium ad sa-*

lutem. Sed Gratia, quæ a solo Deo est, est absolutè necessaria ad salutem, non solùm incipientibus, sed præcipuè tum vel maximè ad perficiendum.

Secundò, 2.2. q. 100. a. 10. in o. *Non est impossibile*, inquit, *hoc preceptum*, (scilicet charitatis) *observare: quia homo potest se disponere ad charitatem, & quando habuerit eam, potest eâ uti.*

Ibidem q 106. a. 2 ad 2 *Lex nova*, inquit, *quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* q. 109. a. 4. *Quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò impossibile.*

Quartò, lect. 3. in cap. 12. ad Hebr. *Gratia Dei*, inquit, *nulli deest.* Ergo potiori jure non deest *volentibus & conantibus.*

Quintò, in sent. dist. 28. a. 3. in 1. argu. *Sed contra*, ait ex D. Hieron. *Qui dicit Deum impossibilia præcipere*, anathema sit. Et in 2. arg. *Deus*, inquit, *non est magis crudelis quàm homo, sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non potest: ergo hoc de Deo nullo modo est æstimandum.*

Sextò, de verit. q. 24. a. 14. ad 1. *Illud quod præcipit Deus, non est impossibile homini ad servandum.* Et ibid. ad 2. *Rectè*, inquit, *homo corripitur, qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia est, quod gratiam non habet, per quam posset servare mandata, quantùm ad modum, cum possit nihilominus per liberum arbitrium ea servare quantùm ad substantiam.* Intellige quod possit sine gratia habituali, non verò absque gratia excitante.

Septimò, quodl. 2. q. 4. a. 1. in o. *Nullus*, inquit, *tenetur ad id quod est super vires suas, nisi per modum quo sit sibi possibile.*

Octavò, quodl. 7. q. 7. a. 1. ad 3. sub fin. *In quolibet præcepto sunt duo consideranda, scilicet finis præcepti, & possibilitas observandi, &c. Nec*, inquit, *aliquid impossibile (à Deo) præcipi potest.*

SECUNDA PROPOSITIO CONDEMNATA.

Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.

Huic quoque contraria est doctrina D. Thomæ: Primò lect. 1. in cap. 12. primæ Epist ad Corinth. circa medium. *Dicendum*, inquit, *quòd quantùm est ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, sed magis retrahitur à peccato: potest tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto resistit, secundùm illud Act. 7. (Vos semper Spiritui Sancto resistitis) non enim per Spiritum Sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi à libero arbitrio totaliter in vita præsenti.*

Secundò. Itidem lect. 1. in cap. 6. secundæ ad eosdem Corinth. *Quicumque*, inquit, *acceptâ Gratiâ non utitur ad vitanda peccata, & ad consequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit.*

Tertiò, 1. 2. q. 106. a. 2. ad. 2 *Si quis*, inquit, *post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, majori pœnâ dignus est, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi præstito non utens.*

Quartò, 3. p. q. 69. a. 8. ad 2. *Etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter eâ utuntur, sed unus studiosiùs in ea proficit; alius per negligentiam Gratiæ Dei deest.*

Quintò, lect. 2. in cap. 5. secundæ ad Thessal. *Aliquis dicitur extinguere*

Spiritum Sanctum in se vel in alio, cum alius, aliquid boni ex fervore Spiritûs Sancti vult facere: vel etiam cum aliquis bonus motus in ipso insurgit, & ipse impedit. Act. 7. *(Vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Tertia Propositio condemnata.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.

Tertiæ huic propositioni contraria est D. Thomæ doctrina.

Primò, 1. p. q. 62. a. 3. ad 2. *Inclinatio Gratiæ*, inquit, *non imponit necessitatem: sed habens Gratiam potest eâ non uti, & peccare.*

Secundò, ibid. q. 83. a. 1. *Homo agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse faciendum vel prosequendum: sed quia ratio non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis: ideò agit libero judicio potens in diversa ferri.*

Tertiò, 1. 2. q. 13. a. 6. o. *Homo non ex necessitate eligit, &c. Electio non est perfecti boni, quod est beatitudo, sed aliorum particularium bonorum: & ideò homo non ex necessitate, sed liberè eligit.*

Quartò, Factâ mentione hæresis Joviniani, Manichæorum & Pelagii: tanquam dogma catholicum his hæresibus fugandis necessarium stabilivit D. Tho. de verit. q. 24. a. 12. in o. *Homo non erit liberi arbitrii, si vel ad bonum, vel ad malum ex necessitate impellitur: quod esse inconveniens & experimento, & Philosophorum doctrinis, & Divinis Authoritatibus probatur.*

Quintò. Ita est efficax sequens D. Thomæ testimonium, ut hoc vel solum sufficere possit, de Malo, qu. 6. quæ est de electione humana. *Quidam posuerunt*, inquit, *quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur, &c. Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus, &c. Non solùm contrariatur fidei, sed etiam subvertit omnia principia Philosophiæ Moralis.*

Quarta Propositio condemnata.

Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Huic quoque est contraria Divi Thomæ doctrina.

Primò, quodl. 1. q. 4. a. 2. ad 2. *Deus movet omnia secundùm modum eorum: & ideò Divina Motio à quibusdam participatur cum necessitate: à natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideò sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic Motioni resistere.*

Secundò, de potent q. 3. a. 7. ad 13. *Causa Prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet; sicut determinat naturam.* Nota ly *sicut*, quô decipiuntur aut decipiunt Adversarii.

Tertiò, 1. 2. q. 10. a. 4, o. *Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam*

sam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus contingens & necessarius. Et ibidem ante quæst. 9. art. 6.

Quartò, 2. 2. q. 10. a. 1. ad 1 *In natura humana est*, inquit, *ut mens non repugnet interiori instinctui & exteriori prædicationi.*

QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuisse, aut sanguinem fudisse.

Huic denique propositioni contraria est Divi Thomæ doctrina.

Primò, lect. 1. in cap. 2. Epist. primæ ad Timoth. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter; quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium.*

Secundò, 3. p. q. 49. a. 5. ad 3. *Dicendum quod per passionem Christi aperitur Cœlum omnibus sicut per communem causam apertionis Cœlorum.*

Ibid. quæst. 46. a. 5. ad 3. *Dicendum quòd secundùm sufficientiam una minima passio Christi suffecisset ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis.*

Ibidem rursùm q. 48. a. 2. in o. *Ideò passio Christi non solùm sufficiens, sed etiam superabundans fuit pro peccatis generis humani. secundùm illud 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro totius mundi.*

Quintò, in 3. Sent. dist. 19. q. 1. ad 2. quæst. sub finem. *Et ideò*, inquit, *quoad sufficientiam satisfactionis & meriti, omnia peccata per Christi passionem deleta sunt, non autem omnia quantùm ad efficaciam.*

Quod intellige non tantùm quoad sufficientiam virtutis ad eorum deletionem requisitæ, (quod similiter de peccatis dæmonum dici potest) sed quoad quandam intentionem vel applicationem generalem, pro natura scilicet humana (quæ hominibus tantùm convenit prout distinguuntur ab Angelis malis in malo determinatis) præter aliam specialem quæ non datur nisi Electis. Ita P. Nicolaï. Vide quæ fusiùs hac de re, lib. 3. contra Petrum à S. Joseph scripsimus, ubi cum S. Augustino diximus, *nullum ita esse perversum, in cujus conscientia non loquatur Deus*, si rationem aliquo modo utatur, prout alibi diximus, rursúmque, Deo dante, dicemus.

Sextò, Item in 3. Sent. dist. 20. q. 1. a. 1. ad 2. quæst. primæ: *Dicendum quòd hoc quod omnes homines non reparantur, non est ex insufficientia medicinæ reparantis, cum sit sufficiens, quantùm in se est, ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent, vel habere possunt; sed ex defectu eorum qui reparationis effectum in seipsis impediunt.*

Quid ad hæc, Candide Lector? si ex instituto & de industria scripsisset Doctor Angelicus, ad præfatas propositiones impugnandas, an clariùs loqui, aut evidentiùs mentem suam aperire potuisset? Et supposi ô judiciô Censoriô 25 Doctorum, quasi unâ voce asserentium Prædeterminationem Physicam esse ex sincera mente Divi Thomæ, Adversariosque de hoc vel dubitantes cæcutire in meridie: quid amplius aut efficacius desiderari potest hac in parte quàm quæ hîc & quæ contra Petrum à S. Joseph diximus, ut in ævum obmutescant.

Quare si hîc mihi liceat quædam verba Magistri Sententiarum excerpere, quibus, eô, quô suos incœpit libros, modô, finem huic imponam. Prætermissô justæ Defensionis Titulo, mihique indictâ naturali necessitate respondendi propter eos, quibus recentes ac novæ videbantur Adversariorum objectiones, præsenti antidoto indigentes; fateor me forsitan modum excessisse, & Lectorum patientiâ non satis moderatè usum fuisse, in rebus tam manifestis & objectionibus adeò falsis totiesque contritis, quibus subinde nihil debebatur, nisi fortè silentium vel contemptus: sed nonpotui tot telis adhuc hac vice clypeum non opponere, & studiosorum Amicorum precibus & votis diutiùs resistere.

Et quamvis probè prospiciam, meam hanc Apologiam adhuc fore Æmulorum contradictioni obnoxiam; non idcircò existimavi deserendam esse veritatem, pro cujus juribus me decertantem, hoc unum maximè solatur, jam paucos esse, & semotô omni partium studiô, certissimè nullos, quin probè agnoscant, hoc quoque unum hac in parte in Adversariis desiderari posse; nimirùm, *ut veri non placiti rationem sectantes, voluntatem contradicendi, subjiciant rationi.* Quod à suis Lectoribus meritò petebat Petrus Lombardus.



APPENDIX VNICA

IN DVAS PARTES DIVISA,

Necessaria tùm pro maiori intelligentia horum quæ hactenùs diximus, tùm pro enucleatione eorum quæ libro sequenti contra recentiorem prætensæ Defensionis Divi Thomæ editionem dicturi sumus; & præcipuè ad confutandum *Extractum* Iosephi à vita ab Eupistino in lucem editum.

PARS PRIMA HUJUS APPENDICIS,

In qua declaratur Basis doctrinæ hic à nobis propugnatæ, juxta mentem Sancti Augustini & Divi Thomæ, quantùm ad Prævium Causæ Primæ influxum in omni statu causis secundis, etiam liberis, necessarium ad agendum.

Nu. 1. EUS Optimus Maximus *qui dum suam* (ut legitur in Speculo, quod tribuitur Divo Augustino) *quasi sigillum, formam imprimit rebus singulis; eas à se facit differre, nusquam diversus, in iis quæ diverso disponit ordine: qui opera sua extra circumdat, & intra replet; supra regit, & infra fert; superior per potentiam, inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem*, Actus est purissimus, teste Angelico Doctore, 1. p. q. 3. per totam. Et quod de Deo, ceu Primo Ente dicitur, ut est ipsum *Esse* subsistens, quod totam proinde continet essendi perfectionem, ut docet D. Thomas 1. p q. 4. a. 2 hoc ipsum de illo ut Primo Agente, est sentiendum. cujus scientia est causa rerum, ut ibid. ait q. 14. a. 8. idque non solùm in fieri, sed & in facto esse. Et quia eodem teste, 1. p. q. 25. a. 2. *quantò aliquod agens perfectius habet formam, quâ agit, tantò major est ejus potentia in agendo; sicut quantò aliquid est magis calidum, tantò majorem habet potentiam ad calefaciendum, & haberet utique infinitam, si ejus calor esset infinitus*: Hinc sequitur quòd cum Essentia Dei sit infinita, ut probat 1 p. q. 7. a. 1. ejus quoque potentiam esse infinitam, necesse sit; cui proinde subest, cum voluerit posse, quando, ubi & quomodo sibi placuerit, idque omnipotentissimâ facilitate, nec ullum inter ipsum & creaturam perfectum in re tam singulari, quærendum est exemplum, cujus substantia est immediatè operativa, in ratione actûs & potentiæ perfectissimè identificata, rebus intimè unita etiam ipsi Animæ rationali, habens illius, non minùs quàm aliarum rerum, *intrinsecam essentiæ operationem*, ut loquitur Doctor Angelicus in 2. Sent. dist.

8. q. 1. a. 5 ad 3. Et quia Deus est sua virtus, & intra rem quamlibet, *non ut pars essentiæ, sed ut sustinens eam in esse*, ut idem loquitur de Pot. q. 3. a. 7. Ipse est *Radix quæ portat omnia verbo suæ virtutis, ejusque prævius in omnes causas influxus est basis Gratiæ per se efficacis, fundamentum Christianæ humilitatis, nostræ dependentiæ argumentum, æternumque nostræ gratitudinis monimentum, & fons indeficiens nostri in ipsum amoris.* Legendus D. Tho. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. Et 3. cont. Gent. c. 149. 1. p. qu. 19. a. 3. ad 5. in 2. Sent. dist. 25. q. 1. a. 1. ad Hebr. c. 13. l. 3.

Absolutam verò Dei in agendo prioritatem, & perfectam à creaturis independentiam satis in antecessum insinuaverat Doctor Angelicus his verbis ritè intellectis, *Deus vult hoc esse propter hoc, non propter hoc vult hoc*, 1. p. q. 19. a. 5. quibus sic Deum præfert creaturis, ut nihil ipsi absolutè possit esse causa agendi. Et hoc est quod propugnatur, dum necessitas prævii influxus Primæ Causæ in omnes alias demonstratur.

SECTIO I.

In qua probabitur primò prævius Dei influxus in omnes causas secundas ex quatuor universalissimis doctrinæ Divi Thomæ fundamentis.

PRIMUM FUNDAMENTUM.

1. DEus Opt. Max. est Causa rerum omnium universalissima, eaque immediata, ita ut nihil sit quod causalitatem ipsius subterfugere possit: *non exclusâ operatione voluntatis & naturæ.* Ita D. Thomas, 1. p. q. 44. a. 1. de Pot. q. 3. a. 7. in fine, & ad 4. signanter verò ad 7. Opusc. 27. de æternit. mundi. Et in cap. 4. de divin. nomin. 16. D. August. tom. 7. lib. de bono persev. c. 23. Quam ob causam ait Doct. Angel. 1. p. q. 21. a. 4. *Opus Divinæ justitiæ semper præsupponere opus Misericordiæ.*

SECUNDUM FUNDAMENTUM.

Prima rerum omnium Causa (quæ est Voluntas Divina) est efficacissima: Unde provenit, ut nihil fiat in rebus, nisi quod Deus voluerit, vel fieri permiserit. Legendus sanctus Doctor 1. p. q. 19. a. 8. De Verit. q. 23. a. 5. De Malo q. 6. ad 3. & 1. cont. Gent. c. 85. ubi ait: *Efficacia Divinæ voluntatis exigit ut non solùm sit quod Deus vult, sed etiam ut hoc modo sit, sicut Deus vult esse illud: nam & in agentibus naturalibus, cum virtus agens est fortis, assimilat sibi effectum, non solùm quantùm ad speciem, sed etiam quantum ad accidentia, quæ sunt quidam modi ipsius rei.* Sancto Doctori viam straverat D. Bernard. tract. de Gra. in hæc verba (Attingit à fine....) *Non quidem*, inquit, *mobili discussione, vel locali diffusione, vel subjectæ creaturæ tantùm officiali administratione, sed substantiali quadam & ubique præsenti fortitudine, quâ utique universa potentissimè ordinat, movet & administrat.*

Fundamentum Tertium

Quô præcedentia confirmantur, magisque deteguntur. Deus est Causa non solùm omnium Facultatum operandi; sed etiam omnium operationum; non solùm nostræ voluntatis, sed etiam ipsius volitionis, ad quam priùs, immediatiùs & efficaciùs concurrit quam ipsa voluntas creata. Itidem Thom. de verit. 4. 22. ar. 8. *Sicut*, inquit, *omnis actio naturæ est à Deo: ita omnis actio voluntatis in quantùm est actio, non solùm est à voluntate, ut immediatè agente, sed à Deo, ut Primo Agente, qui vehementius imprimit, unde sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, ita & multò amplius Deus*: unde addit S. Doctor 1. p. q. 112. ar. 1. ad 3. *duarum actionum, quarum una est Regula & ratio alterius; una non impedit, sed juvat aliam.*

Declaratur etiam ex D. August. tom. 7. lib. de Grat. & lib. arb. c. 21. ubi ait: *Agit omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod ipse per eos agere voluerit.* Quod postquam confirmavit, variis Scripturæ testimoniis, sic concludit, *His & talibus Divinorum Eloquiorum testimoniis, quæ omnia commemorare nimis longum esset: satis quantum existimo est manifestum; Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit.* Confirmatur ex eodem lib. c. 24. ubi sub efficacissimo Divinę Gratię Auxilio, tutam & intactam ostendit creaturę libertatem. *Quia*, inquit, *magis habet Deus in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas*: Hunc sequitur Doct. Angel. ut 1. p. q. 83. ar. 1. ad 3 Et ibid. q. 105. ar. 4. ad 1. ubi ait; *Sic igitur Deus movendo voluntatem, non cogit ipsam, quia dat ei propriam ejus inclinationem.* Itidem & Estius in lib. 2. Sent. d. 2. sect. 14. ubi ait, *Liberum Dei arbitrium influit libertatem in creaturam Angelicam & humanam, non solùm conferendo ei facultatem liberam, id est, voluntatem, sed etiam actum ipsum liberum, qui est majus bonum, majorque perfectio, quàm sola voluntas: nam potentiæ sunt propter actus tanquam fines & perfectiones suas*: ultima enim perfectio creaturæ *consistit in operatione*, ut docet D. Thomas 3. p. q. 34. ar. 2.

Fundamentum Quartum.

Rerum contingentia, & ipsa voluntatis creatæ indifferentia reducuntur non solùm in voluntatem creatam tanquam in causam proximam, sed & in Deum ipsum ut intimiorem libertatis creatæ radicem, à quâ, priùs naturâ & immediatiùs (in quo corrigenda est per rationem imaginatio) effectivè oritur omnis contingentiæ & libertatis modus in actu. Ita D. Thom. 1. Periher. lect. 14. *Voluntas Divina*, inquit, *est intelligenda, ut extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens & omnes ejus differentias: sunt autem differentiæ entis possibile & necessarium*: Hoc ipsum fusiùs confirmavit S. Doctor lib. 6. Metaph. l. 3. in fin. ubi addit istud *esse proprium in Prima Causa*, quæ est immediatior respectu cujuscumque effectus causę secundæ: prout etiam legitur lib. 2. cont. Gent. c. 70.

Ex his quatuor principiis, basibus & fundamentis evidenter infertur Prævius Dei in omnes causas secundas Influxus: etenim cum (ut dicemus, quan-

do agemus de dependentia essentiali cujusque entis & agentis creati à Deo) non minus dependeat Agens secundum à Primo, quàm radius à Sole; sicut impossibile est ut intelligamus radios Solis ignem v. g. produxisse, mediante vitro igniario; quin priùs ac magis dicamus hunc ignem esse ab ipso Sole; ita impossibile est ut ullus sit creaturæ effectus, actio aut motus, qui non sit prius naturâ & magis à Deo. Nec aliud hîc à nobis exigitur; quod satis docet Doctor Angelicus 3. cont. Gent. c. 149. his verbis: *Motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causâ*: sive istis ibid. *Impossibile est esse aliquem rectum motum in Anima, quem non præveniat Actio Divina.* Item 1. 2. q. 80. a. 1. *Nihil potest*, inquit, *esse causa actûs, nisi per hoc quod proprium principium illius actûs movet ad agendum.* At Deus Optimus est Causa perficiens, ut alibi diximus, & propriissima cujuslibet actûs; & nisi Deus directè moveret quodlibet agens creatum ad agendum, non esset causa illius actûs secundùm modum, secundùm quem à causa secunda egreditur, qui modus est valdè perfectus, quem proinde non possumus Deo denegare.

SECTIO II.

Probatur secundò prævius Dei in omnes causas secundas influxus ex modo singulari ac proprio, qui competit Deo ut Primo Agenti.

CUm modus agendi sequatur modum essendi, sitque illi proportionatus; necesse est Deo Agenti aliquem assignare modum illi proprium, quô ut Scriptura loquitur, *attingat à fine usque ad finem fortiter....* cum ejus intentio non possit deficere in agendo. Sed hactenùs nullus alius aut aptior potuit modus assignari, quàm prævius hic Dei influxus, qui evidenter probatur ex D. Thoma, ex cap. 13. ad Hebr. lect. 3. ubi postquam dixit hominem disponi persuasione & comminatione (quod est pluribus commune;) addit: *Aptatur homo aliô modô, aliquid interius exhibendo; & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus potest ipsam immutare.*

Item de Malo, q. 3. a. 3. post alios modos ibidem expressos, ait: *Sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate & à Deo, qui est voluntatis Causa, qui solus in voluntate operatur & voluntatem inclinare potest.*

Confirmatur ex q. 22. de verit. ar. 9. ubi postquam D. Thomas motionem „ voluntatis ex parte objecti provenientem expressit: Alio modo (inquit) potest „ voluntas immutari per modum causæ efficientis; & sic dicimus, quod non „ solùm nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam.... Sed nec „ etiam directè agere in voluntatem, ut eam immutet necessariò vel qualiter„ cumque inclinet.... Ex parte voluntatis, mutare actum voluntatis non po„ test; nisi quod operatur intra voluntatem: & hoc est ipsa voluntas, & id „ quod est causa *esse* voluntatis: quod secundum fidem solus Deus est: unde „ solus Deus potest inclinationem voluntatis de uno in aliud transferre, secundum quod vult: Et hic est modus agendi Deo maximè proprius, scilicet effectiuus; solâ Præmotione propugnatus. Ne totum exscribere Angel. Doctorem videamur: lege ipsum 1. p. q. 19. ar. 3. ad 5. q. 57. ar. 4. Et q. 105. ar. 4. de verit. q. 6. ar. 6. ad 6. rursumque 1. p. q. 111. ar. 2. & in c. 23. Matth. in cap.

13. Joa. lib. 2. contr. Gent. c. 21. Et ibid. lib. 3. c. 88. Item in comp. Theol. c. 129. 3. contr. Gent. c. 2. In 2. Sent. d. 25. q. 1. ar. 1. ad 3. Pro prædicto agendi modo, scilicet effectivo, uni Deo maximè proprio, potest quoque citari D. Augustinus passim: nominatim verò tom. 3. lib. de spirit. & litt. c. 30. in fin. ubi adversus eos, qui prætensam hanc Dei & creaturæ agentis æqualitatem tuentur (quâ ipsius creaturæ fovetur arrogantia) invehitur: quos vocat *miseros mortales. An ita sunt liberi*, inquit, *ut nec illum* (scilicet Deum) *velint habere Dominum; qui eis dicit: Sine me nihil potestis facere?* Hinc judicet Petrus à S. Joseph, falsum esse id quod ait pag. 31. prætensæ suæ Defensionis D. Thomæ, scilicet *creaturam, quà liberam, ita se determinare ad agendum, ut ad hoc ab alio, salva libertate, determinari non possit.* Cui non Thomistam hîc opponam, sed Scotum, (licet ferè perpetuum D. Thomæ Æmulum) in 4. Sent. d. 49. q. 6. asserentem *non esse contra naturam voluntatis determinari à Causa Superiori*, modo scilicet explicato ab Angelico Doctore. Lege rursùm Doct. Angelicum 1. p. q. 83. ar. 1. ad 3.

SECTIO III.

Tertiò. *Probatur eadem Prædeterminatio ex essentiali & actuali dependentia creaturæ à Deo.*

QUamvis latum sit discrimen inter ens per se subsistens, & entis ens, seu ens in alio existens, quale est omne accidens respectu substantiæ; attamen quia utrumque est ens per participationem; tantam utrumque habet quoque dependentiam ab eo quod est tale per essentiam, ut impossibile sit majorem aut huic æqualem reperire. Æqualem dixi: quia potest Deus conferre accidenti ut subsistat per se separatum à subjecto: at conferri non potest creaturæ, ut vel unico momento sit independens à Deo, sive in ratione entis, sive in ratione agentis, cui essentialiter repugnat, ut ei à Deo permanenter conferatur vis illa, quâ Deus agit ad *esse* cujuslibet creaturæ, nisi daretur ipsi quod esset Primum & Universale essendi principium: quod non est minùs impossibile, quàm quod creatura sit Deus ipse. Ita D. Thomas de pot. q. 3. ar. 7. ad 7. Idemque repetit S. Doctor 1. p. q. 104. ar. 1. ad 2. ubi ait: *Deus non potest communicare alicui creaturæ, ut conservetur in* (esse) *suâ actione cessante: sicut non potest ei communicare, quod non sit causa illius:* At vis illa, una est ex potioribus rationibus ob quas necessaria judicatur Prædeterminatio physica: ut scilicet per eam causa secunda tanquam instrumentum Primæ valeat in suo effectu rationem entis attingere: quia ut ibidem ait D. Thomas *ipsum*, esse, *est effectus communissimus & proprius Primæ Causæ.* Dependentiam creaturæ aliquando explicat D. Thomas similitudine speciei quæ est in speculo, quâ nihil infirmius, cum citò evanescat objecto actu illam non causante. Eandem aliàs exprimit dependentiam sequentibus exemplis: ut cum 1. p. q. 8. ar. 1. ait, *Cum Deus sit ipsum esse per essentiam, oportet quod esse causatum, sit proprius effectus ejus, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis: hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solùm quando esse incipiunt: sed quandiu in esse conservantur, sicut lumen causatur in aëre à Sole, quan-*

diu aër illuminatus manet. Item ibid. q. 104. ar. 1. post discursum satis longum, sic concludit, *non remanet aër illuminatus; nec ad momentum cessante actione Solis.... Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad Solem illuminantem....* Et ne Sanctum Doct. exscribere videamur, legat ipsum qui voluerit 3. contr. Gent. c. 65. Item 2. 2. q. 52. ar. 3. in cap. 1. ad Hebræ. l. 2. de pot. q. 5. ar. 1. in cap. 5. Joa. l. 2. 1. 2. q. 68. ar. 2. & 3 contr. Gent. c. 88. Ex iis & centum aliis D Thom. testimoniis eamdem debemus inferre consequentiam, ac illam, quam jam supra insinuavimus: Nam cum omne agens creatum magis dependeat à Deo quàm aër illuminatus à Sole & radius ab eodem: sicut impossibile est, ut concipiamus effectum aliquem v. g. ignem re ipsa productum per radios in vitro igniario adunatos, quin simul verè intelligamus hujusmodi ignem esse priùs ac magis ab ipso Sole per influxum quemdam prævium radiis communicatum: ita impossibile est, ut sit effectus aliquis productus ab agente creato, qui non sit quoque priùs naturâ ac magis ab ipso Deo: quod fit Præmotione, quam tuentur Thomistæ; & certè nulla est mathematica demonstratio, quæ mihi videatur efficacior hoc argumento.

Hoc ipsum explicat Vega (Ord. Minorum qui diu Salmanticæ Theologiam professus, & inter reliquos Theologos Synodi Tridentinæ interfuit) familiari (quo sæpè usi sunt D. Augustinus & Doctor Angel.) exemplo: eoque nihil aptius seu magis ad rem, excogitari potest, Opusc. de just. q. 11. citato ab Henao pag. 69. nu. 120. *Sicut enim* (inquit Vega) *dum ego demissis oculis sto contra speculum aliquod; imago mea, quæ relucere videtur in speculo, attollere non potest oculos, nisi ego priùs naturâ attollam & me attollente simul ipsa omninò attollit: & si libera esset, ut attollere posset oculos, cum vellet; si tamen non in totum inverteretur ordo naturæ, non haberet hoc, nisi quia posset facere ut ego attollam, neque potest ipsa attollere oculos, nisi me priùs attollente meos oculos ac per hoc & ipsius oculos erigente. Ita nos qui ad imaginem Dei facti sumus, & imago ipsius sumus: si quando nos Deo propter peccata deserente proni spectemus in terram & depressi simus oculis mentis nostræ in bona hujus mundi, etiamsi propter arbitrii nostri libertatem in potestate nostra habeamus facere ut Deus aspectum nostrum à terra erigat & ad se convertat, tamen hoc non possumus facere, quin Deus ipse priùs se quodammodò erigat & attollat ut nos levet ut ipsum possimus erectis oculis recta aspicere: hoc est, quin Deus ipse priùs nostræ humilitatis & depressionis misertus, admirabili quodam modo & planè suavissimo & libertati consono, ab his, quæ male amamus, nos abstrahat, & rebelles nostras ad se convertat voluntates:* Cæterùm Amice Lector hoc tantummodò habe præ oculis exemplum seu similitudinem, cum alia quam obiter supra attigimus ex Angelico Doctore & D. Augustino, de aëre illuminato à Sole: & tam impossibile erit, ut de Physica Præmotione ambigere possis, quàm vel solùm dubitare, an totum sit majus sua parte.

SECTIO IV.

SECTIO IV.

Probatur Quartò idem Concursus Dei Previus variis D. Thomæ testimoniis.

NOn miror si hujus controversiæ Censores Sapientissimi, eos damnarunt voluntariæ cæcitatis (quos & rebelles lumini dixerunt alii) qui nobis hac in parte adversantur, asserentes se non legisse apud D. Thomam, id quod tam apertè ac toties profitetur: Sex hac de re argumentorum classes notavit in doctrina D. Thomæ Philippus à S. S. Trinitate in suo Cursu Philosophico Lug. 1648 apud Julierum edito, ad quem brevitatis causâ remitto. Quibus tantummodo adjiciam quod ait S. Doctor 3. cont. Gent. c. 2. *A contingenti ad utrumlibet non sequitur aliquis effectus; nisi per aliquid, quo ad unum determinetur.* Et ibid. c. 149. ubi ait, *Animam nostram operari sub Deo, sicut agens instrumentale sub principali Agente.* Itidem in cap. 15. Joan. & in cap. 10. Matth. in hæc verba (non vos estis qui loquimini) ubi ait, denominationem fieri à Principaliori Agente, scilicet à Spiritu Sancto: qui movet (inquit) *confortando rationem*; & consequenter perficiendo libertatem: Legatur & in cap. 8. ad Rom. l. 3. nec omittatur Aristoteles 8. physic. c. 1. ubi ait, *quidquid movetur; ab alio movetur.* Ex quo, ne detur progressus in infinitum, mirum in modum se urgeri sentiunt Adversarii, ut patet tot solutionibus huic frustrà & extra chorum adhibitis, pro quibus legendus Philippus supra laudatus.

SECTIO V.

Quintò ultrò probatur Prædeterminatio physica, in terminis ab ipsomet Angelico Doct. expressis.

HIs prætermissâ subtili Academicorum & Peripateticorum disputatione de nominum impositione: relictâ etiam curiosâ observatione, quâ notatur, quàm lenta indagine, Veteres illi (quos vocabant Sapientes) in veritatis ac veræ Philosophiæ notitiam venerint, circa ultimum hominis finem: meritò dubitari potest, an fuerint fœliciores, circa ejusdem hominis, rerumque omnium Primum Principium: nam si teste Varronne relato à S. Aug. 9. de civi. in ducentas & octoginta opiniones diversas (omnes à veritate alienas circa veram hominis fœlicitatem, abierint. Vix quoque dici potest, quantum ab eadem veritate aberrarint quoad Primum Principium rerum: siquidem ne ulteriùs progrediamur, solo tempore Synodi Nicænæ (teste S Isidoro) *nec Deum esse alii perhibebant: alii verò esse quidem, sed nullâ uti providentiâ. Alii sanè providentiâ præditum esse, sed Cœlestium dumtaxat rerum. Alii autem terrenarum etiam rerum procurationem habere, non tamen omnium, sed tantùm Regum & Principum. Alii cœco ac temerario casu ferri. Alii denique omnia fatò fieri contendebant.* His Prænotatis.

Non facilè dixerim, an gravior sit illorum error qui dixerunt nullam esse omninò actionem Primæ Causæ cum secundis : quam illorum opinio, qui solam Motionem Moralem, ex propositione objecti aut aliunde provenientem sufficere asserunt, & maximè juxta doctrinam D. Thomæ, à quò quia importunè efflagitant ipsum *Prædeterminationis* vocabulum : ipsis morem libenti animo geremus, quamvis istud non sit necessarium, ut multis exemplis ostendimus lib. 2. c. 6. contra Petrum à S. Joseph in prima edit.

Legant igitur S. Doctorem 1. ad Anibald. d. 47. q. unic. ar. 4. ubi loquens de voluntate Dei, quę est causa rerum ait, *non solùm res producuntur in esse à Deo, sed etiam rebus producendis, modum quo producantur, Prædeterminavit.* Item in Comment. in D. Dionys. de Divin. Nom. c. 5. l. 1. & ibid. l. 1. in fin & l. 2. ubi ait, *exemplaria in Deo esse Prædefinitiones & voluntates Divinas existentium prædeterminativas & effectivas.* Iisdem ferè verbis utitur de verit. q. 3. ar. 1. sub fin. Legatur. Quodl. 12. q. 4. ar. 1. non diffiteor aliquod ex D. Thomæ testimoniis posse intelligi de decretis Divinæ voluntatis (à quibus quoque pariter refugiunt Adversarii.) Sed cum illa sit causa rerum efficacissima, cujus Executrix est Prædeterminatio, nullo modo favet ipsis hoc subterfugium : cui tamen occurrit S. Doctor his verbis Lect. 1. dum ait, *voluntates Divinas esse existentium Prædeterminativas & effectivas.*

Deinde ab exordio hujus controversiæ semper confessi sunt Adversarii aptissimum esse *Prædeterminationis* vocabulum : si aliumde constaret juxta mentem D Thomæ dari influxum Dei in causam secundam & in liberum hominis arbitrium, quô Deus verè, propriè & activè, nedùm moraliter ipsum moveret : & hac de causa dixit Eupistinus Patres Societatis Jesu non teneri hac in parte sequi doctrinam D. Thomæ : At hoc modo Deum influere constat & quidem manifestè ex Comment. c. 4. de Divin. Nom. l. 6. ubi ait, *causari à Deo omnes motus, sive mentium, sive Animarum, sivè corporum* idque semper salvâ libertate ut legenti patebit de verit. q. 14. ar. 1. Et in cap. 4. Epist. cano. S. Jacobi explicans hæc verba Act. 15. (Fide purificans corda) ait D. Thomas *Deus purificat efficienter : fides informando.* Porrò de hoc modo agendi formaliter in Anima, ex quo nonnulli inferebant *omnem gratiam esse efficacem* ex eo quod ipsa haberet semper aliquem effectum, scilicet formalem unde reipsa non est desumenda Gratiæ efficacia; lege D. Thomam 1. 2. q. 110. ar. 2. ad 1. & in corp. Denique si Theologis facta sit licentia, toties usurpandi seu instituendi nomen *Prædestinationis* (quod in Scriptura non reperitur) nisi fortè quia apud Apostolum aliquoties legitur (ly prędestinavit) major ne est difficultas, ut ex verbo *Prædeterminare*, quod pluries quoque reperitur in doctrina D. Thomæ, inferatur *ly Prædeterminatio* quam ex verbo *Prædestinare*, stabiliatur *Prædestinatio*? Legatur D. Thom. 3. p. q. 62. ar. 4. ad 3. Item lib. 1. contra Gent. c. 13. Et ibid lib. 2. c. 15. rat. 3. Et de hoc influxu directo in liberum arbitrium, centies in Scriptura : Conciliis, nominatim in 2. Arausc. cujus omnes canones videntur assumpti ex doctrina Doctoris Angelici.

SECTIO VI.

Probatur Sextò ex D. Augustino Physica Prædeterminatio.

HOc Nomine post D. Thomam usi sunt Thomistæ; ut in agendo exprimerent certitudinem Illius (cujus providentia in sui dispositione non fallitur; nec deficit intentio) cujusque agendi modus ita universalis est & absolutus, ut ejusdem causalitatem nihil omninò subterfugere possit. Ubi ergo conditiones prædictæ fuerint respectu alicujus agentis, idem est, ac si Prædeterminatio ipsa esset proprio vocabulo expressa: At in nullo Sanctorum Patrum magis expressè reperiuntur, quàm apud S. Augustinum. V. g. in Enchir. c. c. 95. & 96. ait, *si dicamus Divinam voluntatem posse impediri à voluntate cujusvis creaturæ, sive in cœlo, sive in terra; periclitatur initium fidei nostræ, qua confitemur Deum esse omnipotentem.* Item lib. 3. oper. imperf. c. 168. *Cur ergo* (inquit) *non confiteris, sine ulla forinsecùs sonante jussione, Deum occulto instinctu ad quod voluerit efficacissimè implendum præparare atque excitare hominum voluntates?* Revoca in memoriam ea omnia, quæ ex S. Præsule diximus pro Gratia per se efficaci. Et interim legatur tom. 7. lib. 2. de Prædest. S.S. De Correp & Grat. c. 12. Et ibid. cap. 8. lib 1. contr. 2. Epist. Pelag. c. 20. lib. 5. de Gen. ad litt. c. 20. Et ibid. lib. 4. c. 12. In Epist. 146. ad Consentium. Nominatim verò tom. 9. Tract. 1. in Joa. circa medium, ut videas quid acciderit Catholico, ex eo quod concesserit Manichæo vilem ac importunam muscam à Deo opt. non fuisse factam. Ex quo sine dubio refugiet animus admittere, actum liberi arbitrii (quo vitam æternam, etiam de condigno, cum Gratiæ Divinæ Auxilio, possumus promereri) non esse à Deo, ut suadere nititur quidam Neotericus. Quod confirmari potest ex eo quod ex Angelico Doctore alibi laudato diximus, asserente Manichæos suam blasphemiam confirmasse ex his verbis (& sine ipso factum est *nihil*; quod (inquit) *positivè* sumebant. At expectamus, ut nobis ostendant Adversarii, quî possint prædicta omnia intelligi sine physica Prædeterminatione, quam propugnamus quâ Deus est causa actus secundum modum suum liberum.

SECTIO VII.

Septimò probatur ratione, Physica Prædeterminatio.

PRimò quidem. Omne agens secundum, essentialiter subordinatur Primo, & ab eo dependet, non solùm in ratione entis; aut principii habitualis seu in fieri (ut aiunt) sed etiam in ratione agentis actualis, & in facto esse ut supra dictum est. Ergo omne agens secundum debet à Primo Prædeterminari ad actu operandum. Aut non revocatur in dubium apud peritos, quin *Agere* perfectius sit, quam *posse agere*; cumque *actu agere* sit quid reale, & quidem perfectius *potentiâ agendi*, *seu solò habituali principio agendi*; illud quoque debet esse à Deo tanquam a causâ seu principio, & potiori

jure, quàm principium habituale (quod nemo negat esse à Deo). Consequentia verò suadetur sic: ut agens secundum in ratione principii actualis suæ operationis, actu dependeat à Primo, debet ab eo recipere præviam aliquam motionem seu influxum antequam operetur, quô in ratione principii actualis constituatur, seu de actu primo ad secundum reducatur; aliàs non erit aliter dispositum, quando operabitur, quàm esset dum non operabatur: & agens secundum sine prævio influxu Dei verè sibi vendicabit rationem Primi Agentis, ut expresse docet D. Thomas in 2. Sent. dist. 37. q. 2. ar. 2. Sed nihil aliud intelligitur nomine Præmotionis physicæ, quàm id, per quod causa secunda constituitur in ratione principii actualis suæ operationis, ergo Prædeterminatio hæc est omninò admittenda.

Probatur secundò. Causa Universalissima totius entis, debet esse causa actionis à causa secunda procedentis, non utcumque, seu quoad substantiam; sed etiam secundum illud modale, secundum quod actio procedit à causa secunda: secùs Causa Prima non esset propriè causa actus illius, si non influeret in ejus principium ad agendum ut ait D. Thom. 1. 2. q. 80. ar. 1. Ergo est admittenda Præmotio physica, quâ Deus influit in omne agens creatum ut operetur.

Confirmatur & magis explicatur: Si id quod dat Deus causæ secundæ, ut sit in ea virtus agendi seu principium habituale actionis, sit aliquid reale (seu ut sæpius cum D. Augustino diximus: si voluntas, quæ adhuc potest esse bona vel mala, sit nobis à Deo) potiori jure id quod dat illi, ut sit principium actuale, quod est perfectius habituali: (& quo creatura magis assimilatur Deo) debet quoque esse aliquid reale: nam per hoc, creatura suam ultimam attingit perfectionem, quæ teste Angelico Doctore, non consistit in potentia vel habitu, sed in operatione, ut ipse ait 3. p. q. 34. ar. 2. At nihil aliud nomine Præmotionis intelligitur, quàm id, quô Deus infallibiliter & certò confert creaturæ ut ipsa operetur, & intentionis suæ (quæ nequit deficere) effectum exequatur. Ergo, &c.

SECTIO VIII.

Octavò probatur eadem Prædeterminatio ex Ecclesiæ Orationibus.

O*Ratio* (inquit D. Augustinus) *est clarissima Gratiæ testificatio* cum quo supra diximus duplex esse beneficium Gratiæ, Sufficientis scilicet & Efficacis; Sufficientis (inquam) quâ Deus dat creaturæ *posse* tantùm. Efficacis verò, quâ ipsam confert *operationem*: si ergo præter Gratiam quæ dat tantùm *posse*, evidenter constet nos à Deo aliam petere efficaciorem, quâ Deus ipsum conferat actum seu *operationem*, evidentissimum erit aliquod esse Auxilium Gratiæ fortius & efficacius concursu indifferenti & indeterminato Adversariorum, Gratiæ efficacis nomine à Thomistis expressum: & in ordine naturæ, vocabulo Prædeterminationis physicæ exprimendum. At quid aliud à Deo postulamus? quando petimus.

Ut ea quæ pro peccatis nostris patimur, Deo adjuvante vincamus. Ut quæ placita sunt Illi, & dictis exequamur & factis. Ut inveniamur, & in fide stabiles & in opere efficaces. Ut Deus det nobis perseverantem in sua volun-

tate famulatum. Vt quod professione celebramus, imitemur effectu. Vt Deo largiente cogitemus quæ recta sunt, & eo gubernante, eadem faciamus. Vt nostras etiam rebelles ad se compellat propitius voluntates? At hęc omnia & his similia sunt in Ecclesię orationibus, quibus petimus, non solùm ut Deus vota nostra aspirando præveniat, sed etiam ut adjuvando prosequatur: seu ut uno verbo dicamus; ut nos suâ gratiâ præveniat & sequatur ac bonis operibus præstet nos jugiter esse intentos: quæ est genuina D. Thomę doctrina.

Explicatur. Id quod à Deo postulamus, procedit ex ejus Gratia: sed petimus non solùm ut infidelis converti possit: sed etiam ut re ipsa convertatur. Oramus pro ejus voluntatis mutatione, consensu & ad bonum determinatione: ergo hæc mutatio, hic consensus & determinatio, Dei Gratia causantur; non verò à voluntate creatâ expectantur. Unde D. August. tom. 7. lib. de Prædest. S. S. c. 8. *Si Deus non facit*, inquit, *volentes ex nolentibus. Quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini pro peccatoribus ... Quid ergo oramus pro nolentibus credere, nisi ut Deus operetur in illis & velle?* Verùm si ut ait Cælestinus Papa, *legem credendi statuat lex supplicandi*: posset Deus dicere nostris hac in parte Adversariis, *Cur à me petitis conversionem infidelis, voluntatis ejus mutationem, consensum & determinationem: cum juxta vestram doctrinam cogar Ipse hæc omnia ab eo expectare, ne eius lædam libertatem?* At quia utrumque Auxilium Gratiæ agnoscunt Thomistæ, petunt v. g. pro errantibus, non solùm ut possint in viam redire justitię: sed ut re ipsâ redeant. Nam ut ait D. Augustinus de Grat. Christi c. 25. *Quomodo quod possumus benè agere, Dei est: quod autem agamus, nostrum est? cum dicat Apostolus se orare .... ne quid mali faciant....& quod bonum est, faciant: non enim oramus*, inquit, *ut possitis nihil mali facere: sed ne quid mali faciatis....* Quia utrumque Dei donum est, & utrumque necessarium, sed majus alterum à Thomistis propugnatum sub nomine Præmotionis physicæ.

SECTIO IX.

Nonò, ex sacra Synodo Tridentina roboratur Prædeterminatio Thomistica.

Utrum in hoc capite sicut & in præcedenti, ritè inferatur argumento à simili, ex Gratia per se efficaci, deprompto; Prævius Dei in omnes causas secundas, etiam liberas, influxus, nonnullis fortasse dubium incidere poterit. Verùm quia in dubiis, teste Isidoro Pelus. lib. 4. Epist. 99. *Non oportet eorum qui morbo laborant, sequi suffragia; sed ex judicio sanorum hominum demonstrationes mutuari*; hîc non possumus locupletiores habere testes, aut magis integros Judices, quàm Patres Concilii Tridentini, quorum Sess. 6. c. 5. hoc extat judicium, asserentes, *Exordium justificationis in adultis sumendum esse à Gratia præveniente, quâ nullis existentibus meritis vocantur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem & adjuvantem Gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem eidem Gratiæ liberè assistendo & cooperando disponantur.*

At ex prædictis Synodi verbis, non negabunt Adversarii sacram Synodum loqui de Gratia efficaci, cum hoc testimonio utantur, ut probent nos posse

etiam huic Gratiæ dissentire (quod libentissimè fatemur) quodque pro nobis ac ipsis fatetur ipse Suarez 2. p. de Auxil. lib. 5. c. 37. quia si de alia Gratia quàm de efficaci intelligeretur, præfatum Concilii testimonium, nihil actum esset contra hæreticos, qui ex Gratiæ efficacia, liberum auferri arbitrium contendebant. Nam ut ritè notavit P. Goudin in sua Philos. *Si Titius contenderet vineam sibi injustè usurpatam esse à Sempronio, & Iudex definiret domum esse Titio restituendam (de qua non est controversia:) nonne omninò inepta videretur sententia?* Itidem, si contendente Calvinistâ, creaturam non posse liberè cooperari Gratiæ efficaci, & cum illa non retinere potentiam dissentiendi, Concilium definivisset utrumque falsum esse de Motione morali intellectum: nonne absurda diceretur definitio, & omninò insufficiens talis responsio?

Quòd autem hæc Gratia sit efficax ex sua natura antecedenter ad consensum nostrum, non verò ex eo præsupposito, quem Deus expectare teneatur; ponderandum est ex prædictis Concilii verbis, quibus ait, *Exordium nostræ justificationis sumi à Gratia præveniente*.... Unde sic formatur argumentum: Gratia efficax est vera causa nostræ justificationis, & consequenter eorum omnium quæ in nostra justificatione includuntur. Sed liber consensus noster necessariò includitur in nostra justificatione: (non enim justificamur inviti aut non consentientes, quando sumus adulti.) Ergo Gratia efficax nostrum efficit consensum, non verò ipsum expectat. Unde D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. ad 2. ait: *Deus non sine nobis nos justificat, quia per motum liberi arbitrii dum justificamur, Dei justitiæ consentimus; ille tamen motus non est causa Gratiæ, sed effectus: unde tota operatio pertinet ad Gratiam.* Si secùs diceretur, totum perverteretur: nam Exordium nostræ justificationis non sumeretur à Gratia, sed ex consensu, qui non esset Gratiæ effectus, sed causa, cui ex debito Gratia daretur, jamque non esset Gratia.

Nec potest dici prædictum Concilii testimonium intelligendum esse de Gratia morali seu de vocatione: Primò, quia vocatio est causa inadæquata & insufficiens conversionis, aliàs omnes vocati, essent justificati; quod est falsum. Secundò, in inspiratione de qua loquitur sancta Synodus, utraque Gratia exprimitur, scilicet *excitans & adjuvans*; & majori vigore indiget voluntas, id est, gratiæ adjuvantis auxiliô, propter majorem voluntatis nostræ corruptionem, quàm intellectus, quem respicit Motio moralis. Tertiò, intolerabilis esset error vel suspicari Concilium incidisse in hæresim Pelagianorum, cupiens resistere hæresi Calvinistarum. At Pelagiani Motionem moralem ultrò admittebant, præter quam efficacior à Patribus & Conciliis requîritur pro his nominatim de quibus Concilium loquebatur, *qui per peccata à Deo aversi erant*. Utrum verò re ipsâ in hanc hæresim incideret qui solam Motionem moralem tantummodò admitteret, definire non præsumo; sed solummodò humiliter ac sincerè profero quod mihi videtur dicendum juxta Scripturam, Concilia, Divum Augustinum, aliosque Ecclesiæ Patres: nam hac in re, ac in omnibus aliis quas scripsi, aut unquam, favente Divinô Numine, scribam, non solùm Ecclesiæ, sed cujuscumque doctioris ac sapientioris judicio, totâ animi demissione, proprium subjicio judicium. Sed interim advertat prudens Lector quô pactô præfato Concilii Trident. testimonio, in tuto sunt Thomistæ tam pro dicta Præmotione, quàm pro libertate cum illa conciliandâ,

Non enim potuit quis mentem Concilii meliùs scire, quàm qui aderant: at ex una Prædicatorum Familia 17 Episcopi, 6 Archiepiscopi, plures fidei Inquisitores de mandato speciali Sedis Apostolicæ, ex quibus constat post Concilium tres à Summo Pontifice in Archiepiscopos fuisse assumptos. Quod eò certiùs haberi debet, quòd aliorum Ordinum Doctores, qui cum ipsis præfato Tridentino interfuerunt, omninò cum illis hac in parte conveniant, ut patebit ex infra dicendis de Salmerone, Societatis Jesu eximio Doctore, & Vega, ex Seraphica PP. Minorum Familia.

SECTIO X.

Decimò, Probatur Prædeterminatio ex eiusdem Concilii Catechismo.

PORrò hunc fusiùs poterit legere qui voluerit, 1. p. a. 1. Symbol. fidei, nu. 24. in expositione Articuli *De Omnipotentia Dei*. quam supra diximus cum D. Tho. esse *primum fidei nostræ fundamentum*. *Non solùm*, inquiunt hujus libri Authores, *Deus universa quæ sunt Providentiâ suâ gubernat atque administrat; verùm etiam quæ moventur & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum eius vis occultissima ad singula pertingat....* Prosequere totum, & reperies Prædeterminationem ritè probari, ut diximus, ex universalissima Dei causalitate & efficacia, sicut & ex dependentia essentiali creaturæ à Deo ibidem in terminis expressa, ut legenti patebit.

Porrò de hoc Catechismo (totius Ecclesiæ affectu ac veneratione accepto) hanc quoque Beatissimi Papæ Pii V. habeto commendationem, in Privilegio editionis, quod Matutio concessit, ubi ait: *Pastorali Officio cupientes quàm diligentissimè possumus, Divinâ adiuvante Gratiâ fungi, & ea quæ sacro Concilio Tridentino statuta & decreta sunt, exequi: curavimus ut à delectis aliquot Theologis in hac Alma Vrbe componeretur Catechismus, quo Christi Fideles de eis rebus quas eos nosse, profiteri & servare oporteret, edocerentur. Qui liber cum Deo iuvante perfectus, in lucem edendus sit, providendum duximus ut quàm diligentissimè & fidelissimè imprimatur.* Cum igitur in dicto Catechismo habeatur, quòd Deus *causarum secundarum efficientiam prævenit;* scito unum esse ex his, quod *nos nosse ac profiteri oporteat*, ut vult Summus Pontifex.

SECTIO XI.

Vndecimò, Probatur quoque ex D. Bonaventura eadem Prædeterminatio.

HIc potuissem omnes ferè Sanctos Patres ritè (ut par est) intellectos accensere Divo Thomæ in confirmationem ejusdem doctrinæ: at unum selegi D. Bonaventuram, propter singularem quam habuit cum Angelico Doctore amicitiam: & ne ex omnium enumeratione, nimium intumescat volumen istud, quod, quantum potui, exiguum esse volui.

Inquirens ergo Seraphicus Doctor, *An Gratia comparetur ad Animam in ratione Motoris?* in 2. Sent. q. 6. post multa, ait: *Alius est modus intelligendi, secundùm quem procedens à luce superna, quæ semper habet conjunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole; & quia semper suæ origini conjungitur, ideò non tantùm attribuitur ei operatio ratione subjecti in quo est, sed etiam ratione subjecti à quo est: unde sicut lumen non solùm operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis cum suo fonte: sic & Gratia non solùm operatur cum libero arbitrio; sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium movet.*

Item ibid. in 2. Sent. dist. 34. quæst. 1. inquirens *An omnis actio sit à Deo?* Ad 5. respondet: *Dicendum quòd tota operatio est à Deo, & tota à libero arbitrio: non enim est intelligendum quòd Deus cooperetur libero arbitrio, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri; sed quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus est ipsi potentiæ operanti, ita quod potentia ipsa in nihil erit, quod non sit ab ipso.* Legatur lib. 1. Sent. dist. 47. a. 1. q. 1. & ibid. dist. 45. q. 2. Et in 2. Sent. dist. 23. q. 3. in quibus omnibus uno ore loqui videtur cum Angelico Doctore.

Quantùm autem ad nonnullos, ex Sanctis Patribus contra Hæreticos agentibus, existimantes nos hîc duci necessitate fatali, ex quorum scriptis non nihil afferunt Adversarii, quod in speciem militare videretur contra hîc traditam D. Thomæ doctrinam, quid ad Thomistas oppositum sentientibus, quibus non potest sine gravi injuria, objici hæc doctrina contra Hæreticos tantummodo tradita. Quantùm verò ad numerum Sectatorum ejusdem doctrinæ, vide contra Petrum à S. Joseph lib. 2. cap. 12. pag. 106. ubi quoque reperies pag. 179. duodecim Religionum Choros Divo Thomæ hac in parte accinentes.

Sed quia nonnulli ex Religiosa Societate Jesu nobis adversantur hac in parte, ipsis non opponam Dominicanos, sed præcipuos tùm sanctitate, tùm doctrinâ, ejusdem Societatis Authores. Quare sit

---

SECTIO XII.

Duodecimò. Probatur ex Cardinali Toleto.

HIc nihil de Bellarmino infra laudando cum S. Ignatio & præcipuis ejusdem Societatis. Toletum audiamus lib. 2. Phys. c. 3. lect. 38. q. 2. Concl. 4. ubi postquam fusiùs explicuit, quomodò Deus immediatè concurrit ad effectum causæ secundæ, & quidem magis ac priùs quàm ipsa: expositis etiam quatuor modis, quibus id ipsum Deus Opt. efficit, sic concludit: *Vide igitur quomodò actio instrumenti ab artifice pendet, & effectus ab utroque, sed magis ab artifice. Sic oportet*, inquit, *elevare mentem, & intelligere de Deo glorioso, qui cum his causis sic operatur, ut simul & ipsæ operentur, sed à Deo motæ & directæ sicut instrumenta ab Artifice.*

Vix potest ferre Henao Toletum stare à partibus Thomistarum: nam pag. 70. sui Ventilabri, nu. 123. ait, *sic omnes Societatis Philosophos ac Theologos posse recenseri:* (quod certè verissimum erat antè exortam malæ hujus æmulationis controversiam.) Ut ergo illum possit ad se reducere, utitur quibusdam commentariis

Commentariis hominibus invisis, & soli Sherlogo notis, & ne falsitatis arguatur Henao ait, *horum commentariorum fidem esse penes Sherlogum* testem « domesticum proinde non admittendum. *Sed ad præfatam ad se Toleti reductionem utitur Henao, præ cæteris, D. Chrysostomi testimonio, quò existimat sanctum* « *Præsulem suo jam tempore loquutum esse de principiis Scientiæ Mediæ. Pro* « *quo dissolvendo, sciendum est Deum non agere cæco modo: ex eo igitur quod* « *aliquando legatur apud Chrysostomum aut in quibusdam Patribus, Deum* « *vocasse aliquos quando ipse sciebat eos esse obtemperaturos;* illicò existimant « Adversarii Scientiam Mediam esse stabilitam: quod est omninò alienum à mente sanctorum Patrum: aliud enim est, quòd Deus prævideat aliquem consensurum (quod certè ipsum latere non potest;) aliud verò quod indigeat Deus hac prævisione, aut ab ea dispositione dependeat ad agendum; quod cum D. Augustino & Doctore Angelico negant Thomistæ: nam quotiescumque vult Deus, potest omnia agere omnipotentissimâ facilitate. Ne ergo quis posset prædictam agendi in Deo dependentiam suspicari ex illis verbis Chrysostomi, *Vocavit Discipulos quando sciebat ipsos esse obtemperaturos*, citò addidit: *sciebat enim quando ipse operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit.* Et ne ullus esset Scientiæ Mediæ angulus, quæ asserit Deum indigere hujusmodi dispositionis prævisione; addit ibid. sanctus Præsul, homil. 13. in Matth. ab ipso Henao paginâ 70. laudatus, exempla non solum Pauli furentis, sed etiam Matthæi, Andreæ & Petri quando erant magis impediti, id est, minus benè dispositi, ut Christo vocanti obtemperarent, ut scilicet virtus Gratiæ magis appareret.

SECTIO XIII.

Decimo-tertiò, Probatur ex Azorio & Almaïno.

NUllus est qui Catalogum legerit Authorum Societatis, quem lateat quo in pretio sit apud Suos, omnesque alios Azorius. Ille verò lib. 1. Moral. instit. c. 24. post relatas nonnullas difficultates, ait: *Quidquid sit, negandum non est, Deum cum natura & humana voluntate operantem, esse totam causam. Nec dicendum est talem causam esse, qualis est is qui unam cum alio trahit navem, vel idem pondus attollit... quia in his, quamvis duo se invicem juvent, nec unus sine altero producat effectum: neuter tamen alteri efficiendi vim & facultatem præstat, vel alterum movet ad efficiendum, vel est alteri causa ut faciat; sed uterque cum altero facit. At Deus naturæ & voluntati ad agendum vel faciendum vim & potestatem præbet, & facit ut ipsa natura vel voluntas agant & faciant, quæ alioquin nihil facerent per se se: quamvis agendi vel faciendi vim & facultatem datam & conservatam haberent... Et quamvis unus sine altero pondus per se attollere vel trabem deferre nequeat; tentare tamen ipse potest: At voluntas humana, vel quæcumque alia causa, nihil sine Deo tentare conarive potest.* Legatur totus, & non tantùm accepisse sensum ab Angelico Doctore judicabitur, sed & verba usurpasse.

Quantùm autem ad Cosmam Almaïnum, solis opus est oculis. Legendus

in Summa Philosophica, q. 11. a. 4. Ad quem exscribendum hac de re, tres paginæ non sufficerent; idque ita ad mentem D. Thomæ, ut ejus verba persæpè ne quidem mutaverit. Hoc tantum ipsius subjiciam argumentum ex Philosopho deprpromptum c. 8. Eudem. Ethicæ. *Hujus*, inquit *quod aliquis intelligat, consilietur, eligat & velit; oportet aliquid esse causam, quia omne novum oportet quod habeat causam aliquam: si autem est causa ejus aliud consilium & alia voluntas pracedens, cum non sit procedendum in his in infinitum, oportet devenire ad aliquod primum: hujusmodi autem principium oportet esse aliquid quod sit melius ratione: nihil autem est melius intellectu & ratione, nisi Deus. Est igitur Deus primum Principium nostrorum consiliorum & voluntatum.* Lege D. Thomam ab eo citatum ibidem 3. cont. Gent. cap. 67. 70. 89. Et 1. p. q. 105. a. 5. de Pot. q. 3. a. 7. & nihil reperies apud Almaïnum præter Doctorem Angelicum ejus ore loquentem.

SECTIO XIV.

Probatur Prædeterminatio ex Henriquez & Pererio.

PRimus quidem (inter Societatis doctissimos) habitus Henriquez, lib. de ult. fine hominis, hæc ait c. 6. *Tanta est divina voluntatis Providentia & Motionis Efficacia ac suavitas Sapientia, ut provideat, agatque & rem ipsam & modum ipsius: id est, providet ut ab homine fiat actus seu effectus, & liberè fiat cum omnibus circumstantiis loci, temporis, modi*... Et post pauca addit: *Hæc sententia est sacris Scripturis ac Patribus consentanea, ut salvâ libertate hominis, actus bonos cum suis bonis circumstantiis prædeterminet.* Porrò, inquit, *ea Prædeterminatio antecedens, quamvis è natura rei non esset necessaria, ut fierent singula bona opera... Pertinet tamen ad rationem perfectæ Providentiæ qualis est in Deo*... Qua in re notandum est quod c. 4. supra dixerat: *Concors Doctorum sententia docet Deum habere Prædeterminationem efficacem bonorum ab æterno.* Et cap. 5. referens plusquam 20 Doctores pro hac re: *Non est ita difficile*, inquit locô suprà citatô, *conciliare libertatem hominis cum tali Prædeterminatione, ut quidam putant.*

Alter verò, scilicet Peretius, quem Possevinus, Societatis Jesu Historiographus, vocat *virum insigni eruditione & perspicuitate refectum*; lib. 8. de Causis, c. 7. loquens de Prædeterminatione physica, ait: *Hæc doctrina non est probabilis tantùm, sed omninò vera, certa & indubitata, de qua fas non est Christiano Philosopho dubitare.*

SECTIO XV.

Probatur ex Canisio & Salmerone.

NOn possumus mentem Canisii melius investigare, quàm ex testimoniis Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum, quæ sua fecit, collectione, judicio & approbatione. Sit ergo in exemplum cæteris quod refert ex Sancto

Fulgentio de Incar. & gra. Christi c. 18. *Si Gratia bonam voluntatem in nobis invenit, quam ipsa non dedit: immò si sic est: nos Deo Priores voluntatem damus: atque ita Gratiam non miseratione tribuentis, sed aquitate Dei retribuentis accipimus Verumtamen quis prior dedit illi & retribuetur ei?* Aliud refert ex Theophilacto non minùs efficax testimonium, cum aliis Sanctorum Patrum.

Suus quoque Salmeroni locus debetur, qui à Beato Ignatio de Loyola Fundatore Societatis Jesu, missus fuit ad Trident. ac proindè testis legitimus doctrinæ Synodi prædictæ supra laudatæ. Atqui Salmeron. disp. 19. in Epist ad Rom. ait, *Illos Deus amavit, non ad aliquod bonum temporale sed ad Supremum Cælestis Gloria: nec ad tempus; sed usque in finem dilexit eos, id est* (inquit Salmeron) *firmâ suâ & immobili Pradeterminatione per certa media, quasi serie quadam instituit, ut possent ad Gloriam pervenire.* Legendus idem Salmeron tom. 4. in Evangel. Et in Epist. Pauli disp. 5. sub finem. At quantum ad Sanctum Ignatium ipsum, cæterosque totius prædictæ Societatis Celeberrimos; vide ea, quæ ex ipsis retulimus datâ occasione, suis in locis, quos facilè reperies ex Elencho in fine operis posito.



PARS ALTERA APPENDICIS,

Specialiter necessaria pro Concordia D. Augustini & Doctoris Angelici circa actuale Auxilium Gratiæ necessarium, etiam in Statu Innocentiæ.

EXPONITUR HUJUS CONTROVERSIÆ STATUS,

An eadem fuerit Ratio Dependentia creatura à Deo in Statú Innocentia & natura per peccatum corrupta, quantùm ad Actuale Auxilium Gratia, absolutè necessarium ad benè agendum: ac proinde an & in illo fuerit necessaria Pramotio Physica?

Ratio dubitandi nascitur ex eo, quod sæpius dixerit S. Præsul Augustinus, Adamum in statu Innocentiæ, & Angelos ante suum lapsum, suâ voluntate & arbitrio stare ac perseverare potuisse, si voluissent: & ut videtur, sine ullo Dei Auxilio actuali: ut re ipsâ docuerunt plures Moderni, existimantes hoc esse ad mentem Sancti Augustini: At oppositum sentiunt Thomistæ, existimantes Adamo & Angelis ante eorum lapsum, fuisse quoque omninò necessarium actuale Dei Adjutorium ad bene agendum & perseverandum: tùm ab ipsorum natura seu virtute naturali: tùm à Gratia habituali illis collata, realiter distinctum. Sunt duæ partes in hac conclusione.

Prima probatur ex Doctore Angel. 1. p. q. 95. ar. 1. asserente perfectam subjectionem corporis ad Animam: & appetitus inferioris ad Superiorem, non fuisse naturalem, quia si naturalis fuisset, in eo etiam post peccatum utique remansisset: unde pro dependentia creaturæ & Præmotionis necessitate univer-

saliter philosophatur Doctor Angel. 3. contra Gent. c. 155. sine discrimine hujus vel illius status.

Confirmatur ex eodem 1. p. q. 64. ar. 1. ubi loquens de Angelis (in quibus peccatum fuit, estque semper gravissimum: quia diabolus, inquit D. Thomas de Malo, q. 16. ar. 5. ad 14.) adhuc manet in prima perversitate: quâ summam Beatitudinem per naturalem virtutem voluit obtinere: quantum ad appetitum: (licet non quantùm ad hoc, quod credat se posse obtinere: ut docet S. Doct. 1. p. q. 64. ar. 2. ad 3.) dicens *per culpam non fuisse immutatum id, quod erat ipsi naturale*, sed naturalis est omninò dependentia creaturæ à Deo; tam in agendo, (quod sequitur *esse* estque illi proportionatum) quàm in essendo (ut loquuntur) idque non minùs in statu Innocentiæ, quàm in statu naturæ corruptæ. Immò est ita essentialis hæc dependentia à Deo, teste Angelico Doctore de pot. q. 3. ar. 7. ad 7. ut *Rei naturali non possit conferri vis, quâ agit ad* esse *ut instrumentum Primæ Causæ, nisi detur ei, quod esset Universale Principium essendi*, Quod non est minus impossibile quàm quod sint duo dii· Ergo eadem fuit dependentia in statu innocentiæ & in statu naturæ per peccatum corruptæ.

Explicatur magis. Sicut supra diximus ex D. Thoma 1 p. q. 64. ar. 1. *perfectam subjectionem corporis ad Animam*, spectare ad Gratiam: ita & dependentiam creaturę à Deo, ad naturam intimè pertinere: & quia hæc dependentia est major eâ, quâ radius dependet à Sole, ut supra diximus, eam quoque præcessisse in statu innocentiæ, tanquam modum à creatura inseparabilem, merito jure existimamus: ratio fundamentalis est: quia primus homo, non minus erat ens per participationem in statu innocentiæ, quàm in statu naturæ corruptæ: & ideò utrobique necessitas Prævii influxus Dei, quam idcircò sine discrimine ut dixi docet Doct. Angelicus lib. 3. cont. Gent. supra citato c. 155. Legat interim etiam qui voluerit prædictam D. Thomæ responsionem ad 7. q. 3. de pot. ar. 7. & sine dubio obstupescet, quî possint Adversarii, vel in dubium revocare Prædeterminationem, cui à tot annis adversantur: quamvis pro ea stabilienda & explicanda in omnibus Divi Thomę operibus; hoc unicum esset Sancti Doctoris testimonium: quod in gratiam eorum, quibus non facilè suppetit copia librorum, breviter subjiciemus *Ad* 7. inquit, *dicendum quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione, collata; inest eis ut quadam forma, habens esse ratum & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit, in re naturali, quò actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Cui si addideris id quod ait S. Doctor in 2. Sent. dist. 37. q. 2. ar. 2. invictum ex D. Thom. habebis argumentum pro Prędeterminatione physica. At pro prædicta dependentia S. Augustinum postmodum audiemus: interim Legendus Doctor Angelicus 3. cont. Gent. c. 67. ubi ait, *non solùm cum res primò sunt conditæ, eis virtutes operativas indidit*, Deus, *sed semper eas in eis conservat: unde cessante ejus influentiâ, omnis operatio cessaret.* Hoc explicat ibid. *Ex motu violento, qui cessat cessante violentiâ impellentis.* At operari sequitur esse, estque illi proportionatum, ut dictum est.

Confirmatur primò ex lect. 2. in caput 1. ad Hebræ. ubi ait Sanct. Doct. „ Deus est causa omnis substantiæ rei quantum ad fieri..... & sicut ad al-

„ ſentiam Solis ceſſat fieri & eſſe luminis in aëre, ita ad ſubſtractionem vir- „ tutis Divinæ, ceſſat & eſſe, & fieri & ſubſiſtere omnis creaturæ..... Por- „ tat etiam omnia, inquit, quantùm ad operari : quia ſubſtractâ influentiâ „ ejus, ceſſat omnis motio cauſarum ſecundarum, cum ipſe ſit Cauſa Prima, „ & cauſa prima plus influat quàm ſecunda.

Confirmatur ſecundò, ex eodem 1. 2. q. 109. ar. 1. ubi ait : *Quantumcumque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere niſi moveatur à Deo.* Et ibid. ar. 2. ad 1. id ſatis confirmat.

Item longè perfectior eſt natura rationalis in ſtatu gloriæ, quàm eſſet in ſtatu innocentiæ : ſed in ſtatu gloriæ adhuc indigebit Dei Præmotione ex D. Thoma. 1. 2. q. 109. ar. 9. ad 1. Ergo, &c. Legendus etiam de Malo, q. 3. a. 1. ad 9.

Probatur ſecundò ex D. Auguſt. tom. 7. lib. 2. de peccat. merit. c. 18. *Si* inquit, *nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe bona vel mala : bona autem voluntas ex nobis eſt, melius eſt id, quod à nobis eſt, quàm quod ab illo eſt ; quod abſurdiſſimè dicitur.* At non minus verum eſt illud in ſtatu innocentiæ, quam in ſtatu naturæ corruptæ, quamvis enim natura corrupta pluribus indigeat ac magis quàm ſana : numquam tamen licitum fuit, naturam præferre gratiæ, ſicque ordinem pervertere : nec minùs impia fuiſſet hæreſis Pelagiana in ſtatu innocentiæ, quàm in ſtatu naturæ corruptæ: immò major in illo fuiſſet & ingratitudo. Quare de illo fœlici ſtatu loquens D. Auguſt. tom. 5. lib. 14. de civit. c. xj. ait, *Bona voluntas eſt opus Dei, cum ea quippè ab illo factus eſt homo.* ſcilicet Adamus.

Item D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. *Mens hominis,* inquit, *etiam ſani, non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri à Deo : & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi poſt peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ.* At motio moventis præcedit motum mobilis ratione & cauſâ, ut ait idem D. Thomas.

Secunda pars etiam non tam probatur quàm ut certa ſupponitur ferè nemine contradicente, nimirùm, tam Angelos quàm Adamum, Gratiam habitualem habuiſſe : De his enim ait D. Auguſt. jam laudatus? *Erat Deus in Angelis condens naturam, & largiens Gratiam.*

De illo verò, ſcilicet de Adamo, *nec ipſum Deus voluit eſſe ſine ſua gratiâ...* Sed dicimus præter hanc, neceſſarium fuiſſe auxilium actuale realiter à Gratia habituali illis collato diſtinctum, quod ſuâ culpâ à Deo non acceperunt Protoparentes. Utraque pars ſatis manifeſtè oſtenditur primò ex D. Auguſtino loco ſupra citato de Nat. & Gra. cap. 18. tom. 7. ubi *Stultum æſtimat petere ut facias, quod habes in tua poteſtate* ; At, ſi nullum fuiſſet neceſſarium Adamo Gratiæ Auxilium præter Gratiam habitualem & ſufficientem quam habebat, quamque (ut volunt Defenſores Molinæ) potuiſſet efficacem reddere : non debuiſſet Adamus ad Deum recurrere pro aliquo obtinendo efficacioris Gratiæ Auxilio, ut tentationi reſiſteret, idque omittendo facere, non peccaſſet. Sed oppoſitum aſſerit D. Thomas de verit. q. 18 ar. 6. ad 13. Et 1. p. q. 94. ar. 4. ad 5. ubi ait : *Adamo non fuiſſe collatum Auxilium ad reſiſtendum tentationi, quia non habuit recurſum ad Deum pro illo obtinendo.*

Probatur rurſùm ex eodem tom. 9 tract. 2. cap. 8. de Cant. novo, ubi etiam ait: *Odit Deus præſumptores de viribus ſuis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt : ad malum ſufficit*

sibi; ad bonum, non: nisi adiuvetur à Deo. Et oppositam opinionem vocat, *Speluncam Pelagianorum* ritéque admonet quòd *si homo ille non fuit cautus: nunc caveat homo vel expertus.* Jam hoc docuerat S. Præsul tom. 3. de Gen. ad litt. lib. xj. c. 4. ubi loquens de Adamo dicebat, *in natura posse, & in potestate habebat velle, & non consentire suadenti, adiuvante tamen illo qui superbis resistit; humilibus dat Gratiam.* Præterea. Ex adversâ sententia sequitur primò: Quod boni Angeli non fuerunt magis adjuti à Deo, quàm mali; Secundò. Quod meliores à se ipsis effecti sint quàm à Deo. At utrumque est contra D. Augustinum tom. 5. lib. 12. de civit. c. 9. ubi ait: *Si Angeli, boni fuerunt priùs, sine bona voluntate, eamque in se ipsis, Deo non operante fecerunt. Ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt. Absit.... aut si utrique boni æqualiter creati sunt; istis malâ voluntate cadentibus illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt....*

Confirmatur ex Enchir. S. Præsulis c. 28. tom. 3. ubi ait: *Cæteri* (id est Angeli boni) *piâ obedientiâ Domino cohæserunt: accipientes etiam, quod illi non habuerunt, certam scientiam, quâ essent de sua sempiterna & numquam casura stabilitate sec[illegible].* At pia hæc obedientia, insigne & magnum fuit donum Divinæ Gratiæ: cui Deus Opt. aliud addidit, scilicet certam suæ fœlicitatis securitatem, lege & c. 106. Nec potest hic admitti solutio Jansenii, asserentis Angelos bonos fuisse ipsâ beatitudine *ampliùs adjutos*, nam ut rectè ait Estius in 2. dist 41. sect. 13. *Si hoc Adjutorium quo Beati Angeli dicuntur amplius adjuti, esset ipsa beatitudo: sensus redderetur ineptus, scilicet Angelis collatam esse beatitudinem, quâ ad beatitudinem pervenirent.*

Probatur Tertiò, ex D Thoma 1 2. q. 109 ar. 9. ad 1. *donum* (inquit) *Gratia habitualis non ad hoc datur nobis, ut per ipsum non indigeamus ulterius Divino Auxilio, quia etiam in statu Gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo Divino Auxilio indigebit.* Ergo potiori jure indigebat homo in statu innocentiæ, longè huic inferiore.

Confirmatur primò, ex S. August. tom. 8. Conc. 2. in Ps. 32. ubi loquens de Angelis, sub Cœlorum figuris: in hæc verba: (verbô Domini Cœli firmati sunt...) ait: *non habuerunt aliquid ex se; & tanquam supplementum à Domino perceperunt. Spiritu enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum. Nec ipsi* (scilicet boni Angeli) *firmitatem sibi propriam præstiterunt: hanc enim à Deo acceperunt.*

Confirmatur secundò, ex ipsius Sancti Præsulis Augustini Interprete optimo: Estium intelligo: quem tùm Scripturæ, tùm Sanctorum Patrum ac Scholasticę peritiâ semper judicabit Lector eruditus fuisse peritissimum. At ille in 2. „ Sent. dist. 5. parag. 2. ait, Alii Adjutorium Angelis ad perseverandum ne„ cessarium, intelligunt speciale ac supernaturale Dei Auxilium, à Prima Gratia „ diversum, quô ipsum perseverandi actum seu effectum in homine vel Angelo „ operatur (scilicet Deus) efficaciter faciens illum perseverare: ita ut per hoc „ donum, non tantùm habeat Angelus vel homo posse perseverare, verùm „ etiam ipsum perseverare. Atque hoc Auxilium negant datum fuisse omnibus „ Angelis: si enim omnibus datum fuisset, omnes utique perseverassent: sed „ datum dicunt solis Electis. Hæc sententia (inquit) nobis habetur probabi„ lior, atque omninò vera: sivè Scripturam, sive Patrum doctrinam sive ra„ tionem consulamus. Nam Scriptura, Patrum Authoritas, ipsa quoque ratio

testantur. Omne bonum in Deum Authorem esse refundendum : & pro " omni bono, in solo Deo gloriandum. Quod si ita est, ut certè dubitari " non potest: igitur Angeli quicumque perseverarunt, non solum acceperunt " à Deo posse perseverare ; sed ipsum perseverare : ut non solùm in hominibus " lapsis, & per Gratiam reparatis veritatem obtineat illud Apostoli. Quis te " discernit? Et quid habes quod non accepisti? Verùm etiam in electis Angelis. " Hic quoque notandum id quod ipse ibidem ait in fine paragr. 1. *Huiusmodi autem donum fuisse Angelis ad conversionem necessarium, adeò certa doctrina est, ut August. lib. 12. de civit. c. 9. tanquam absurdissimum rejiciat: si quis dicat Angelum propria voluntate se fecisse meliorem, quàm à Deo factus sit.* Ac deinde concludit idem Author his verbis notandis.

Ea quæ de Adjutorio Primi Hominis & Angelorum obscurius & ut vi- " detur extra Scripturæ Authoritatem ab Augustino disputata sunt, ad hoc, " ut ex ea comparatione (nota) Gratia nostræ per Christum reparationis ma- " gis emineret: non debere præjudicare doctrinæ quæ apud alios Patres, ip- " sumque S. Thomam expressior habetur: maximè propter rationes in eam par- " tem gravissimas, & ut mihi videtur in Scriptura fundatas.... scilicet. Ho- " minem in Primo statu accepisse donum per quod perseverare posset si vellet: " ipsum autem velle relictam in ejus libero arbitrio; accipiendum sit de dono " habituali gratiæ, quod in genere doni habitualis fuerit sufficiens ad perse- " verandum: non ita tamen, quin ad actualem perseverantiam opus habuerit " actuali Auxilio Dei. Et post pauca addit. *Et sanè nisi hanc à S. Thoma insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus: difficillimum erit, & ne quid possibile Augustinum sibi ipsi conciliare.....Et præsertim lib. 12. de civit. cap. 9.* Lege D. Thomam 1. p. q. 95. ar. 1. ad 2. 3. & 4. Cumque lib. 2. disp. 26. quasdam objectiones sibi fecisset Estius; eas ad 2. solvit dicens; *imperfectam esse (quod notatum velim) comparationem Gratiæ cum lumine : nam Gratia non tantùm est instar oblati luminis : sed etiam ipsa oculos aperit....* Melius ergo exprimitur ab Angelico Doctore 1. p. q. 62. ar. 3. *Gratia Gratum faciens & sufficiens* comparatione *Seminis* quàm exemplo *luminis* & reipsâ; Gratia non tantùm dicitur *lumen* sed & 1. Joa. 3. *Semen* nominatur.

Et ut nihil dicendum superesset: Quibusdam asserentibus opus bonum consummari acceptatione Gratiæ & consensu creaturæ quod ad solum liberum arbitrium videtur pertinere. Respondet ibidem ad 3. Estius *Sicut Pater non est incarnatus : & tamen incarnationem filii sui operatus est : & sicut Deus non movetur nec ambulat, & tamen motum omnem in rebus producit. Sic & Gratia non acceptat Gratiam, sed tamen illam acceptationem, qua voluntas nostra Gratiam acceptat, operatur.*

Finem his imponit Concilium Arausicanum 2. can. 19. *Natura humana,* inquit, *etiamsi in illa integritate in qua est condita, permaneret: nullo modo seipsum Creatore suo non adjuvante servaret: unde cum sine Gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit: quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Legendus Doct. Angelicus lect. 1. in cap. 4. de divin. No. Ut igitur rationi dubitandi in principio propositæ faciamus satis; sciendum est aliquando S. Præsulem extulisse & meritò, fœlicem illum innocentiæ statum, supra miseram naturæ corruptæ conditionem: sicut & gratiam Reparatoris, & illam præsertim, quam Deus opt. quibusdam illustrioribus con-

tulit Martyribus, quamque non rarò fecit commendatam, præ illa ipsi Adamo collata.

Loquens ergo divinus Antistes de fœlicitate prioris hujus statûs, & facilitate quam habebat Adamus; dixit bonum à primo homine fuisse factum voluntariè; id est, sine repugnantia & difficultate: malum itidem commissum esse solô voluntatis arbitrio, id est, absque ulla infirmitate seu agone concupiscentiæ; quia, ut ipse loquitur de Cor. & Gra. Adamus *suâ secum pace fruebatur, nulla rixa à se ipso adversus seipsum tentatus atque turbatus, cujus voluntati nihil ex seipsa concupiscentialiter resisteret.* Ita etiam formaliter D. Thomas 1. 2. q. 109 a. 10. ad 3. Et rursum 2. 2. q. 137. a. 4. ad 2. ubi ait: *Dicit Augustinus lib. de Cor. & Gra. quòd primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium* (nota) *quia nulla corruptio tunc erât, quæ perseverandi difficultatem præberet.* Seu ut ipse ait de Cor. & Gra. cap. 11. *Acceperat homo posse si vellet, sed non habuit velle quod posset;* Deus enim operatur velle. Ut ergo ostenderet sanctus Præsul non esse opus valentibus Medico, seu Gratiam sanitatis non fuisse in hoc primo statu necessariam, quâ Gratiâ indigemus in secundo, hac loquendi formâ usus est tanquam totum opus tribueret creatæ voluntati; ex eo quòd nullâ difficultate laboraret, nulloque detineretur impedimento; & sicut per id quod suprà retulimus de eo, de quo dicebat sanctus Præsul, to. 7. lib. de cor. & Gra. cap. 7. *credidisses si voluisses*; (Ex eo quod prædicationem Evangelii audivisset) non negabat fidem esse donum Dei, & quidem speciale: ita cum dixit *quod Adamus perseverasset si voluisset*, per hoc non exclusit speciale donum perseverantiæ, à Gratia sanctificante realiter distinctum.

Quod dicimus de dono perseverantiæ (pro quo tamen specialis est ratio) dicendum est quoque de alio quocumque bono faciendo: nam qui hac in parte, Sanctum Augustinum separare conati sunt ab Angelico Doctore, hoc præcipuè moti sunt; ex eo quòd primus homo (ut loquitur sanctus Præsul) hoc vel illud fecisset, *si voluisset*, quasi *velle* fuerit in ejus potestate sine ullo novo actuali auxilio Gratiæ ipsum movente, ejusque voluntatem effectivè disponente. Atqui hoc manifestè sancto Præsuli contrarium est, ut eo statim demonstratum ex ejus Enchyridio, quodque hîc ostendo ex lib. 1. Retract. cap. 10. to. 1. ubi etiam ait: *Verum est omnes hoc posse (scilicet mandata servare) si velint, sed præparatur voluntas à Domino.* Ergo per ly *si velint*, dictum etiam de Adamo, non excluditur Dei præparatio & auxilium actuale, sine quo melius esset id quod fuisset ab Adamo, quàm quod ab ipso Deo; vitandaque est hæresis Pelagiana, ut dictum est, etiam in statu innocentiæ, in quo non nisi per nefas, debet Deo denegari id quod melius est, ut illud creaturæ tribuatur: quod tamen manifestè sequeretur, si hac in parte à doctrina D. Thomæ recederetur, aut S. Augustinus vel lato ungue ab eo separaretur. Nec ullum debent movere in oppositum propositiones conditionales, v. g *si velit*; cum aliquando admittantur in rebus etiam impossibilibus, ut ait Doctor Angelicus, de Malo, q. 16. a. 5. ad 7. *Diabolus potest converti ad bonum si vult: Antecedens*, inquit, *est impossibile.* Ergo potiori jure, cum dicitur v. g. quòd Adamus potuisset bonum agere, vel etiam perseverare, *si voluisset*; per hoc non denegatur quin ipsi fuerit necessarium Dei Auxilium actuale ad benè agendum, vel ad perseverandum; pro quo necesse

cesse est, ut voluntas firmetur in bono, quod à solo Deo fieri potest.

Itidem extollens aliunde sanctus Præsul supra gratiam innocentiæ, gratiam meritis Christi, quibusdam præsertim Martyribus speciali munere Dei collatam; dixit datum fuisse ipsis, non tantùm ut possent si vellent, sed etiam ut invictissimè vellent quod possent, ac certissimè perseverarent. Quare sicut ex aliquo speciali auxilio Gratiæ quibusdam specialiter collatæ Martyribus, non licet inferre omnem Gratiam in aliis hominibus justis semper esse efficacem in hoc statu: ita ex priori modo loquendi pro statu innocentiæ, nefas est quidquam admittere adversus necessitatem actualis auxilii Gratiæ, cum hoc, ut supra dictum est, tale auxilium appareat firmatum Authoritate tantorum Doctorum, Conciliis evidentissimis, Scripturæ testimoniis, & firmâ ratione, quibus nemo jure merito potest resistere.

SECTIO UNICA.

Exponitur modus consiliandi D. Thomam cum Sancto Augustino, quantùm ad modum loquendi, ex diversis, quibus usi sunt, principiis.

HIc tanquam certissimum suppono, Sanctum Augustinum & Doctorem Angelicum nunquam fuisse hac in parte sibi contrarios; sed diversos tantùm, in iis dumtaxat in quibus diversis usi sunt doctrinæ principiis. Ubi verò iisdem, perfectissimè unanimes fuisse, & quasi uno ore loquutos.

Quod ut melius intelligatur, præmittendum est illud Divi Ambrosii effatum, lib. 2. de Pœnit. c. 2. *Quod contrarium est, seipsum impugnat, quod diversum est, distinctam solet habere rationem.*

Illinc asserit Doctor Angelicus de Pot. q. 1. a. 4. in o. non tam contraria, quàm diversa, etiam de eodem, judicia Medici, Astrologi, Philosophi ac Theologi, propter consimilem Principiorum, quibus innituntur diversitatem: sic Medicus judicabit juxta causas inferiores, infirmum aliquem moriturum: secùs fore peritus asseret Astronomus secundùm dispositionem syderum. Et idem dicendum cum proportione de Philosopho & Theologo: v. g. circa Resurrectionem Mortuorum; etenim quam sola ratio humana existimabit impossibilem, hanc suadebit fides possibilem ac futuram. Sic in præsentiarum dicimus D. Augustinum aliquando diversis usum fuisse principiis pro rerum opportunitate; & nonnunquam v. g. loquutum esse in genere Moris ac Theologicè ex principiis in Scriptura revelatis; aliquando verò philosophicè ex solis rationibus Philosophiæ naturalis, quibus frequentiùs usus est Doct. Angelicus Aristotelem sequutus, per quem non stetit, quominus ipsemet Aristoteles fieret Christianus.

Quod ita egerit sanctus Præsul, res est de facto, pro quo solis opus est oculis: quòd verò sic agere debuerit, ex eodem patebit. Etenim agens contra Manichæos, quibus erat quasi scopus, duo summa stabilire boni & mali principia, seu ut loquitur, *duas coævas boni & mali permixtas substantias*, asserendo factas esse à diabolo res corporeas; nemo non judicabit satiùs sanctum Doctorem debuisse uti rationibus Philosophiæ naturalis, quibus demonstrativè unitas Primi Principii probatur, quàm diutiùs cum illis insistere testimo-

niis Scripturæ. Sed cur ita? Quia, ut ait S. Augustinus, to. 7. lib. de bono perseverantiæ, cap. 11. *Manichæi libros veteris Testamenti non recipiebant; & novi non alios quàm quos volebant.* De quibus Hæreticis hæc ibid. ait sanctus Antistes: *Suô quodam privilegio, immo sacrilegiô (utentes) quod volunt, sumunt; quod nolunt, rejiciunt.* Et unô verbô dicam cum eodem: *quia apud tàm perversos, testimoniorum Divinorum nihil adjuvabat Authoritas.*

Agenti verò sancto Præsuli contra Pelagianos (quorum naturalem revincere superbiam, ipsisque peccatum originale, quod illi negabant, persuadere conabatur Augustinus) non ita utilis eidem visa est Philosophia naturalis, cujus scientia inflat, & quâ nunquam potuisset originâle peccatum illis ostendere: quod ipsi ignorantes Philosophi, tot ex illis obstupuerunt, præ cordis humani pravitate, cujus causam ignorabant, quâ homo homini fit lupus.

At adversus eosdem utilissimè utebatur sanctus Præsul testimoniis Scripturæ (quam admittebant) quâ unâ melius innotescit figmentum creaturæ, ejusque dependentia, quæ est fundamentum ac basis Christianæ humilitatis: & ritè ostenditur peccatum originale, quod solâ fide & Scripturæ Authoritatibus potuit innotescere.

Ut igitur ad nostrum propositum redeamus, dicimus omnia testimonia (ut patebit legenti) quæ possunt afferri in speciem opposita principiis doctrinæ Divi Thomæ, non esse in re eidem contraria; sed diversa tantùm seu disparata: nam his in locis D. Augustinus Theologicè loquebatur, & in genere Moris, atque ex principiis revelatis contra Pelagianos agit (quorum hæresis cum omnem excederet blasphemiam, ut testatur S. Hieronymus) eam etiam studuit detestabilem reddere, ut ait D. Thom. de Malo, q. 5. a. 2. ad 3. ex quo obiter velim accipias, quomodo intelligendus sit D. Augustinus in re difficillima circa statum parvulorum: quos Doctor Angelicus eximit à pœna sensûs.

Quidquid igitur ex S. Augustino affertur in speciem oppositum doctrinæ D. Thomæ hac in parte; per hoc nihil aliud intendit, quàm Pelagianos revincere, illosque ex Scripturis edocere prærogativas & excellentiam statûs innocentiæ, & miseram sub qua usque nunc omnis creatura ingemiscit, conditionem; in quam per peccatum primi Parentis prolapsi sumus, cum necessitate remedii, quod assiduis precibus à Deo petere debemus; seu ut rem paucioribus complectar: Dico sanctum Præsulem voluisse discrimen ostendere, quod est inter naturam sanam & eandem ut peccato sauciatam. Cum ergo dicit v. g. quòd Adamus in accepta justitia mansisset si voluisset: verus sensus est, quod posset ille sine difficultate bonum operari, seque ipsum conservare sine ulla concupiscentiæ pressura; & id conformiter ad suam naturam non resistentem, non repugnantem, non fastidientem: Hominem verò lapsum, pondere quodam ad aliud peccatum propendêre, tùm ex concupiscentia, tùm ex tentationum frequentia, importunitate & potentia, quibus homo impeditur ne in bonum se se facilè possit exigere: quod bonum post peccatum jam non operatur, nisi Deo sanante, dirigente, confortante & agente; tùm ut vincantur passionum impetus, tùm ut eludantur dæmonum insidiæ.

Hactenùs de primo loquendi modo: quando verò sanctus Præsul utitur aliô, id est, quando loquitur in principiis Philosophiæ naturalis; nullum unquam protulit verbum sanè (ut par est) intellectum, quo illud Adjutorium ad singulos actus necessarium, in Scriptura satis expressum, in Conciliis definitum, & à Patribus

propugnatum reprobaverit; quin immò semper probaverit, defenderit, tanquam prorsùs necessarium, ut legenti patebit. Unde to. 3. de Genes. ad litt. lib. 5. c. 20. ait: *Sic ergo credamus, & si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus, operatio ejus subtrahatur, intereant.* Et ibidem lib. 8. c. 12. ait: *Neque enim, ut dicebamus, sicut operatur homo terram, ut culta atque fœcunda sit, qui cum fuerit operatus, abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam; vel si quid aliud manente opere quod factum est, cum Operator abscesserit; ita Deus operatur hominem justum, id est, justificando eum, ut si abscesserit, maneat in absente quod fecit: sed potiùs sicut aër præsente lumine, non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset, non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo, Deo sibi præsente, illuminatur; absente, continuò tenebratur; à quo, non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.* Et hoc ipsum ab Angelico Doctore expressum est per ly *dependere à Deo in fieri & in facto esse*: In quo fundatur dependentia essentialis, quâ demonstrativè probatur Prædeterminatio. Sed ne quis dubitare possit de mente sanctissimi Præsulis, sequens adjiciam ipsius testimonium in Enchirid. ad Laurentium, cap. 106. to. 3. ubi loquens de Adamo, ait: *Non tamen justitiæ retinendæ, sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni, Divinum adjutorium præberetur: sicut enim mori, est in hominis potestate cum velit; nemo est enim qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo, possit occidere: ad vitam verò tenendam, voluntas non satis est, si adjutoria desint. Sic homo in Paradiso, ad se occidendum relinquendo justitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur via justitiæ, parùm erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret. Sed post ruinam major est misericordia Dei.* Quomodo autem Deus adjuvet ex mente D. Augustini, præbendò vires (quod non fit, ut hactenus ostendimus, nisi Prævio Dei Auxilio, pro quo militamus) satis diximus. Legendus quoque sanctus Præsul de Cor. & Gra. cap. 11. sub finem. Ex quibus, aliisque citatis locis, constat apertè Sanctum Augustinum & Doctorem Angelicum esse quoque hac in parte omninò unanimes, positâ distinctione prædictâ, quâ prætermissâ non mirum, si difficilis admodum visa sit Jansenio utriusque concordia, cui, ut arbitror, non fuisset minus accepta, quàm Gratia sufficiens in sensu Divi Thomæ intellecta.

Eidem doctrinæ favet Beatissimus Papa Gelasius, to. 3. Conc. ex edit. Binii, pag. 654. *Hinc illa fœlicitas Paradisi primis hominibus constare non potuit: hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de se fidit tanquam ipso qui condiderat, non egeret: nec de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur, nec de conservandis quæ sumpserat, poscit auxilium... suæque se credit inter prospera voluntati, facilè sine præsidio Creatoris, patuit deceptionis insidiis... dum & incolumis, absque eadem (scilicet gratia) stare requievit.* Et post multa, ait: *Ad magnam utilitatem fidelium, materia est servata certaminum, ut non superbiat Sanctitas dum pulsatur infirmitas, quò scilicet suâ saltem fragilitate commonita post ruinam, non in se fidat nostra conditio: sed ad illius incessabiliter recurrat misericordiam reformanda, cujus gratiam non quærendo, nec in Paradisi potuit intemeratâ fœlicitate constare.*

Huic ergo doctrinæ his in libris propugnatæ finem imponant aliqui, quorum testimonia suspecta esse non possint : & relicto Bellarmino, lib. 4. de Gra. cap. 16. *asserente hanc doctrinam (hactenùs à nobis propugnatam) esse probabiliorem, & omninò ad mentem Divi Thomæ, magisque consentaneam tum Scripturæ, tùm rationi & ordini quem habet Causa Prima cum secundis;* hoc plenissimè nobis sufficit.

Prætermisso etiam Pererio dicente, *hanc eamdem doctrinam non esse probabilem tantùm (quod certè deberet Probabilitatis Defensoribus sufficere) sed omninò certam, veram & indubitatam, de qua fas non est Philosopho Christiano dubitare.*

Relictis, inquam, omnibus aliis supra laudatis Inclytæ ejusdem Societatis Jesu, in ea tùm pietate, tùm doctrina floruêre, epilogum conficiet Claudius Typhanius ejusdem professionis, in nullo inferior cæteris.

At ille lib. de Priori, pag. 362. prædictam Divi Thomæ doctrinam de physica Prædeterminatione; ait, *aptam esse ad ingenerandam & alendam nostram erga Deum reverentiam & gratitudinem, eâque potentiam Dei, & ejusdem erga nos beneficentiam commendari.*

Oppositâ verò doctrinâ, quâ conantur Adversarii Prædeterminationem rejicere, asserit idem Typhanius : *orandi studium imminui, & debitum Deo honorem, omnemque erga ipsum gratitudinis sensum facilè extingui.* Quis igitur doctrinam Thomisticam non amplectatur? Per quam (ut verbis utar S. Leonis Papæ, serm. 15. de Passione, *nec superbiæ nobis, nec desidiæ locus relinquitur; quia nihil habemus, nisi quod accepimus, & jugiter admonemur, ut dona Gratiæ Dei, non negligenter habeamus : justè enim nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

Finis Libri secundi, ejusque Appendicis.






APOLOGIA COMPENDIARIA,

PRO VERA DIVI THOMÆ DOCTRINA, præsertim adversus recentiores Eupistini ludificationes, tum ex prætensa Suorum reductione: tùm ex *Extracto* libri Iosephi à Vita depromptas, tantoperè sine causa commendato, speciali libro Duaci recens edito.

LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Novus Eupistini processus explicatur: & admonitione necessaria Lector prævenitur circa mentem Eupistini.

Nu. 1.  MICE Lector, nescio quâ sorte, jam ferè apud omnes in consuetudinem abierit; parvi admodùm fieri, faciliusque condonari, illatas ab iis, qui lite ceciderint, injurias: nisi fortè quòd non sit ille, qui hujusmodi est, duplici contritione conterendus; in ipsum asperiùs injurias regerendo (quæ non raro, suâ sponte solent in suos Authores resilire) quas fortasse non tam voluntariè protulerit, quàm illas extorserit vis doloris: qui eò majore quempiam mœrore consuevit afficere, quo minor in suscepta causa esset timor amittendæ victoriæ.

Quid nobis & Eupistino simile hic contigisse diffiteri non possumus, quem vehementer fefellit harum præconcepta ab ipso fiducia palmarum, quas supra Thomistas, in suo priori libro, sibi pollicitus erat pro coronide antiquarum de Scientia Media dissertationum. Sed quod vehementiùs eum urgere debet, hoc præcipuum videtur, quòd nulla alia spes affulgeat, quâ ullus fœlicioris fortunæ aspectus in suo altero libro, ei unquam gratuletur: cum in eo, ad has actus sit angustias, ut opem illius imploret, quem sibi, saltem ex parte, immò & in totius negotii cardine, contrarium esse ipse fateatur, scilicet Josephum à Vita.

Mirati sumus in priori libro Eupistini, satis exiguo, tot concinnatas esse falsitates, ob quas ne erubesceret in persona, larvam assumpsit homine vacuam; sub quâ exploraret, utrum aperto marte sibi pugnare liceret, aut forté vires rei acquirere valeret eundo, cui nullas conferre posset, veritatis subsidiô. Non enim repulsam passus est Eupistinus ob insperatum & infaustum prioris

ſuæ lucubrationis exitum: ſed alterum edidit librum, qui licet multis partibus priorem ſuperet; vix tamen ipſum æquaret ſemotis injuriis, ſcommatibus, dicteriis, faſtu, minis aut cavillis, quibus turget novum illud opuſculum: quod ut magis, faciliuſque intumeſceret, ex alio Authore inſeruit *extractum* ſeu tractatum, ducentis & octo paginis conſtantem.

Et cum tantam, adeòque uberem injuriarum ſegetem complecti nequiverit ſatis longa ad Lectorem præfatione Eupiſtinus: pro ſua germana in adverſarios benevolentia, longè acerbiorem in me iterùm nominatim inſtituit *monitionem ad Lectorem*, ut ſuum calamum (ut loquitur Cardenas) in me acueret: quod ille effecit per modum perorationis; in qua metuens ne priores injuriæ mihi cum aliis communes, citiùs è Lectorum memoria exciderent, ſic revocavit, ut ejus peroratio, mera repetitio dici non poſſit; quem ut vitaret defectum: arte rhetorum, novis ſed majoribus auxit priora dicteriis, quæ cavillis & arte exornavit, ut ſua in me acumina altius figerentur. Exempli gratiâ: inter Sectatores doctrinæ Divi Thomæ recenſueram aliàs R. Patres nomine Minimos, quòd in ſuis Generalibus Comitiis Barcinone 1661 celebratis, unanimi Patrum conſenſu decreviſſent adhærere impoſterùm doctrinæ D. Thomæ; quod certè (omnium judicio) ubique cum laude perficiunt & exequuntur.

2. Hoc ut infirmaret Eupiſtinus, meque falſitatis argueret pagina 22 ſui libri ait P. Magnan Ordinis Minimorum Prædeterminationem rejicere à ſua Philoſophia Lugduni anno 1672 edita. Sicque lepidis ſuum auget librum cavillis, quibus de me triumphare ſe exiſtimat his verbis, *ex hoc*, inquit, *ſuam in citandis Authoribus temeritatem agnoſcant & corrigant.*

Itane mi Eupiſtine arbitraris aut Lectoribus illudere, aut argumentis te facturum ſatis eorum, quos impugnare præſumpſeris? Unus ex integro Ordine quidpiam non fecit. Quid inde? An à particulari ad univerſale valet conſequentia? Audiet igitur apud te tanquam temerarius, quicumque Propheta non fuerit? An tua (ut tuis utar verbis) aliquam habet dioptram Aſtrologia, quâ metiri poſſis, vel potiùs certò ominari ac prævidere futura contingentia, ex libero hominis arbitrio dependentia? Quænam hæc eſt inſolita temeritatis ſpecies (quam in me arguis, & corrigendam præcipis?) Quia nimirùm præſagâ mente nequivi proſpicere id, quod non niſi quinquennium poſt contigit, etenim anno 1661 ſcripſi: ille verò 1672 tantùm. An non eris æquior adverſum me in cæteris? Vrgeo magis.

Si vel in uno, ex iis, quos adverſum nos, in tuo priori libro veritatem reperiſſem; jam credere poſſem, id quod ais de præfato Patre Magnan: ſed ut in jure præſcriptum eſt; in judicio amiſit omnem fidem, qui vel ſemel authenticè falſum dixiſſe deprehenſus eſt: Quod ſi ille qualitatem æneam, aut vim aliquam adamantinam (qualem obtrudere ſatagis pro Prædeterminatione phyſica, quam his coloribus depingis ceu novercam libertatis) impugnaverit: rectè quidem: quia hæc eſt Monſtrum à ſolis Antithomiſtis confictum; alieniſſimum à D. Thoma, omniumque Thomiſtarum doctrina: ſi verò ſit eo quo par eſt modo expoſita Præmotio: non dubito, quin toto affectu eam amplectatur ac tueatur, ſicut & cæteri ejuſdem familiæ Alumni.

Hoc præmittendum judicavi neceſſarium Amice Lector, ut inde agnoſcas quâ mente, Eupiſtini exclamationes excipere debeas in ſequentibus; dum te

hortabitur, *ut secum mirari digneris, quâ fronte ausus sim ea scribere* quæ vera esse demonstrabo, & quidem evidentius ipsa luce meridianâ: etiam ex iis Authoribus (quod certè mirum est) quos pro se adducit Eupistinus.

Relictis ergo scommatibus, homine Christiano indignis, quibus eos afficit Eupistinus, quos arbitratur sibi adversarios, quibus vehementer irascitur, etiam dum ait pag. 12. *Se dare locum iræ.* Ad rem accedamus. Ut possent quidam Neoterici è Scholis eliminare Præmotionem quam Thomistæ ostendebant necessariam esse, potissimùm ex essentiali causarum secundarum dependentia & subordinatione cum Prima: hunc nodum dissecare potiùs, quàm dissolvere semper moliti sunt Adversarii Divi Thomæ: qua in re, ut fucum saltem facerent, quamdam Scientiam (quam vocant Mediam) excogitarunt, per quam Deus explorare tenetur, quid pro sua indole actura esset creatura, antequam ipse ad quidpiam certum & determinatum eam moveret.

Et quia contra hanc Scientiam insuperabiles insurgunt difficultates ob quas nonnulli ex celeberrimis Societatis Jesu Scriptoribus exerto ore asserunt eam esse falsam, ut infra dicemus, jamque alibi ostendimus contra Fuliensem: & aliunde urgentibus Thomistis Deum Opt. habere rationem Primi Agentis, ac subinde Primi Determinantis, etiam secundum lumen ipsius rationis & principia doctrinæ Aristotelis, & D. Thomæ.

Novum quidpiam excogitaverunt, quo rationem Primi Determinantis Deo ipsi denegarent: asserentes esse aliquid naturaliter determinatum, quod suam à Deo determinationem minimè haberet, seu cujus determinationis Deus ipse non esset causa. Et tales esse dixerunt Propositiones de futuro contingenti, quas inquiunt esse determinatè veras & determinatè falsas ante omne decretum absolutum Divinæ voluntatis, quæ est Prima Causa rerum, Primum Agens ac proinde primum determinans.

3. Et quia hoc subterfugium, falsum esse alibi ostendimus: hic in eo confutando diutiùs non immorabimur: sed sufficiet ut inde miremur Adversariorum hac in parte, infirmitatem, qui cum nihil possint inferre ex ratione, ad solam confugiunt Authoritatem, quæ magis noceat ipsis, quàm faveat aut prosit. Opus probemus. Hic nobis Josephum à Vita obtrudit Eupistinus tanquam acerrimum Prædeterminationis Adversarium. *Cuius fortem calamum (ut loquitur ipse Eupistinus) opponit Torrenti Thomistarum.*

Sed hic Author etiam in ipso opere laudato ab Eupistino, duo Adversariorum præcipua convellit fundamenta. Primum quidem, scilicet Scientiam Mediam, passim toto suo libro, sed nominatim pag. 548. nu. 2087. ubi post plura sic concludit, *Manifestata veritate nostræ resolutionis, quantùm ad causas liberas: & exclusa, immò funditùs eversa, quam machinatus est Suarius simul cum Scientia Media, quæ veritati prædictæ resolutionis potuisset apud minus versatos adversari: redimus ad manifestandam cohærentiam mirabilem doctrinæ S. Thomæ, &c. Et dicta nostra cohærere cum infallibili ordine Divinæ Providentiæ.*

Alterum verò de natura contingentium, (quo subtiliùs apud incautos magis abutebantur Adversarii) sic etiam ex D. Thoma profligat Joseph. pag. 123. n. 506. *ubi expressè docet* (scilicet S. Thom.) *cum Philosophorum omnium Principe sequi absurda, si propositionum singularium oppositarum de futuro contingenti ponatur altera determinatè vera, & altera determinatè falsa: quod contra ipsos ob-*

jicientes est in primo & unico fundamento, ex quo totum eorum ædificium; in conciliando nostra libertate, cum Divina Providentia consurgit, &c.

4. Jam expertus eras mi Eupistine, quàm vani essent Triumphi illi, quos pro Scientia Media, tot conatibus erigere tentaveras: cum præter duplicem à Nostris, tui prioris libri factam confutationem; etiam præcipuus ipse ex tuis commilitonibus Thyphanius (quem dicis nostrum hac in parte acerrimum esse Adversarium) asserat (ut ipse fateris pag. 272. *Scientiam Mediam esse falsam.*

Et cum idipsum, jam à sex & ampliùs annis id scripsissem, nonne ex hoc uno, saltem conjicere poteras, *me non adeò infœlicem Astrologum* (ut ais) *aut me non semper uti dioptra adeò fallaci* (ut improperas) quin contingat, me aliquando ritè ominari?

Falsam ergo, in antecessum, esse fateberis cum Thyphanio Scientiam Mediam: & si juxta Suarium peccet mortaliter Sententiarum Magister, qui docet opinionem minus probabilem, *quia* (inquit Suarez) *non satisfacit officio ad quod à Republica electus est.* Quid de illo dixisset, qui de industria doceret aut tueretur opinionem falsam, qualis est Scientia Media, non solùm juxta doctrinam Thomistarum, sed etiam judiciô ipsius quem nobis pro fidejussore ac integerrimo teste obtrudis? Et tamen obfirmato animo illam doces mi Eupistine. teque eam tueri velle usque ad mortem facile judicabit, quicumque conatus tuos, animi dispositionem vel tuum loquendi modum audierit; quô jam non adversus Dominicanum, sed contra virum Religiosissimum, magnum (ut accepi) Decus Carmelitarum (qui solo veritatis amore libros edidit, quibus hunc præfixit titulum: (Triumphus Thomistarum) ob quos sic tuus exasperatur calamus, pag. 20. tuæ satis prolixæ præfationis: *Hæc una res me movet* (inquit Eupistinus) *si libet obstrepere apud vulgum: si triumphum Thomistarum affigere valuis: si publicare gazulas Hæretici hominis ministeriô, non moror: sint porrò Philerida: ego sum Philalethes.* At, facile erit hunc Philaletem revocare ad religiosam mansuetudinem: nam si mihi hic liceat quædam Ovidii verba usurpare, & placeat Superis, *referam toti notissima Cypro facta, quibus flecti facilè & mitescere possit.* Ad quod præstandum nihil opus est, ut rem tot demonstrativis stabilitem argumentis adversum Petrum à S. Joseph, ad incudem revocemus: legat qui voluerit Appendicem quam hic supra inseruimus, in qua Præmotionem, compendiariò quidem, sed tamen tam efficaciter probavimus, ut Sapientissimorum Censorum judicio, censeatur cæcutire in Meridie, quicumque de ipsa vel anceps fuerit. Qui verò cum illa aut sub Gratiæ efficacia consentiat libertas creata: scito illam in tuto positam ex infinita Dei Potentia, quæ cum sit Causa Universalis totius entis, non potest attingere substantiam actus liberi, quin & attingat modum illius: unde semper remanet activa voluntatis indifferentia ad actum oppositum contradictoriè sumptum, etiam dum ipsa est suo actui applicata: sicque non solùm habetur certitudo infallibilitatis, sed & infallibilitas ipsius libertatis.

Quare ne actum agere rursùm videamur: quinque tantùm capitibus, quinque recentiores Eupistini ludificationes aperientur: & ejus *Authoritas* jam à duobus semel & iterùm exauthorata: ac tertiò à me superius lib. præcedenti alia methodo, confutata, ab orbe omnino exulare cogetur. Quare sit.

CAPUT

CAPVT PRIMVM.

Ex peccato Primi Angeli, è superba liberi arbitrii creati sufficientia proveniente, conatus est Eupistinus illudere Lectoribus ubi & vera aperitur suæ impugnationis causa.

Nu. 1. NOmen proprium semel & iterùm dissimulavit Eupistinus, ut fucum rebus faciens, nosque conviciis afficiens, minùs erubesceret, ac omnium invidiam & odium declinare posset. Qui si jurasset se velle perpetuò agnitæ veritati contradicere, nescio utrum evidentius aut efficacius, id præstare potuisset, quàm in hoc suo recentiori libro 1673. Duaci edito. Librum Petri à S. Joseph Fuliensis: cui præfixus erat hic titulus: *Defensio S. Thomæ, &c.* Quæ à Censoribus judicata est *vera Sancti Doctoris impugnatio* confutaveram: in ea sæpiùs, truncata aut falsificata, seu alium in sensum detorta D. Thomæ testimonia ab eodem laudata, palam traduxeram: omnibus argumentis ipsius in contrarium adductis, feceram satis: idque non tam ego, quàm ipsemet Doctor Angelicus, sui Interpres ac Defensor optimus.

Quid egit secundò Eupistinus? librum hunc confutatum curavit rursùm Duaci typis novis mandari, tanquam opus integerrimum, suisque dignum encomiis, quibus illud exornavit: & quamvis illo in libro, ne unum quidem verbum esset, quod in statera appensum, minus habens non fuisset ab æquissimis judicibus, nulli partium addictis judicatum: tot convincentium argumentorum ex Scriptura, Conciliis & Patribus depromptorum, & nominatim ex apertis D. Thomæ testimoniis momenta cautè dissimulavit, ut illorum loco, quinque subsequentes cavillos sufficeret, & Lectoribus saltem illuderet fuco verborum; quibus varias adhibuit injurias: quasi verò larva ab ipso assumpta illum faceret excusatum apud illum, qui scrutatur renes & corda, & quem conscientiæ secreta non fallunt.

Ut igitur à primo incipiamus: sciendum est à me tunc investigatam fuisse originem antiquæ hujus controversiæ, de physica Prædeterminatione, quam ostendimus genesim duxisse à primò superbiæ & singularitatis peccato primi Angeli, ut etiam fatetur cum Angelico Doctore D. Bernardus tract. de grat. qui clarè serm. 17. in Cant. circa medium ait; *Potuit autem contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros etiam & profuturos in parem gloriam.... & in livore suo invidit & molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt,* (inquit) *inferioresque naturâ; non decet esse concives nec æquales in Gloria.*

Hujus melliflui Doctoris sententiam confirmavi pluribus Authoritatibus Doctoris Angelici, ex diversis ejus operibus selectis, eodem semper spiritu prolatis: ex quibus & aliis quatuor basibus seu fundamentis doctrinæ ejusdem Divi Thomæ supra revocatis: evidentissimè infertur Prædeterminatio physica: simulque ostenditur quale fuerit primi Angeli peccatum, omninò ad propositum controversiæ inter nos agitatæ, quibus omnibus nihil respondit Eupistinus nisi cavillos hunc in modum.

„ Erras (inquit pag. 178. loquens de diabolo) Divini honoris ambitiose: da„ tur Prædeterminatio physica omni creaturæ ad agendum necessaria: alioquin enim ageret à se, & non ab alio determinata sicut Deus, &c. Cumque hanc Divi Thomæ doctrinam dixissem ferè communem esse hac in parte, addidit Eupistinus, *& permissivè Catholicam, hoc est*, inquit, *in omnibus Ecclesiæ Catholicæ Scholis à Pontificibus doceri permissam.* Quod interim notatum velim, ut innotescat teste Adversario, quàm sit injusta eorum calumnia, qui dicunt nostram hac in parte doctrinam, non nisi nomine, à commentis hæreticorum differre.

Pro his confutandis Eupistini cavillis, sciendum est primò liberi arbitrii creati sufficientiam, esse rationem potissimam, ob quam Adversarii asserunt non esse necessarium, ut Deus præveniat actu creaturam ad agendum, ipsi quidpiam communicando pro actuali exercitio. Secundò certum est peccatum primi Angeli fuisse in appetitu similitudinis Divinę, juxta illud Isa. 14. *Similis ero Altissimo*, & cum hæc similitudo intelligi non possit de similitudine secundum ęqualitatem naturæ, ut probat D. Thom. de Malo. q. 16. ar. 3. *Quia Deus est per essentiam, ipsum esse subsistens: nec est possibile*, inquit, *esse duo hujusmodi.* Et quia est contra cujusque rei naturale desiderium conservandi suum esse, quæ ad summum appetere potest esse in gradu altiori, quantum ad aliqua accidentia, quæ possint crescere, absque substantiæ corruptione: teste eodem Angelico Doctore. 1. p. q. 63. ar. 3. Superest ut hæc Dei Similitudo (quam sibi comparandam proposuerat Angelus) in aliquo fuerit; in quo itidem assimilari Deo, nec potuit nec debuit, nimirum in modo agendi, quo beatitudinem supernaturalem, non ex Gratia Dei, sed ex propriis viribus consequi conatus est, efficaciter eligens, vel in sua solùm fœlicitate naturali quiescere potiùs (ex qua voluntate, virtualiter & interpretativè veram sprevit beatitudinem) quàm habere beatitudinem supernaturalem, modo hominibus communi, quos testimonio D. Bernardi serm. 17. in Cant. *Molitus est Angelus: habere subjectos; socios dedignatus.*

Sicut igitur homo peccans ex appetitu rerum sensibilium, simul virtualiter recusat bona spiritualia, licet illa habere vellet, si sine labore, aut rerum sensibilium privatione, id fieri posset: ita & Angelus, appetens hanc singularitatem, sprevit beatitudinem supernaturalem, modo omnibus communi obtinendam, scilicet per gratiam actualem, & quasi precariò, quod maximè refugit superbia.

At quia sine hac Gratia actuali quæ in ordine supernaturali correspondet Præmotioni physicæ in ordine naturæ, diximus præfatam ac prætensam foveri sufficientiam creaturæ, eamque habere rationem primi principii juxta doctrinam D. Thomæ; cavillis, scommatibus & conviciis Eupistini fuimus expositi, quibus sine dubio ipse erubesceret, nisi larvam assumpsisset aut dissimulasset ex Angelico Doctore & aliis Patribus esse, quæ statim subjiciemus. Primò enim D. Thomas in 2. Sent. dist. 37. q. 2. ar. 2. ait: *Hoc est de ratione primi principii, ut agere possit sine alio auxilio priori agentis, & influentia ejus: unde si voluntas humana actionem aliquam potest producere, cujus actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet. Et quamvis hoc solvere nitantur dicentes, quod voluntas etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen esse à se, sed ab alio:*

quod etiam exigeretur ad rationem primi Principii. Sed hoc (inquit S. Doctor *videtur inconveniens, ut qui à se, non habet esse; à se agere possit: cum etiam per se durare non possit, quod à se non est Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus essentia ab alio est, oportet quod virtus & operatio ab alio fit. Et propterea, quamvis per hanc responsionem evitaretur quod creatura non esset primum Ens simpliciter: non tamen posset vitari; quin esset Primum Agens, si ejus actio, in aliquod prius agens non reduceretur sicut in causam.* Quid ad hæc Eupistine? Præterea lege S. Doctorem de pot. q. 3. ar. 7. ad 7. quem citò subjiciemus.

Secundò ait D. Thomas 1. p. q. 63. ar. 3. *In hoc appetiit* (scilicet Angelus) *esse similis Deo: quia appetiit ut ultimum finem beatitudinis, id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex Gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem, illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, & non ex Divino Auxilio ... & hæc duo, quodammodo in idem redeunt, quia secundùm utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Deo.*

Item de Malo. q. 16. ar. 2. ad 4. Et art. 5. ad 14. ait diabolum non appetiisse aliquod malum, sed quoddam bonum, inordinatè tamen, quia non appetiit illud *ut assequendum per Divinam Gratiam, sed per propriam virtutem.* Hoc ipsum egregie confirmat ibid. art. sequenti & adhuc magis ad propositum. Legendus etiam S. Doctor lib. 2. ad Anibal. d. 5. ar. 2 Et loco supra citato de Malo. ar. 3. & lect. 6. in cap 8. Joa. Certè hæc non sunt in Calepino mi Eupistine, ut ludis cavillis, quibus ritè probatur intentum.

Probatur etiam ex D. Augustino tom. 5. lib. 12. de civit. c. 1. prædictam sufficientiam fuisse causam peccati: ait enim: *Alii* (*scilicet mali Angeli sua potestate potiùs delectati velut bonum suum sibi ipsi essent.... ad propria defluxerunt.* Item ibid. lib 22. c. 1. *Cum*, inquit, *præsciret*, Deus, *Angelos quosdam per elationem, quâ sibi ipsi ab beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem; potentius & melius esse judicans; etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere.*

Confirmatur idipsum ex D. Grego. Magno lib. 34. Moralium c. 17. ubi ait: *Ei quippè à quo conditus fuerat* (*Angelus*) *subesse despexit..... jus perversæ libertatis appetiit: & ut præesset cæteris & nulli subesset..... Quem exaltabat libera servitus, dejecit captiva libertas.*

Lege & Innocentium V. Papam in 2. Sent. disp. 22. q. 1. ar. 2. ad 4. ubi ait: *dicendum quod nec lucifer appetiit similitudinem æqualitatis, sed perversæ imitationis.* Lege & B Gelasium Papam in Epist. quam reperies tom. 3. Conciliorum edit. Binii pag. 654. *Degeneres Angeli, inquit, per Sanctorum Angelorum beatitudinem confutantur.... sibi se sufficere præsumunt, per se ipsos obtinere fidentes quidquid per solam Gratiam Conditoris potuissent adipisci.* Quare in propugnanda veritate, ac pro singulari jure tuendo Divinæ Omnipotentiæ, non deficimus; nec larvati hujus Eupistini iracundiam metuimus; qui postquam satis apertè eam ostendit adversus virum Religiosissimum, quem vocat *hominem ferocientem & hæreticum.* Sic concludit: *Notum denique est, quosnam Calvinistæ ipsi, advocent in societatem erroris.* Nam judex est & testis, totus Doctorum Cœtus, totusque Orbis Christianus; toto Cœlo

differre Thomistas à Calvinistis. Nescis mi Eupistine falsa ista ac veteri cantilena millies confutata; à centum circiter annis, frustrà usos fuisse Antithomistas, ut isto territi Monstro Divi Thomæ Discipuli, in eorum partes deflecterent & Angelicum Doctorem (quod absit) desererent? Lege Ripaldam. Nec magis terrentur minis viri ejusdem, qui postquam sibi satisfecit quantùm passio exigere potuit: sic se animum temperare fingit pag. 12. *Libet hic cohibere calamum meum, ne occasione data retegat, quæ Adversariis placitura non essent; sciunt ipsi satis, quâ parte res premat.* At nulla ex parte premimur Eupistine, sed tota fruimur libertate, quâ Christus nos donavit in propugnando ejus Gratiæ auxilio: semperque favente Numine placebit veritas pro qua militamus; solummodo (ut omnibus notum est) partes Defensorum agentes, quod ipso jure naturæ omnibus licitum est.

Quâ verò parte res teipsum premat Eupistine (ut tuis utar verbis) satis ostendisti, ut unâ nimirùm Probabilitatis fideliâ; cum Tuis Thomista una parietes dealbare possis: quod fortasse præter intentionem dissimulare nequivisti, dum ipse pag. 13. dixisti *Prædeterminativum Dei auxilium prudenter admitti non posse, nisi ut merè probabile.* Quod certè jam debet sufficere ad placandos (quotquot sunt in Orbe) Antithomistarum animos: quibus Probabilitas ad salutem sufficit, estque secura Morum Regula, Mundo cœva: *cujus nomen sacrum* est Cardenæ, ut lib. præced. retulimus, quæ bene audit in omnibus Tribunalibus, & quâ (si penes ipsos sit fides) tota regitur Ecclesia. Major Pompilii Faunâ, cujus Oraculis, non solùm possint Thomistæ, sed & debeant omnes acquiescere. Quid plura? Quâ ergo conscientiâ mi Eupistine deinceps audebis Thomistas conviciis lacessere ob Prædeterminationem quam dicis Probabilem? At his lenociniis Probabilitatis non demulcentur Thomistæ, cibum solidioris doctrinę expetunt: ad alia properemus.

3. Profectò hic quidpiam occurrit, quod Lector meritò admiretur; ubi remanentes in sola Defensione veritatis, (quam hac in parte non possumus deserere, quin Doctori Angelico terga vertamus) & abdicantes quantùm possumus occulta dedecoris, ut loquitur Apostolus: res fit manifesta, quasi sua sponte, etiam nobis tacentibus, & in puncto, quod totius negotii Mysterium recludit, seu ut cum Eupistino loquar, *quâ parte res premit.* Explicatur. Ingens volumen edidit Joa. Cardenas, (cui præfixus est hic Titulus, *Chrisis Theologica*; Quod miris suorum decoratur encomiis, cui subinde Authori, non ut privato Scriptori, sed ut communi Adversariorum Protectori sit auscultandum. At ille in editione Lugdunensi anno 1670, pag. 17. col. 2. postquam confessus est *argumenta Lutheranorum optimè solvi per Prædeterminationem* & proinde nullam esse cum illis fictam ab Adversariis Thomistarum conventionem; ait: *Caramuëlem non posse dicere, evidentem esse sententiam Divi Thomæ de physica Præmotione, quia (perpende lepidam Cardenæ rationem) id esset asserere sententiam Iesuiticam esse evidenter falsam.* En igitur totum tam obfirmatæ contentionis Mysterium: non ab aliquo Thomista revelatum, sed ab ipso Cardena, idque sponte, quinque ejus Censoribus & Encomiastis consentientibus nomine totius Societatis: qui in Censura hujus Authoris, id ipsum in ejus scriptis inspexisse asserunt, *quod in Rationali Summi Sacerdotis; veritatem scilicet & ut ait Philo, Declarationem.* At post tam solemnem declarationem, quid sentiendum sit de præfato Adversa-

riorum motivo, ob quod à tot annis, tot artibus ac libris, huic doctrinæ Divi Thomæ adversantur, penes eruditum Lectorem sit judicium: certè existimo nullum cordatum Theologum unquam dicturum, Doctorem Angelicum ob hujusmodi rationem seu motivum esse deserendum; quod tam injustum arbitror, quàm qui diceret non sanandum esse infirmum, ne crederent ipsum aliquando incidisse in morbum.



CAPVT SECVNDVM.

De secunda Eupistini Ludificatione circa Extractum *ab ipso factum ex Iosepho à Vita, quem ipse opponit (ut ipse ait) torrenti Thomistarum. Fraus Eupistini in laudatis à se Authoribus, & precipuæ hallucinationes Iosephi à Vita aperiuntur; ex quibus facilè corruit totam opus ipsius, in quo confidit Eupistinus, & insigne Divi Thomæ testimonium enucleatur contra Eupistinum.*

Nu. 1. ALCIBIADES, teste Plutarcho, hanc inter cæteras habebat artem ad capiendos homines, ut scilicet se se ad eorum studia moresque converteret, citioribus quàm Chameleon varians mutationibus, cui unum deesse aiunt, quòd nimirum repræsentare nequeat colorem album.

Nescio quid desiderari potuisset in priori libro Eupistini, ceu ab eo neglectum, quo sibi omnium animos devincire posset, nulla siquidem artis solertia eidem defuit, nullaque conditio aut Doctorum classis sive professio, quam sibi demulcere non studuerit. Sed hic longè infœlicior Alcibiade, quod ne unum quidem ex tot ab ipso laudatis Authoribus sibi conciliare quiverit, ex hoc uno, quod scilicet cum Chameleone defecerit in repræsentando albo colore, seu veritatis candore, quam in ipsis non vidit, vel eam referre noluit. Unde tot sibi ereptis Authoribus, illic ab eo citatis, coactus est in altero suo volumine ad alium confugere, vel potiùs suas in partes penitus desperatas, extraneum advocare, scilicet *Iosephum à Vita*, licet ipsummet majori ex parte sibi contrarium esse agnoscat.

At sicut in priori suo libro falsitatis apertæ facili negotio convictus est Eupistinus; ita in hoc altero, nullâ belli machinâ opus erit, nullo instrumento, ut corruat & frangatur repagulum, id est *extractum*; quod nobis Eupistinus opponit tanquam murum ex lapidibus quadratis constructum; cum tamen sit tantùm agger ex arenis coalescens, quibus nihil infirmius.

Prædictorum occasione hîc unum dicam, quod modò mihi venit in mentem, miseros scilicet fore in Gallia tot Heroës ac Generosos, si aut illorum gloria, aut virtutis fama, ex quorumdam desertorum infidelitate & ignavia dependeret: ita sanè non fœliciores essent veri Thomæ discipuli, si in eadem essent navi cum aliquibus, qui ab ejus doctrina turpiter defecerunt; ut Campanella, vir quidem incredibilis memoriæ, & subtilis, sed judicium expectantis, qui ex quadam prurigine contradicendi aliis, veluti Momus alter effectus, omnium ferè scientiarum principia convellere tentavit, & hunc in

Socium sibi assumit Eupistinus, ut contradicat Thomistis, tanquam virum hac in re oculatiorem cæteris.

Cum brevem hanc digressionem, animi gratiâ præmissam legerit Eupistinus, illicò fortasse ominabitur à me numeratum iri cum Campanella, Josephum à Vita inter transfugas & desertores doctrinæ Divi Thomæ. Quod planè non faciam; nam hunc Authorem potiùs accenserem illis, qui ex nimio suæ valetudinis conservandæ desiderio, illam corrumpunt, dum omnia volunt experiri medicamenta, & à communi ac probato vivendi modo recedunt. Etenim hic Author quædam habet bona (de quibus cap. sequenti) in cujus libro separandum est pretiosum à vili (si Peritorum omnium odium ac justam Ordinis sui censuram vitare velit:) in iis enim in quibus à communi Thomistarum sententia recessit (sive voluerit in aliquo morem gerere Adversariis Divi Thomæ; sive territus fictitio hoc monstro, *qualitatis ferreæ, seu vis adamantinæ, quam nobis tam falsò imponit Eupistinus*; nemo turpiùs erravit Josepho à Vita, qui hac in parte hanc non meretur veniam quam aliis libentissimè concederem, vel eos saltem non magis ægrè haberem excusatos, quàm eos quibus malis artibus annuntiatum fuit olim in Indiis Evangelium, quos (salvo meliori judicio) existimo esse accensendos iis, qui quoad infidelitatem negativam excusantur ignorantiâ invincibili, quòd ad eos nulla unquam pervenisset Evangelii aura. Illi enim pauperes Indi arbitrabantur Religionem Christianam consistere aut comitem esse inauditæ crudelitatis & avaritiæ (quæ omnem humanitatis sensum extinguerent) quas experti erant à militibus Hispanis, contra intentionem (ut probabile est) Religiosi eorum Principis. Illam, inquam, veniam ex animo concederem iis, qui Prædeterminationem physicam esse crediderunt, *qualitatem ferream, seu vim aliquam adamantinam, quæ omnem adimat libertatem.* Quem prætextum non possunt ampliùs habere Adversarii, & longè minus P. Josephus doctrinæ Divi Thomæ innutritus; ex cujus Opere (ut in Conclusione, Deo dante, ostendam) nihil potest inferri quod aut valeat Eupistino patrocinari, aut doctrinæ D. Thomæ adversari seu derogare.

2. Relictis igitur iis pro cap. sequenti, in quibus nonnulla bona ac benè scripsit Josephus à Vita, hîc breviter ea ostendam, in quibus plurimùm hallucinatus est; & hinc facilè conjiciet Lector eruditus quid sentire debeat de *Extracto illo* ab Eupistino nobis tanto fastu objecto, non aliunde deprompto, nisi ex ejus libro, in quo præcipuas tantummodò exerrationes annotabo, ex quibus vel solis non potest non corruere heteroclitus Josephi modus explicandi mentem Doctoris Angelici, in oppositum ipso reclamante. Etenim lib. 2. cont. Gent. cap. 48. ostendit D. Thomas intellectuales substantias esse non solùm liberæ actionis, sed etiam liberi judicii; quia agunt per formas intellectuales acquisitas ab intellectu conceptas, & à rebus singularibus (circa quas sunt actus) acceptas; ex quibus cum nulla possit perfectè appetitum satiare, non solùm sunt liberæ actionis, sed etiam liberi arbitrii & judicii, quod non est in rebus naturalibus omninò ad unum determinatis, neque etiam in brutis, quæ licet videantur esse liberæ actionis, ex eo quòd diversa possint: non sunt tamen liberi judicii, quia illorum vis æstimativa est ad unum determinata, ut patet in ove, quæ non potest lupum non fugere.

Paginâ verò 93. & seq. *Extracti* ab Eupistino inducti, refert Josephus à

Vita 7 aut 8 egregia D. Thomæ testimonia, in quibus sanctus Doctor semper distinguit formam permanentem, per quam agens agit, à virtute intentionali seu motione virtuali, quâ agens principale movet & applicat agens instrumentale. Et denique pag. 99. tanquam aliud quidpiam diceremus, quàm id ipsum quod refertur in præfatis Divi Thomæ Authoritatibus, sic concludit Josephus: *Ideò sanctus Doctor secundò probat esse impossibile, quod vis, quâ aliquod agens creatum agit ad* esse, *sit in eo forma permanens, ut patet in textu.* Et hoc est unum ex fundamentis Thomistarum; quod tamen Josephus existimat (sed falsò) à nobis esse negatum. Porrò hoc ipsum argumentum fusiùs prosequuti sumus, eòque usi contra Fuliensem, cap. 8. lib. 2. ex D. Thoma, 1. p. q. 45. a. 5. ad probandam Prædeterminationis necessitatem: quæ ratio nobis & Typhanio communis est, quam certè non debebat Eupistinus dissimulare.

Prima igitur hallucinationis causa, vel potiùs primum ac principale argumentum, quô Josephus tanquam Achille passim utitur, & quô, tanquam immotâ basi seu fundamento, nititur, atque ad illud, tanquam ad arcem, perpetuò recurrit ac revertitur; legitur apud Eupistinum, pag. 26. *Extracti* ab ipso citati; estque depromptum ex D. Thoma, lib. 2. contra Gent. c. 47. ubi inquirit sanctus Doctor, *Utrùm substantiæ intellectuales sint volentes?* Ex quo titulo jam satis apparet ibidem non esse sermonem de modo agendi, & quæstionem de libertate ex eo non esse resolvendam; sed ex articulo sequenti, vel ex q. 24. de verit. a. 1.

3. Verba autem Divi Thomę lib. 2. contra Gent. cap. 46. sunt hæc: *Forma quæ non est ab ipso agente, per formam causat operationem, cujus agens non est Dominus.* Quibus ex verbis malè intellectis argumentatur Josephus: *Omnis operatio quæ consequitur formam, quæ non est causata ab eo qui agit per illam formam, est operatio quæ non est sub dominio talis agentis.* Sed Prædeterminatio (inquit) est forma per quam agens agit: ergo causat operationem, cujus agens non est Dominus. Ex quo patet tàm Majorem quàm Minorem peccare ex falsa suppositione, quod scilicet Prædeterminatio sit qualitas seu forma permanens (de qua ibidem loquitur Doct. Angel.) per quam agens creatum agat; quod est formaliter contra D. Thomam de Potent. q. 3. a. 7. ad 7. ubi ait: *Virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis, ut quædam forma habens esse ratum & firmum in natura: sed id quod à Deo fit in re naturali, quò actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum.* Et pag. 97. ejusdem *Extracti*, alia septem Divi Thomæ testimonia ibidem reperies, id ipsum asserentia, quæ brevitatis causâ omitto.

At præfato D. Thomæ testimonio ex libro secundo contra Gentes, c. 47. ritè intellecto, solutoque argumento ex eo fabricato, non major fuit confusio in domo Nabuchodonosor, Holofernis capite amputato, quàm futura est in secundo Eupistini libro, prædicto argumento militante, eoque prorsùs innixo.

Respondeo igitur primò. *Omnis operatio quæ consequitur formam quæ non est causata ab eo, &c.* negando Minorem. Nam M[illegible] (quæ tota est Divi Thomæ) loquitur de forma habituali, seu alia subj[illegible] & [illegible] & voluntati, quâ voluntas ipsa utatur ut solet aliis habitibu[s]. Cum tamen Prædeter-

minatio non sit forma hujusmodi, ut patet ex q. 3. de Potent. superiùs citata; sed motus intentionalis, quô Deus Opt. ex sua virtute infinita, creatam sibi subjicit voluntatem, juxta modum suum liberum; id est, servata potentia ad oppositum, ita ut in ea ac per eam agat Deus quando, ubi & quomodo voluerit sine ulla dependentia aut dispositione, quam ipse à creatura expectare aut prævidere teneatur, ut toties contra Petrum à S. Joseph & contra Eupistinum lib. præcedenti ostendimus. Ita D. Thom. q. unic. de unione Verbi, a. 5. ad 12. *Agens*, inquit, *non semper dat instrumento novam formam, vel virtutem quiescentem in ipso: & tamen instrumentum in quantum movetur ab agente, consequitur quandam intentionalem virtutem per influxum agentis, qui per instrumentum transit in effectum.* Quid clarius? Lege D. Tho. de Pot. q. 3. a. 7. ad 7. totum.

4. Confirmatur ex eodem sancto Doctore, quodl. 1. qu. 4. a 2. *Homo indiget auxilio Gratiæ, non solùm ad merendum, sed etiam ut se ad Gratiam præparet, &c. Nam meretur homo per actum virtutis, cum non solùm bonum agit, sed benè, ad quod requiritur habitus .... Et ideò ad merendum requiritur habitualis gratia. Sed ad hoc quod homo se præparet ad habitum consequendum, non indiget alio habitu, quia sic esset procedere in infinitum: indiget autem auxilio divino, non solùm quantùm ad exteriora, prout scilicet ex Providentia Divina procurantur homini occasiones salutis, putà prædicationes, exempla, & interdum ægritudines & flagella, sed etiam* (nota) *quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs movet ad bonum.*

Et hanc Dei motionem semper distinguit D Thomas à forma permanente & habituali, cujus Motionis munus *non est* (inquit Doctor Angelicus in 2. Sent. dist. 29. q. 1. a. 1. ad 2) *ut solam facultatem faciat in operando: hoc enim hæresis Pelagiana ponebat; sed ut efficaciam & virtutem quamdam novam operibus hominum præbeat.* Nota hoc, Eupistine.

Quâ motione indiget creatura, ut alibi diximus, quantumvis perfecta, ut ait D. Tho. 1. 2. q. 109. a. 1. in o. etiam in statu Gloriæ, quare lege D. Tho. ibid. a. 9. ad 1. & alibi locis toties citatis.

Certè antequam tot emitterent clamores Adversarii contra Prædeterminationem, quam falsò dicunt esse *qualitatem æneam, vim ferream & adamantinam*, debebant vel semel sanctum Doctorem legere, vel lectum non dissimulare 1. 2. q. 110. ad 2. ubi ait: *Auxilium quô anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum, volendum, agendum, non est qualitas, sed motus quidam Animæ.* Et ne D. Thomam exscribere cogamur, lege eumdem 3. p. q. 62. a. 4. ad 5. Et de Potentia, q. 3 a. 7. ad 7. & lib. 1. contra Fulniensem.

5. Hîc, ut arbitror, jucundum erit Lectori unum ex Josepho à Vita referri, in quo Eupistinus totam fiduciam habere videtur in secundo suo libro, tanquam in optimo Interprete D. Thomæ; qua de causa ait, *se non metuere illum opponere torrenti Thomistarum*, qui si de industria eidem resistere & palàm contradicere decrevisset, non potuisset melius illudere Lectoribus, quàm eò quod ex ejus libro, pag. 482. nu. 1836. hîc fideliter exscribo. *Expende*, inquit, *qualiter conservat Deus perpetuitatem speciei: V. g. leonis, ne simul omnes leones moriantur uno moriente. Num dices Deum imprimere qualitatem morienti, quâ fit ne alii moriantur dum unus moritur? Quid hæc*

hæc dicet ? Si ergo hæc minime dici possunt, cur ad servandum liberum arbitrium ne deficiat à consequutione salutis, oportet Deum imprimere qualitatem libero arbitrio, quâ fit ne deficiat, quando secundum illum modum servat Deus liberum arbitrium ne deficiat, secundùm quem servat perpetuitatem speciei, ne simul omnia illius individua deficiant uno deficiente ?

Hîc ambas Josephi & Eupistini objicitor conscientias, an vel unus ex omnibus Thomistis, etiam per somnium aliquando sic præsentem exposuerit aut intellexerit controversiam ? Sed ad fundamentalem ejus rationem redeamus ; cui, ne ullam possit hac in parte excusationem prætexere,

Respondeo secundò, argumentum retorquendo : *Forma quæ non est ab ipso agente, per formam causat operationem, cujus agens non est Dominus.* Sed concursus Dei simultaneus (sine quo agens creatum non potest agere, etiam juxta opinionem Antithomistarum) est forma physica, quæ non est à voluntate creata per eam agente, sed à Deo ; & juxta illos causat seu concausat operationem : ergo concursus simultaneus causat operationem, cujus agens secundum, seu voluntas creata non est Domina, & consequenter juxta illos, & ex ipso illorum argumento destruit libertatem. Quid ad hæc, mi Eupistine ? Nam quamvis hic concursus non sit voluntati creatæ prævius, sed tantùm comes seu simultaneus, præcedit tamen (ut volunt Neoterici) operationem voluntatis creatæ, ac subinde juxta ipsos est causa etiam operationis ejusdem voluntatis, à qua cum non sit hic concursus, sed à Deo, erit causa operationis, cujus agens non erit Dominus, & consequenter libertatis creatæ destructivus.

Respondeo tertiò, distinguendo Majorem : *Forma quæ non est ab ipso agente, per formam causat operationem, cujus agens non est Dominus. Si sit forma totaliter ab aliis agentibus externis causata, concedo Majo. secùs, nego Majorem. At concursus Dei prævius non est forma, ut diximus, sed motus à Deo procedens, qui non est computandus inter causas externas, quale est unum agens creatum respectu alterius ejusdem Ordinis ; neque sicut generans grave & leve, in quibus suam reliquit virtutem ad motum aut quietem, quamvis sit ab illis separatum ; nec subinde ampliùs ab eo dependeant in facto esse : nam solus Deus, ut alibi dictum est, interiora Animæ ingreditur.*

At nullum est agens creatum, quod actu non dependeat à Deo, idque magis quàm aër illuminatus à Sole ; qua in re, nihil ominamur, nec Angelicum Doctorem trahimus invitum ac reluctantem, ut nobis Eupistinus imponit in sua Præfatione ad Fuliensem ; sed ipsum tantummodò sequimur : unde postquam locô citatô loquutus est sanctus Doctor de formis naturalibus, ex quibus motus naturales necessariò consequuntur ; quæ formæ sunt ab aliis causatæ, quia *nihil*, inquit, *potest esse sibi causa essendi :* loquitur statim de gravibus & levibus quæ moventur ex virtute ipsis habitualiter impressa à generante. Tertiò loquitur de formis in imaginatione Animalium receptis, quæ non sunt ab ipsis adinventæ, sed ab exterioribus objectis causatæ, cum judicio determinato ab Authore naturæ : ex quo fit ut eodem agant tenore : v. g. omnes araneæ & apes eodem modo telas ac favos conficiant.

At forma intellectualis, per quam agit substantia spiritualis, est ab ipso intellectu : *Et quodammodo*, inquit, *excogitata ab ipso, ut patet in forma artis, quam Artifex concipit, excogitat, & per eam operatur.* Unde positâ

voluntate construendi domum, potest ad libitum illam rotundam aut quadratam efficere.

Nec potest esse major hallucinatio, quàm quæ in præfato præsupponitur argumento, in quo loquuntur de Deo tanquam de alio exteriori Agente: cum ille solus sit radix intima, ex qua omnia, & basis quæ portat seu sustinet ea in esse; ac unus, qui Animæ nostræ quantum ad sua interiora conjungitur, qui proinde, ut loquitur Doctor Angelicus in 2. Sent. dist. 8. q. 1. a. 5. ad 3, solus *habet intrinsecam essentiæ operationem.*

Quorsùm igitur tandiù vexari inquirendo exemplum in re singulari? Explicatur magis. Si eo modo quô arbitrabantur Josephus & Eupistinus præfatum D. Thomæ testimonium esset intelligendum, probaret id quod apud omnes est falsum; scilicet omnem Gratiam habitualem, habitus infusos, dona Spiritûs Sancti auferre libertatem: sunt enim formæ, quæ non sunt à creato agente, sed aliunde, nimirùm à Deo communicatæ voluntati creatæ per eas agenti: immò & species ab objectis immissæ per quas operamur. Quare si illud valeret argumentum, in quo spem omnem collocant, totus naturæ & gratiæ ordo esset subvertendus. Illorum ergo verborum sensus, non est is, quem intendit Adversarius, sed ipsemet quem ex D. Thoma diximus.

Et cum omnes prædictæ formæ per quas operamur, non sint à nobis, sed à Deo, nec libertatem tollant, potiori jure nec Prædeterminatio, quæ cum non auferat judicii indifferentiam & facultatem ad oppositum, etiam non potest lædere libertatem. Lege quæ fusiùs contra Petrum Fuliensem diximus ex quatuor primis principiis doctrinæ D. Thomæ, lib. 2. cap. 1. Stellæ Cassiopeæ, quæ ne quidem vidisse cautè finxit Eupistinus.

SECTIO I.

Testimonia D. Thomæ ab Adversariis dissimulata referuntur; aliæque hallucinationum causæ aperiuntur. legitimus quoque determinationis passivæ modus perperam ab Adversariis acceptus: & ex D. Thoma affertur testimonium, quod est duplicis motionis Dei fundamentum, quô unô omnes Iosephi à Vita dissolvuntur lucubrationes.

6. HActenùs pro confutando argumento, quô Eupistinus ex Josephi *Extracto* ceu Achille utebatur. Non miror si de alio D. Thomæ testimonio ibid. citato ab Eupistino de verit. qu. 24. a. 1. nihil omninò ipse dixit: nam per illud ad 3. prospexit, causam hallucinationis statim aperiendæ, illicò manifestam fore his verbis sancti Doctoris: *Per hoc quòd Deus est Causa operans in cordibus hominum, non excluditur quin ipsæ humanæ mentes sint causæ suorum motuum: unde non tollitur ratio libertatis.* Et idem ferè ad 5.

Deinde ibidem ad 16. & 19. omnem fucum abstersit D. Thomas, quô, prætextu efficaciæ aut alicujus determinationis, fingunt Neoterici se se metuere libertati creatæ, quæ duo æqualiter spernit sanctus Doctor, asserens sub his integram remanere libertatem, his verbis: *Si creatura aliqua immobiliter*

Deo adhæreret, non propter hoc privaretur libero arbitrio, quia potest adhærendo multa facere vel non facere.

Item : *Necessarius*, inquit, *appetitus beatitudinis non impedit arbitrii libertatem, cum diversæ viæ remaneant eligibiles ad consequutionem illius finis, &c.* Et ibid. *Homo efficitur aliqualis*, inquit, *per aliquem habitum acquisitum, cujus nos causa sumus : vel infusum, qui sine nostro consensu non datur, quamvis ejus causa non simus. Et ex hoc habitu efficitur quod homo efficaciter appetat finem consonum illi habitui ; & tamen ille habitus necessitatem non inducit, nec libertatem electionis tollit.*

Quibus si addere volueris id quod dicit sanctus Doctor, 1. 2. q. 9. a 6. *à Deo per Gratiam aliquos specialiter & determinatè moveri absque ullo libertatis creatæ præjudicio* : videbis quàm inani seu evanido commoveantur terriculo, qui prætextu libertatis conservandæ existimant Dei concursum debere esse indifferentem & indeterminatum, sicut flatum follibus subministratum organis. Hæc pro primo sufficiant. Lege, si libet, aliud egregium D. Thomæ testimonium, quô prædicta confirmantur, de verit. q. 24. a. 8.

7. Aliam hallucinationis causam hîc obiter indigitabimus, utpotè jam sufficienter confutatam lib. 1. Stellæ, cap. 14. quod certè non debebat Eupistinus dissimulare, nec, ut arbitror, dissimulavit, nisi metu confitendæ veritatis, cum ut satis apparet ex secundo ejus libro, nullo labore neglecto, nostrum hoc opusculum rimari studuerit. Quid ergo ?

Quia per sensibilia à Deo Optimo facta, invisibilia Dei debemus investigare & intueri ; frequentiùs usus est Doctor Angelicus rerum sensibilium comparationibus, ut ex illis ad spirituales & divinas consurgamus : sic persæpè influxu causarum universalium : v. g. Solis, exponit Dei concursum in causis secundis receptum ; sed nunquam (quod maximè notandum) arctavit aut restrinxit Causam Primam ad modum agendi inferiorum, ita ut Deus nihil ultra possit aut operetur, quàm ea quæ in ipsis intuemur.

At ubi loquitur Doctor Angelicus de influxu Dei passivè considerato ; hunc usurpant Adversarii activè, ac in illo sistunt, ex quo argumentantur tanquam agens creatum, aliquam haberet actionem sibi propriam, à Deo independentem, per quam concursum Dei communem & ad plura indifferentem effectivè in individuo determinaret : quod explicant nonnulli exemplo organistæ & organorum similitudine.

Cum ergo dicitur : *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur;* non est sensus, quòd omnis Dei influxus sit communis & indeterminatus, qui recipiatur in subjecto tanquam aqua in vase rotundo vel quadrato, cujus figuram induit : etenim quando Deus suam infundit Gratiam, & per eam in nobis operatur, dispositionem subjecti recipientis non sequitur, sicut Sol, qui nihil potest, nisi juxta dispositionem materiæ : v. g. lutum indurare, & ceram liquefacere : sed id quod est obscurum, illuminat ; quod est frigidum calefacit ; quod est aridum, perfundit ac fructificare facit ; ita ut terra nostra det fructum suum : & in hoc distinguuntur diversi effectus Gratiæ operantis & cooperantis. Aliàs, quid ageremus quando à Deo petimus ut convertat cor durum, ut infirmas & fluctuantes sanet & firmet in bono ad perseverandum potentias, si illius auxilium aut Gratiæ influxus sit omninò indifferens & indeterminatus, ut illarum induat conditionem potiùs quàm eas

à mala & corrupta dispositione valeat retrahere, & ad suam elevare?

Quando igitur ait Doctor Angelicus, *Causa Universalis virtutem determinari & specificari per creaturam*; sensus est, à Deo non per quamlibet causam, quemlibet produci effectum: nam ejus motus aliter in igne v. g. recipitur, id est, necessariò: aliter in voluntate creata, scilicet liberè; aliter in oculo, aliter in aure. Et sic facilè ac verè exponuntur omnia Divi Thomæ testimonia ab Adversariis perperam citata, quibus nihil aliud significatur, quàm quod supra, & quæ fusiùs contra Fuliensem retulimus: nam, ut ibid. ex D. Thoma diximus, nulla est creaturæ actio aut motus, quem non semper præveniat aliqua actio divina. Ratio fundamentalis est, ut Ferrariensis rectè notavit lib. 3. contra Gent. c. 66. *quia secundaria agentia nihil possunt erga actionem divinam, ut in se est, cum sua actio sit sua substantia*, quam exprimimus ut possumus, *quatenùs balbutiendo, excelsa Dei resonamus*, ut ait D. Gregorius: quod tamen non impedit quominus à Deo semper excludere omnem defectum, eique perfectiorem agendi modum tribuere debeamus.

At in contrarium videntur omnes Eupistini conatus, qui in eo positi sunt, ut Dei concursum (quem credit indifferentem ad bonum & malum) tueatur, eumque faciat effectivè determinatum per actionem creaturæ (qui est imperfectissimus agendi modus) ex quo, ut ostendimus contra Fuliensem, sequuntur inconvenientia intolerabilia tàm in fide quàm in Philosophia.

Qua in re Josephus pag. 106. nu. 80. ait: *Cæterum nos loquimur de determinatione divinæ influentiæ, prout agit movendo causas secundas, cui convenit determinari secundùm primum modum*: (quod posset bonum habere sensum) *juxta determinationem passivè consideratam, ex qua ad activam transeunt Adversarii: unde licet Deus posset agere præter ordinem causarum secundarum: influentiam tamen, quâ agit per causas secundas, subjecit determinationi recipiendæ per formas secundarum causarum. Sicut influentiam quâ Deus mediantibus follibus, dat flatum organo, fecit determinabilem per fistulas per quas transit flatus.*

8. Dixi præfatum Josephi testimonium posse bonum habere sensum: Eupistino tamen, omnibusque Adversariis D. Thomæ contrarium; quem ipse indicat pag. 192. nu. 763. ubi *Per fenestram vitream viridis coloris, dicitur determinari Sol ad agendum lumen viride, non tanquam per causam efficientem* (Nota) *dantem aliquem actum Soli; sed tanquam per medium, quo solaris radius determinatur ad influendum lumen talis coloris.* Quod nihil aliud sonat quàm quod diximus de determinatione passiva, qualis est respectu visûs & auditus, in quibus diversimodè recipitur Causæ Primæ influxus. Ita D. Thomas de Pot. q. 1. a. 4. ad 5. & de verit. q. 5. a. 9. ad 10. quod non potuit Josephus denegare pag. 198. nu. 791. ubi assignans diversitatem inter lumen viride & pallidum, ait: *Sic per illam virtutem quæ est in vitro colorato determinatur, seu quasi inficitur radius solaris, illâ specie coloris quæ est in vitro, sic transmittit lumen viridis seu pallidi coloris.* Quodque rursùm asserit pag. 212. dicens *Influentiam Superiorum causarum recipere determinationem per materiam (quæ non est capax actionis.) Et quamvis concedat hic Author à Deo aliquos effectivè & determinatè, speciali etiam instinctu moveri per Gratiam: nullum tamen potest certum haberi judicium, de mente ipsius (ob rationem in Conclusione assignandam) nisi quod ipse omninò defecerit à*

mente & doctrina Divi Thomæ, sicuti & à sententia S. Præsulis Augustini asserentis Deum semper in agendo præire & cuncta ad agendum determinare: Ita passim & nominatim tom. 8. in Ps. 49. ubi ait: *Cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur: videte itaque, loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa: ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando.* Apud quem *certum est & indubitatum semper subesse Deo cum voluerit posse, omnipotentissimâ facilitate, sine ulla dependentia à creatura: & longe minus à magno illo apparatu & multitudine causarum secundarum quibus vult Iosephus Omnipotentem obstrictum esse.*

Et ne quis existimet duplicem hanc Determinationem, effectivam scilicet & materialem seu dispositivam (quæ est una ex præcipuis causis apud Neotericos hallucinationis) voluntariè & gratis esse à nobis confictam: Legat qui voluerit Angelicum Doctorem in Dionys. 4. de Divin. Nom. Lect. 18. ubi loquens de Angelo S. Martyr, ait Angelum *esse Speculum faciens splendere Dei Bonitatem quemadmodum possibile est*, quod explicans D. Thomas ait: *faciens non activè, sed dispositivè, sicut si diceremus; quod speculum facit in seipso resplendescere imaginem alicujus corporis ex hoc ipso, quod est dispositum ad recipiendam ejus similitudinem*; Sed agere & pati seu recipere opponuntur: non minus igitur hallucinarentur qui Angelum dicerent posse *effectivè* in Dei Bonitatem agere seu illam determinare; quàm qui arbitrarentur Deum ipsum esse mutabilem. Sed ulterius progrediamur.

Cum adeò infœlicem exitum habuerit tota Adversariorum lucubratio, quâ unâ funditùs arietasse Præmotionem autumabat Eupistinus: non magis prosperum sperare successum potest, ex residuo ejusdem libri, cujus aliis nævis semel apertis totum *extractum* seu robur illius facilè in fumum abibit.

Quòd si bona fide voluisset nobiscum agere hic larvatus Author, dubio procul, nulla usus fuisset dissimulatione circa tres libros (ob quos adeò commovetur) quos edidimus pro Defensione Præmotionis physicæ: nam aut iis palam respondisset (ut par erat) idque à capite ad calcem: aut omninò obmutuisset; præfatum non subinferens *extractum*. Quod ipsi est, ceu ultima post naufragium tabula. Cum tamen unum cap. 13. lib. primi contra Fuliensem potuisset sufficere ad confutandum totum hoc *extractum*.

Attamen si de hoc (de quo Eupistinus tantoperè gloriatur extracto ut existimet ipsum esse aggerem fortissimum, quô Thomistæ impediantur, ne deinceps Prædeterminationem sequantur) anticipatum liceat ferre judicium, dum res est sub lite, & totum opus Josephi à Vita Neapoli in statera appenditur (ut accepi) mandato Reverendissimi. Dico hunc Authorem in planum impegisse, dum (illectus aliquo singularitatis motivo, aut fictitiis frustrà perterritus monstris *vis adamantinæ aut qualitatis ferreæ* quas falsò nobis imponunt Moderni, tot laboribus ac vigiliis) heteroclitum studuit excogitare modum explicandi efficaciam gratiæ: qua in re, plurimùm hunc defecisse, judicabit, quicumque voluerit expendere principia doctrinæ Divi Thomæ superiùs relata quibus essentialis dependentia creaturæ à Deo, tam in fieri, quàm in facto esse palam demonstratur, ac subindè necessitas Præmotionis physicæ.

9. Explicatur. Certum est in actibus liberis, liberum hominis arbitrium debere esse, ut ait Tridentinum: *Motum & excitatum*. Motum quidem ex parte principii

activi, effectivè influentis. Excitatum verò ex parte finis & objecti specificantis. Ita D. Thom. de verit. q. 22. ar. 9. *Voluntas*, inquit, *potest immutari ab aliquo dupliciter: uno modo sicut ab objecto appetibili: alio verò modo per modum causæ efficientis: & sic dicimus, quod non solùm nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam, &c. Sed nec etiam potest directè agere in voluntatem, ut eam immutet necessariò vel qualitercumque inclinet, &c. Ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas & id quod est causa esse voluntatis: quod secundum fidem solus est Deus. Unde solus Deus potest inclinationem voluntatis de uno in aliud transferre secundum quod vult.* Nota hoc mi Eupistine: & ne hujus veritatis adeò necessariæ Lector facilè oblivisceretur, illam iterùm repetit S. Doctor de Malo. q. 6. ar. unico in o ubi ait: *Potentia aliqua dupliciter movetur: uno modo ex parte subjecti sicut visus per immutationem dispositionis organi movetur ad clariùs vel minùs clarè videndum. Alio modo ex parte objecti, sicut visus nunc videt album: nunc videt nigrum.* Hæc igitur duplex voluntatis aut cujuslibet potentiæ vitalis cognoscitivæ immutatio, semper est præ oculis habenda in rebus de quibus nunc agimus: ita ut, si de una sit sermo, v. g. de Morali seu objectiva, semper altera prosupponatur, scilicet physica, quamvis ipsa non esset formaliter expressa.

Et quia Philosophorum Principem sequutus est Doctor Angelicus, existimavit in tradenda doctrina *incipiendum esse à notioribus* qualia sunt illa, quæ ad Motionem Moralem spectant *Quæ cum* (*ut ait Nazarius in 1. p. q. 22. ar. 4.*) *ex parte objecti se tenent, fit ut ad voluntatem* (*quæ est potentia cæca*) *non nisi per januam intellectus penetrare possint, quatenùs scilicet invitant practicum intellectus judicium, ut voluntati indicet hoc esse prosequendum ut conveniens, vel fugiendum ut disconveniens.* Et hinc est, quod datâ quacumque occasione, semper fusissimè prosequutus est Doctor Angelicus præfatum Motionis Moralis modum, ex parte scilicet objectorum, utpotè notiorem & aptiorem ad suadendum & explicandum, etiam rudioribus, modum quô Divina Providentia, cuncta comprehendit: seu quô pactô, qui *Deum fugit placatum* (*ut loquitur D. Augustinus*) *ipsum nequaquam evadit iratum.* Quia ut ait D. Thomas, qui ex uno ordine v. g. misericordiæ recedit, relabitur in alium, scilicet justitiæ: ita ut Dei manum effugere impossibile sit, Scripturâ teste. Et eò tendunt omnia Divi Thomæ testimonia, tam accuratè à Josepho à Vita, conquisita, passimque objecta: nominatim verò tota disputatione quarta.

10. Itidem cum toties ait D. Thomas hominem moveri ex fine, consilio rationis, deliberatione, aliisque hujusmodi; semper intelligendus est de Motione Morali, utpotè notiori & aptiori, quâ homo à brutis distinguatur, in quibus est tantùm naturalis instinctus, eorum judiciô ab Authore naturæ ad unum determinatô.

At præter Motionem Moralem, alia est, scilicet naturalis, quæ ut ait D. Thomas supra laudatus, est ex parte efficientis: nam Motio Moralis semper potentiam naturalem supponit: & sicut visus & alii sensus supponunt sensum tactus in quo fundantur, & ars naturam: ita & Deum natura ipsa supponit, quia ipse est Radix portans omnia verbo virtutis suæ, ut loquitur Apostolus: seu ut alii dicunt, basis, fundamentum, totiusque naturæ hypostasis. Et quia

Josephus à Vita (quantùm conjicere licet ex citatis ab ipso Divi Thomæ testimoniis) totum constituisse videtur in Motione Morali, sive ad explicandam Universalem Dei Providentiam : sive ad tuendam creaturæ rationalis libertatem : si in ullo deliquisse dicendus est, in hoc maximè, quia insufficiens est Motio Moralis, ut fusiùs lib. 1. cap. 13 contra Fuliensem ostendimus; per quam nequit intelligi Christiana salutis nostræ œconomia, nec explicari possunt Gratiæ Mysteria : Ubi enim erit ille modus *quô singulariter agit Deus in nobis? ubi illa Omnipotentis emanatio sincera, quæ cum sit una, omnia potest: attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter?* Etenim per Motionem Moralem non exprimitur specialis hic Modus, uni Deo proprius, quô interiùs voluntas nostra aptatur, ut loquitur D. Thomas in cap. 13. ad Hebr. lect. 3. Sicut nec Motus ille directus, quo voluntas effectivè à solo Deo immutatur, de quo itidem Doct. Angel. de Malo. q. 3. ar. 3. per quem ait 1. p. q. 57. ar. 4. Deum perfectè sibi subjicere voluntatem creatam : illam siquidem moraliter tantùm movere, Deo & creaturis commune est ut fusiùs alibi ostendimus ex Angelico Doctore de verit. q. 22. ar. 6. ad 6. ubi ait : *nihil est adeò malum, quod non possit habere aliquam speciem boni, & ratione illius bonitatis habere, quâ movere possit appetitum.* Quod si in præfata Motione Morali sistendum foret, prout nobis oblatum ab Eupistino *extractum* suadere videtur : numquam Patres & Concilia Pelagium à fide Orthodoxa extorrem declarassent, nam ipse Motiones Morales libentissimè admittebat : & si quid præter eas agnoscat Josephus à Vita; ita obiter & perfunctoriè de illo loquitur, ut illud negare potiùs, seu tanquam non necessarium attigisse videatur.

Et ne quis existimet me Josepho à Vita imposuisse, ipsum audiamus pag. 478 nu. 1822. ubi ait : *Itaque Deus per suam Sapientiam & Providentiam gubernans Universum procedit certitudinaliter per causas defectibiles in effectus earum, illo simili, sed longe perfectiori modò, quô nos humanâ prudentia & industria aliquando aliquos effectus certitudinaliter producimus. Sicut enim ego, dum studeo nocte, servo lumen candelæ inextinctum, infundendo oleum, extrahendo cautè bombicem, obtruncando fungulos, claudendo fenestram, defendendo eam à papilionibus & similibus adminiculis, quibus servatur quidem certitudinaliter lucerna inextincta : non autem fit inextinguibilis. Et sicut peritus Medicus & industrius Agricola possunt sic res disponere : ille circa curam infirmi : & iste circa culturam alicujus arboris ut indeficienter quandoque assequantur intentum.* Hactenùs Josephus : at præfata exempla adeò sunt vulgaria, & indigna Dei Majestate & Omnipotentia, ut mirum sit, qui toties illis utatur, ac potissimùm si in illis sistendum arbitretur; nullâ ratione habitâ ejus quod Deus effectivè ceu Primùm & radicale principium intùs operatur : de quo passim D. Thomas, ac nominatim 1. p. q. 19. ubi probat Dei intentionem non posse deficere, non præfata Josephi arte & industriâ, sed virtutis efficaciâ, quâ attingit non solùm substantiam actus liberi, sed & modum illius. Ad quod efficiendum non est necesse, ut ille nobis pag. 478. falsò imponat *causis defectibilibus imprimi principium aliquod indefectibile, quod vertat causas contingentes & liberas in indefectibiles* : nam ut cum D. Prospero diximus aliàs, quando Deus *facit nos velle* per efficax aliquod auxilium Gratiæ, sic idipsum temperat *ut illam mutabilitatem, quâ possumus nolle, non auferat.*

SECTIO II.

Aliud & fortius Auxilium Gratiæ requiritur, quàm qui à Iosepho assignatur, satis expressum in Scriptura & Patribus; ex quibus Extractum *Eupistini falsitatis convincitur, & essentialis dependentia quam habet à Deo creatura, demonstratur: quod evidenter confirmatur variis D. Thomæ testimoniis, quibus Motio Moralis tanquam insufficiens reprobatur.*

Nu. 11. SIcut præfatus Author videtur plurimùm deliquisse per excessum; nimiùm tribuens Motioni Metaphoricæ seu Morali, quæ est ex parte finis aut objecti; ita & per defectum non immunis erit ab errore, nihil aut parum tribuens Motioni physicæ: siquidem dum explicat certitudinem Divinæ Prædestinationis, Providentiæ & Gubernationis: & ex D Thoma passim, ac præsertim pagina 481. adducit tanquam media, ad id sufficientia, *exhortationes, orationum suffragia, & donum Gratiæ*, Si per hujusmodi donum, nihil aliud intelligat, nisi id quod sit voluntati creatæ etiam entitativè ita subjectum, ut eô ad libitum utatur homo vel etiam abutatur sicut habitibus: in hoc maximè hallucinatur, & omnibus ferè Sanctis Patribus contradicit & adversatur: nam præter gratiam exteriorem; v. g. Evangelii Prædicationem: & etiam motum interiorem cui aliquando reipsâ resistimus: aliud fortiùs Gratiæ auxilium à Deo postulatur, quô Deus cordis duritiam auferat, & effectivè immutet affectum. Quare cùm hic Author superstes sit, videat ipse quid respondeat Sanctis Patribus & Scripturæ testimoniis supra citatis. Etenim efflagitat D. Augustinus, numquam satis laudatus, ut quisque cognoscat & fateatur *aliquod Dei Auxilium, quô mirabili & ineffabili potestate Deus aliquando operetur in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates*, l. de gratia christ. c. 24.

Inquiret itidem & cum aliis idem S. Præsul, *ubinam sit illa virtus, quâ Deus cum vult, etiam rebelles ad se propitiùs compellit voluntates, easque sibi subjicit, dans spiritum bonum, non invocantibus, sed provocantibus: non interpellantibus sed repellentibus: auferens cor lapideum, & dans cor carneum: faciens ex nolente, volentem: ex repugnante consentientem, ex persequente & odio habente, amantem: efflagitabis itidem, ubi inquam sit illa vis, per quam Deus magis habet in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas, seu ut loquitur idem D. Augustinus, habet humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem?* Ratione cujus dixit Doctor Angelicus de verit. q. 22. ar. 8. *Quod si voluntas possit immutare suum actum ab uno in aliud: multò ampliùs Deus.* Non dubitamus quin obstupescat Lector si adversus prædicta Adversariis ita contraria adhuc contradicat Eupistinus? Admittenda est igitur illa virtus, *per quam Deus potest unicuique quàm facillimè prævalere*, ut idem S. Doctor ait de Jacobo luctante cum Angelo.

Inquiret & D. Gregorius supra laudatus, ubi sit illa gratia *per quam intuentium corda penetrantur ab eo, qui invisibiliter visibilia modificat causarum semina in cordibus hominum, quos ipse premit in timore & format in amore, etiam dum nihil sonat in voce.*

12. Quod

11. Quod si nihil aliud ad movendas voluntates creatas requiratur præter externas istas præparationes causarum secundarum à Josepho inductas, ex quibus si una deficiat, alia succurrat ac suppleat; peto ab ipso, quid responsurus sit D. Augustino petenti auxilium *quo Deus spiritum & vires subministret: quod non fit*, inquit *per eos qui extrinsecùs plantant & rigant: sed per eum qui intrinsecùs per semetipsum, incrementum dat occultus?* Qui teste Concilio Arausicano, *sic est in palmitibus, ut vitale ministret eis, non sumat ab eis.*

Ubi & illa Gratia, quam D. Prosper exigit *sine qua liberum arbitrium cohortationi vocantis non obedit, nisi in illo affectus credendi, obediendique generetur: quâ Gratiâ semel data, Deo nulla fit mora, nec causis suspenditur ullis.* Certè nulla fuit efficacior aut eloquentior, quàm D. Pauli Prædicatio: & tamen præter illam necesse fuit ut specialiter Deus moveret cor piæ hujus mulieris Lydiæ *ut attenderet his, quæ à Paulo dicebantur*: Nam ut ait D. Bernardus, *non sufficit doceri & moneri, sed necessarium est moveri & affici.* Quod Deus efficit (ut ille ait) duplici motione *Prima, voluntatem applicat operi: altera opus explicat voluntati*, lege eumdem loco supra citato serm. 7. in cant. ubi ille exprimit Gratiæ effectus, quos in semetipso expertus est: nam sine illa, ut ait D. Gregorius, *Mutum est os omne quod loquitur nisi ille intùs clamet in corde, qui aspirat verba quæ audiantur, qui nisi det voci suæ, vocem virtutis, nihil perficitur.* Quia solus Omnipotentis sermo *potest intelligentiam dare, & aurem cordis aperire.*

Jamne vides mi Eupistine, quàm bene fundata sit hac in parte Thomistarum doctrina? Quid ergo contra prædicta dicturus es, aut ea, quæ supra toto cap. 12. ex Scriptura & Patribus fusè retulimus, quos ibid. citatos, sicut & in apologia contra Fuliensem reperies, quosque hic brevitatis causâ omittimus? Cum omnes uno quasi ore asserant præter Gratiam sufficientem, cui aliquando resistimus, & motiones Morales, quibus etiam non raro abutimur; aliam esse efficaciorem, quâ factum est *ut etiam infirmi invictissimè velint id, quod etiam nolle possent; nam per illam sic subvenit Deus voluntatis humanæ infirmitati, ut indeclinabiter & insuperabiliter agat, & quamvis infirma non deficiat.* Neque in re singulari ullum quærendum est exemplum: nam solus ille hoc efficere potest, qui ut loquitur D. Prosper *rigorem cordis humani ad obediendum sibi sic emollit, ut immutet affectum,* potens de lapidibus Abrahæ filios excitare; efficiens *ut nullum malum*, inquit D. Cyrillus) *quantumvis violentum, prævalere possit.*



Hæc quæ supra diximus ex D. Thoma, de singulari modo agendi proprio, uni Deo, qui solus Animæ rationali conjungitur quantum ad sua interiora, solusque inter cætera omnia agentia, habet intrinsecam & essentialem Animæ operationem: confirmari possunt ex eodem S. Doctore de verit. q. 22. ar. 5. ubi ait. Consideranda est voluntas ut natura quædam est, & ut est potentia libera, quę ut sic, seipsam supponit, sicut visus supponit sensum tactus, in quo fundatur: & in hoc non pauci hallucinantur, qui Deum optimum tanquam aliud agens externum, & longè ab unoquoque nostrum intuentur. Itidem 3. Contr. Gent. cap. 65. arg. 5. *Sicut opus artis*, inquit, *præsupponit opus naturæ: ita opus ipsius naturæ præsupponit opus Dei creantis: nam materia artificialium est à natura, naturalium verò est à Deo per creationem.* .... Quod ibidem exponens arg. 6. ait S. Doctor, *quod pertinet ad naturam Agentis*

Superioris, nullo modo post actionem agentis remanet: sicut lumen non remanet in diaphano recedente illuminante: esse *autem non est natura vel essentia alicujus rei creatæ, sed solius Dei ..... nulla igitur res remanere potest in esse, cessante operatione Divina.* Atqui, operari sequitur esse, eique proportionatur: unde quod non potest esse independens à Deo in ratione entis, etiam non potest in ratione agentis, respectu illius quod est sibi causa essendi, tam in fieri, quàm in facto esse, qualis est Deus respectu cujuscumque creaturæ quantumvis perfectæ.

13. Quibus positis, contra Eupistinum sic formabo argumentum. Æquè aut magis pendent à Deo omnes creaturæ, quoad *esse & operari* (& subindè earum operationes tam liberæ, quàm naturales) ac voluntas ut libera pendeat à seipsa ut natura, & visus à sensu tactus in quo radicatur. Sed impossibile est, ut eliciatur operatio libera voluntatis, quin sit prævius aliquis ipsius voluntatis influxus ut est natura: Item ut visio perficiatur, quin sit aliquis influxus tactus in organo oculi passivè modificatus, ipsi visioni prævius: Ergo similiter impossibile est, ut sit aliqua creaturæ operatio sive naturalis sive libera, in quam non influat Deus ut Prima Causa, & secundum illum modum, secundum quem operatio est à causa secunda: ergo Deus in omni operatione bona semper est prævius, est enim radix, quæ portat omnia ut loquitur Apostolus; est rerum omnium tenax vigor, basis ac fundamentum omnis creaturæ, quæ minus separari potest ab ipso, quàm radius à Sole: & cum omnis effectus per radium: v. g. productus, magis ac priùs fit ab ipso Sole quam à radio: idem dicendum est de omnibus creaturarum operationibus & effectibus, tam liberis, quàm naturalibus.

Et ex hoc capite potissimùm depromenda seu metienda est Primæ Causæ efficientia universalis, potiùs quàm ex parte objectorum, seu causarum multitudine, quamvis apta sit, magisque plebeïa ad ritè explicandam Providentiam universalem & gubernationis modum Illius *in cujus ditione cuncta sunt posita, & cujus manum effugere impossibile est.* (Ritè intellige in sensu D. Thomæ) Prior tamen Modus, quem semper præsupponit motio metaphorica seu Moralis, potior est ac magis Deo proprius: nam per hunc ritè explicatur essentialis causarum subordinatio, earumque ab invicem dependentia & dispositio, quæ non solùm à Deo facta est, sed fit continuò: meliusque ostenditur quî nulla sit creaturæ ad Gratiam præparatio, nullus conatus, nulla bona dispositio, quam semper non præveniat aliqua actio Divina, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 3. ad 1. & D. Fulgentius supra laudatus *Susceptio & desiderium Gratiæ, opus ipsius Gratiæ est.* Quam ob causam damnati sunt Massilienses, asserentes *obedientiam nostram esse Gratiâ priorem* quâ in re eò tandem Semipelagiani devenere; ut illis sufficeret, si vel levissimus voluntatis creatæ nutus, Gratiam præcederet, *ne*, inquiebant, *esset apud Deum acceptio personarum: aut irrationabilis videretur munificentia Divinæ largitatis* ut fusiùs alibi ostendimus. Quare, inquit D. Chrysost. homil. de Adamo & Eva, *omnium bonorum affectuum & operum .... Deum profitemur Authorem.* Ipse enim est *à quo bona cuncta procedunt*, & quidem immediatè, sine præjudicio aut impedimento operationis creaturæ, ita D. Thomas de pot. q. 3 ar. 7. ad 4. *Si consideremus*, inquit, *virtutem qua fit actio, sic virtus Superioris causæ erit immediatior effectui.* Et 1. 2. q. 80. ar. 1. *Nihil*, inquit, *potest esse*

causa actus alicuius, nisi per hoc, quod proprium principium illius actus movet ad agendum. At Deus est causa maximè propria & perfecta cujuslibet actus, & maximè voluntatis creatæ bonum appetentis : quam ob causam ait D. Thomas de Malo. q. 3. ar. 3. *Relinquitur ergo, quod causa perficiens & propria actus voluntarii sit solùm id, quod operatur intùs : hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda : & Deus sicut Causa Prima.*

Nam ut fusiùs alibi ostendimus : Deus & creatura non distinguntur penes *mediatum & immediatum* : Sed penes *universale & particulare*; in quibus utrumque potest esse immediatum, & effectus ab utroque immediate procedere, priùs tamen & magis à causa principali, quæ particularem movebit, At *Motio moventis, inquit D. Thomas ex Aristotele, præcedit motum mobilis ratione & causa.* Nec aliud unquam voluerunt Thomistæ, quorum æquissimæ sunt Expostulationes adversus eos, qui à tam justa & antiqua possessione doctrinæ Divi Thomæ, illos conantur dejicere : quod ut efficiant; eam truncant, aut alienos in sensus detorquent vel se eam legisse dissimulant.

Quid enim clarius, quàm quod supra ex ipso retulimus de verit. q. 22. ar. 8. & 9 ubi ait : *Voluntas potest immutari ab aliquo dupliciter : uno modo sicut ab objecto appetibili..... Alio modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo per modum causæ efficientis.* Quorsùm ergo volumine integro, tanto verborum fastu, primùm hunc modum prosequi, quô possit voluntas immutari : relicto altero ac præcipuo, uni Deo inter cæteras causas proprio ? Cur recrudescentem nobis obtrudit Eupistinus Fuliensis defensionem novâ editione pro astruenda Motione Morali, aut concursu determinabili, quorum insufficientiam lib. 1. cap. 13. & 14. apertè demonstravimus (quod certè non debebat dissimulare) ut duobus inhæreat cavillis, quos prædictis capitibus tam efficaciter confutavimus, ut ostupescat Lector *qua fronte* ausus sit Eupistinus (ut ejus utar verbis) hos Legendos obtrudere Lectoribus.

14. Confirmatur magisque explicatur hic potior ac præcipuus Dei agentis Modus ex 1. p. q. 19. ar. 6. ubi inquirens S. Doctor *utrum voluntas Dei semper impleatur?* Respondet affirmativè; idque probat ex universalitate Primæ Causæ: ex qua concludit peccatorem recedentem à bonitate Dei miserentis, relabi in ordinem justitiæ ejus punientis. Quod quidem optimè quadrat Modo Morali quo omnes causæ particulares sic comprehenduntur sub Causa Universalissima; ut si una ex iis deficiat, Deus per aliam succurrat ac suppleat : quâ in re videtur mihi hic Modus explicandi universalem providentiam Dei, similis ei, quo Comicus vellet mihi jucundam aliquam scenam per 24 horas continuas repræsentare; ita ut tot personas ad id haberet dispositas, quot ad id sufficere possent, paratis etiam luminaribus, ut die deficiente, nihil ad visionem deesset. Sed quid ista omnia prodessent, si potentia visiva in me esset impedita ex parte principii, ut si obdormirem vel ex læsione organi? Sane inutilia essent cætera. Sic dicendum in præsentiarum : est quidem paratus à Deo causarum cumulus, seu connexio, ita ut uni altera sic succedat, ut numquam deficiat : verùm hoc non excludit alium efficaciæ seu causalitatis modum, pro quo militamus (immò illum supponit omninò) qui se tenet ex parte principii effectivi scilicet voluntatis Divinæ (quæ est causa rerum) quâ

Deus totam naturam, nostrasque voluntates, quando, ubi & quomodo voluerit, immutare summa facilitate possit, ut ibid. explicuit art. 8. ubi contra scopum Adversariorum, qui suadere nituntur aliquos effectus contingenter evenire tantùm & ea præcisè ratione (quia ipsis Deus causas contingentes aptavit, quibus nihil amplius ex parte Dei desiderandum supersit, *Sed hoc non videtur sufficienter dictum*, propter duas rationes, quas suadeo ibidem Legendas apud Doctorem Angelicum.

15. *Et ideò*, inquit, *melius dicendum est, quod hoc contingit, propter efficaciam Divinæ voluntatis: cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, non tantùm secundum id quod fit, sed etiam secundum modum faciendi vel essendi*; & ut nulli esset locus cavillandi, addit exemplum S. Doctor, *ex debilitate*, inquit, *virtutis activæ in semine, contingit quod Filius nascitur dissimilis Patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum essendi. Cum igitur voluntas Divina sit efficacissima; non solùm sequitur, quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed & quod eodem modo fiant, quò Deus ea fieri vult.*

Sed ut nullo ferè negotio appareat totius libri Josephi à Vita, hallucinatio, ad quam confutandam nimis forsitan prolixum esset, singula Divi Thomæ testimonia recensere: legat eumdem locis infra citandis; ubi expresse docet S. Doctor Dei prædestinationem esse certam, non solùm ratione præscientiæ; sed etiam ratione Causalitatis. Ita 1. 2. q. 10. ar. 4. ad 3. 2. 2. q. 24. a. 11. de Malo. q. 6. de verit. q. 6. a. 3. ad 4. & 1. p. q. 23. ar. 5. & 6. 1. 2. q. 109. ar. 1. & ibid. q. 111. ar. 2. ad 2. Super Epist. 1. ad Corinth. cap. 15. lect. 1. & super Epist. ad Rom. cap 8 lect. 3. & 6. Quibus evanescunt omnes Josephi lucubrationes. Totum quidem quod ait Josephus ex D. Thoma libenter admittimus, sed tanquam inadequatam causam certitudinis Divinę Prædestinationis, pro qua ille debebat etiam ponderare, quæ scripsit Doctor Angel. non solùm locis supra citatis, sed etiam id quod ait 1. p. q. 14. ar. 13. q. 19. ar. 4. 7. & 8. ex quibus genuinam mentem Divi Thomæ percepisset. Nominatim verò 3. cont. gentes cap 94. ubi postquam sibi proposuit objectionem ex connexione causarum illamque rejecit tanquam insufficientem; v. g. quod quis ex eo quod salsa comederit, sitiat: quod aquam quærat, quod domo ad hanc inveniendam exeat: quod incidat in latrones à quibus occidatur, &c. recurrit ad certitudinem quæ provenit ex parte causæ efficientis & ait: *Quæcumque verò rerum aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo motæ, & ei obtemperando ministrant ad ordinem Provindentiæ ab æterno, ut ita dicam, excogitatum, explicandum in rebus.... Nec etiam*, inquit, *defectibilitas causarum secundarum, quibus mediantibus effectus Divinæ Providentiæ producuntur; certitudinem Providentiæ potest aufferre....* cujus rationem quam tuemur, illicò assignat S. Doctor his verbis, *cum ipse Deus, in omnibus operetur.* Et sic uno verbo omnes Josephi lucubrationes depelluntur.

Quibus si addere volueris id quod ait D. Thomas de Pot. q. 3. a. 7. ad 7. ubi & alibi passim semper distinguit id quod res habent habitualiter, ab eo quod ipse Deus confert ad actum agendum, videbis doctrinam D. Thomæ, quam propugnamus, esse meridianâ luce evidentiorem. Ait enim sanctus Doctor locô citatô, *virtus naturalis quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata; inest eis ut quædam forma habens esse ratum & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quò actualiter agat; est ut in-*

tentio sola habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento Artificis.

Item q. 9. disp. de unione Verbi, a. 5. ad 12. ait sanctus Doctor: *Agens non semper dat instrumento novam formam vel virtutem quiescentem in ipso: & tamen instrumentum, in quantum movetur ab agente, consequitur quamdam intentionalem virtutem per influxum agentis, qui per instrumentum transit in effectum.* An quid clarius aut efficacius potest excogitari? Lege adhuc sanctum Doctorem, 3. p. qu. 19. a. 1. & qu. 62. a. 4. ne totum exscribere cogamur.



CAPUT TERTIUM.

Tertia ludificatio aperitur, qua, ex permissione Reverendissimi Magistri Ordinis nostri Ioan. Baptista de Marinis, & quorumdam Thomistarum approbatione libri Iosephi à Vita, integram suis libris restituere authoritatem satagit Eupistinus. Fit satis Eupistino tàm pro præfata permissione, quàm pro approbationibus, ex quibus ille nihil omninò lucratur. Malæ fidei hîc singulariter convincuntur Adversarii, truncatô D. Thomæ testimoniô, ex quo tantum inadæquatè explicant negotium Gratiæ circa certitudinem Prædestinationis divinæ. Ac denique ostenditur quid fuerit approbatum in libro Iosephi, quid verò reprobandum.

Nu 1. VERTIT se in omne latus, nullumque non movet lapidem Eupistinus, ut suæ Authoritati (id est, libris, quibus hunc præfixerat titulum, *Authoritas*....) semel & iterùm, ne dicam tertiò, à me novissimè ac minimò prorsùs exauthoratæ, & extremo morbo laboranti opem aliquam ferre possit. Qua in re utitur ceu extremo remedio quodam *Extracto* ex libro Josephi à Vita, quod loco clypei & hastæ, est ipsi Eupistino; cui ut ille possit majorem conciliare Authoritatem, vel saltem ex eo fucum aliquem rebus facere, illud summoperè facit commendatum, bisque nobis illud obtrudit, in principio scilicet & sub finem sui recentioris libri, Duaci 1673. editi, multumque extollit permissionem Reverendissimi Magistri Ordinis, quâ facultatem fecit Josepho à Vita edendi in lucem quosdam Tractatus, *dummodò priùs essent examinati à tribus ibid nominatis;* idque an. 1656. quod interim notatum velim, ut innotescat quàm vana sit inde Eupistini gloriatio.

Porrò hic liber Josephi à Vita apparuit tantùm post obitum ejusdem Magistri Ordinis (cui proinde nihil potest improperari ob concessam hujusmodi facultatem, quæ erat de re futura discutienda, & ad examen vocanda, quæ juxta justitiæ æquitatem nemini est deneganda) scilicet in Capitulo generali Romæ 1670. celebrati sub Reverendissimo Patre Thoma de Rocaberti; quo in Capitulo totum Ordinem præfatus Author habuit Adversarium; quod non

potest evidentiùs demonstrari, quàm ex Actis ejusdem Capituli, pag. 72. nu. 5. ubi legitur: *Admonemus omnes & singulos nostri Ordinis Theologiæ Professores, quatenùs attendentes ad ea quæ habentur in declaratione nostrarum Constitutionum, dist. 2. cap. 14. de Studentibus, sect. 1. circa Studentes, nedum doctrinam nostri Angelici Præceptoris D. Thomæ Aquinatis fidelissimè sequantur; sed & etiam à concordi & communiori nostrorum Thomistarum sententia, quæ communi omnium judicio creditur asserta à sanctissimo Præceptore, vel ex ejus principiis deducta, nullo pacto audeant recedere, præcipuè circa materiam de Gratia & libero arbitrio seu physicâ Præmotione. Quam doctrinam solidam & inconcussam tùm D. Thomas, tùm Thomistæ insigniores ex limpidissimo & incorrupto Sanctorum Patrum, Ecclesiæque Doctorum fonte integerrimè hauserunt. Contra Novatores verò, si fortè insurgent, pœnam privationis cujusvis gradûs & scholastici Officii respectivè ipso facto incurrendam irremissibiliter pronuntiamus.* En igitur liber Josephi à Vita à toto Ordine rejectus, & inter Novatorum libros computatus.

His præmissis, nemo, ut arbitror, in dubium revocabit mentem totiusque Ordinis Authoritatem, in suo Capite ac membris præcipuis insidentem in Comitiis generalibus, declarantem doctrinam de Gratia & Præmotione physica debere esse intactam & inconcussam, utpotè ex Sanctis Patribus, ex Conciliis & Scriptura sacra depromptam, ut illi innuunt, & allata hactenùs testimonia satis ostendunt.

Quantùm verò ad approbationes ejusdem libri, quibus toties ac tantoperè gloriatur Eupistinus (licet propriam quam tuetur doctrinam, non semel eô libro labefactatam fateri teneatur:) dico primò, in hoc Josephi libro esse aliquid in quod Author manifestè impegit, ut patet in primo ac præcipuo ejus argumento suprà radicitùs confutato.

Dico secundò, meritò defensam esse ab Angelico Doctore in Compendio Theologiæ, Opusc. 2. cap. 140. divinæ Providentiæ certitudinem, quam ex tribus explicat sanctus Doctor, scilicet ex infallibilitate divinæ Præscientiæ, efficacia voluntatis divinæ, & sapientia ejusdem divinæ dispositionis. Ubi sanctus Thomas ex tertio tanquam ex notiori ac magis familiari modo, præfatam fusiùs explicat certitudinem, utens exemplis Medici infirmum sanare cupientis, & vineæ Cultoris, qui contra infirmitatem aut vineæ sterilitatem, varia adhibere possunt remedia.

At non bonâ fide, videntur nobiscum agere, qui ex iis tribus sic sistunt in uno, ut alia duo satagant dissimulare: etenim sapientiam divinæ dispositionis proni adoramus; sed hoc non impedit quominùs Dei agentis modum altiùs intueamur in alio ac reconditiori principio, quàm ex iis quæ palàm conspicimus in creaturis: nullum enim est agens creatum ita perfectum, ut ipsi ex æquo Primum Agens possit comparari.

Quando igitur de certitudine divinæ Prædestinationis & Providentiæ agitur, hæc non est pensanda tantùm ex visibili dispositione creaturarum, à qua non dependet Deus, & contra quam non raro operatur, quæ quamvis apta sit ad res divinas utcumque explicandas sicut causæ expenduntur per suos effectus; non tamen ad hunc modum restringenda est Dei Omnipotentia, quæ certò & citò cum vult, operatur. Porrò modus quem hic Author tota disp. 4. occultare nititur, quemque contra Neotericos præ cæteris propugnamus, ab

ipso D. Thoma, locô citatô expressus, est ex efficacia divinæ voluntatis, quæ cum sit infinita, non potest deficere: *Quâ*, ut ait D. August. de Cor. & Gra. cap. 12. *Deus ita subvenit infirmitati voluntatis humanæ, ut quamvis infirma, non deficiat, nec adversitate aliquâ vincatur*; præbetque ei vires, & id genus alia circa eam operatur, etiam per occursum & multitudinem causarum (quas quandoque prorsùs etiam impedit, ut solus dumtaxat agere cognoscatur:) quæ omnia nunquam ritè explicari possunt, nisi per intrinsecam divinæ voluntatis efficaciam pro qua militamus.

Quid igitur de hoc Josephi libro dicturi simus, donec ipsemet opus suum à tot mendis & lapsibus expurget, quos ille suo in libro recognoscit? aut quid in illo probare potuerunt Censores deputati (salvâ D. Thomæ doctrina) ex quo existimat Eupistinus suum renovare triumphum?

Respondeo non rejiciendam esse methodum seu familiarem modum explicandi certitudinem Providentiæ Dei (nisi ut inadæquatam seu insufficientem, quô etiam pactô supra admisimus Motionem moralem) quo usus est Josephus, quemque Censores non potuerunt reprobare, cum sit, ut patet ex prædictis, ex Angel. Doct. depromptis, cujus testimonium ex opusc. 2 c. 140. citatum non licet mutilare: quam ob causam Censor Regius per suas Panormi datas 25. Martii 1664. sic hunc modum laudavit, ut non negaverit alium quem propugnamus modum scilicet effectivum, qui est ex parte voluntatis divinæ, quæ est causa efficiens dispositionis prædictæ quam cernimus in causarum multitudine, per quas Deus operatur: qua de causa prædictus Censor dixit, *aliis Theologis revisionem ejusdem libri esse committendam*

Cum ergo tria proposuerit D. Thomas loco citato ad explicandam Divinæ Providentiæ certitudinem, scilicet *infallibilitatem Præscientiæ, voluntatis divinæ efficaciam, & ejus Sapientiæ dispositionem*: cur secundum hunc modum dissimulabunt. quô Deus Optimus singularem habet prærogativam, seu modum agendi sibi proprium? Quem si non ita fusè ac perspicuè explicuit sanctus Doctor locis à Josepho citatis (utpotè occultissimum;) hoc non impedit quominùs de eo centies in rei veritate alibi loquutus sit expressè, ut loco supra citato, aliisque contra Fuliensem relatis, ac recentiùs capite præcedenti.

3. Nescio utrum ullus unquam inutilior aut infœlicior in Orbe conflictus quàm Thomistarum disceptationes & perseverantia in propugnanda Prædeterminatione physica (pro qua tot convicia & dicteria passi sunt) si nihil aliud præ oculis habuissent quàm differere, *an illa esset motus aut qualitas, an forma permanens, aut quidpiam transiens*, & id genus alia, quibus nos importunè gravant Adversarii: nihilque sub hujusmodi cortice majoris aut gravioris momenti latuisset; scilicet modus, quô unô Dei Omnipotentia dignè defenditur, ac supremum illius dominium, totaque salutis nostræ œconomia ritè explicatur; si illam (ut par est) metiri velimus, juxta securam Scripturæ sacræ & Conciliorum normam, nec non sanctorum Patrum doctrinam, & præcipuè sancti Augustini & Divi Thomæ; quos hac in parte non possumus habere magistros, si doctrinam deseramus, quam à tot annis propugnamus.

Nunquam igitur Præmotionis physicæ Defensionem susceperunt Thomistæ, nisi ut hos sanctos Patres haberent Patronos ac Defensores in propugnanda divinæ Gratiæ efficacia: quare ludant Adversarii verbis *qualitatis ferreæ &*

vis adamantina; quibus ceu monstris de industria confictis, ludificari incautis conantur; his non movemur, quia falsa esse, falsóque nobis imposita, evidentissimè non semel demonstravimus. Nam suppositâ Gratiâ sufficiente, quam ritè intellectam nunquam negarunt Thomistæ, per Prædeterminationem voluere tantùm viam sibi sternere ad stabiliendam Gratiam aliquam per se efficacem.

Et hanc Gratiam per se efficacem approbarunt Censores libri Josephi à Vita, in quo hic Author certam & infallibilem Dei Providentiam astruxit, eliminatâ omni Scientiâ Mediâ Deo prorsùs indignâ, quæ Omnipotentem constituit dependentem, & eum facit Exploratorem rerum, de quibus summo jure & tam absolutè quàm justè potest disponere. Hoc ergo est objectum approbationis ipsorum, & ex uno disce omnes, nisi malueris propriis credere oculis, quibus ipsum Josephum, pag. 7. nu. 1. sic loquentem percipies: *Antecedentiam divinorum decretorum, physicam eorumdem efficientiam, infallibilitatem & efficaciam tuetur acerrimus propugnator, servatâ semper illæsâ effectuum contingentiâ & humanorum actuum libertate; & quidem non per tramites impervios & spinosos, quos adire pertentant Moderni, singulis quibusque passibus offendendo: sed per viam planam, regiam & expeditam, quam scilicet fœlicissimè sternit lumen Ecclesiæ S. Thomas, &c.* Verùm, quinam sint illi Moderni, qui singulis quibusque passibus offendunt quique in his in quibus recesserunt ab Angelico Doctore (cui hac in parte velint, nolint oportet subscribere) vix duos reperies unâ in omnibus perfectè consentientes. Quod satis patet ex dictis.

Priorem ergo ac præcipuum modum explicandi concursum Dei & Gratiæ efficaciam (quam diximus secretiorem) satis exposuit Doctor Angelicus locis supra citatis, sufficienterque ante ipsum illam stabilierat D. Augustinus, asserens *Deum operari in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, efficiendo non solùm ut homines nolentes credant, sed ut fiant ex nolentibus volentes, habens in sua potestate eorum voluntates magis quàm ipsi suas: quâ usus potestate, Deus Paulum convertit, dum adhuc esset spirans minarum & cædis: eâque cor Assueri est immutatum ab asperitate in lenitatem, etiam quando erat velut taurus tumens in impetu indignationis suæ*, ut loquitur Divus Augustinus.

Et hunc agendi modum dixit D. Augustinus *mirabilem & ineffabilem*; eumque innuit Doctor Angelicus ad Rom. 11. lect. 5. his verbis: *Etsi ipsæ creaturæ sint homini notæ, tamen modi quibus Deus operatur in creaturis comprehendi non possunt. In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Neque neganda est substantia rerum, quamvis non sit palpabilis modus, quô Deus agit in ipsis. An tu ipse negabis: v. g. Filium Dei fuisse à Beatissima Virgine conceptum, quia non vales comprehendere Conceptionis modum? *Dicat mihi Judæus incredulus*, inquit Augustinus, *quemadmodum arida virga fronduit, floruit, & nuces protulit: & ego dicam illi, quomodo Virgo concepit & peperit. Sed profectò Judæus nec virgæ poterit explicare conceptum, nec ego Virginis partum.*

SECTIO

SECTIO UNICA.

Cadit lite Eupistinus etiam dum se vincere arbitratur, videturque pro illis militasse, quos susceperat expugnandos. Nec majus dari potest argumentum infirmitatis causæ ab ipso propugnandæ, quàm quod hic exhibetur. Cavendum ne confundas Principium movens voluntatem in suo ordine primum, cum absolutè Primo, quod est Deus. Auditur P. Maignan ab Eupistino citatus.

4. VErùm ad hujusmodi non redigimur angustias in explicando divinæ Gratiæ auxilio, ut patet ex dictis, ex quibus apertè colligitur præter Gratiam cui aliquando resistimus, aliam esse potentiorem & efficaciorem, cui etsi possimus in hac vita resistere, non tamen eidem resistimus: *Nec ab ullo duro corde respuitur, cum, ut ait D. August. illa detur, ut cordis duritia primitùs auferatur, & voluntas non resistendi generetur, remanente integrâ resistendi facultate:* non enim per illam tollitur potestas, sed mutatur voluntas.

Patet ex dictis, mi Eupistine, quàm parum profeceris ex recursu ad quosdam Thomistas, à quibus contra cæteros aliquod pro tua doctrina patrocinium sperabas, cum ab ipsis unanimiter saltem quoad substantiam, tui utriusque libri *Authoritas* obruatur. Quare fictitiis perterritus monstris *qualitatis ferrea seu vis adamantina*, quibus libertas adimitur, fortasse cæspitaverit tuus Commilito Josephus, hocque (à quo omnes abhorrent Thomistæ, scilicet libertatis eversione) impugnaverit; tamen à vera & communi Thomistarum doctrina, non ita procul aberravit, quin citiùs ad illam redierit, idque in totius negotii cardine, ex quo satis apparet te non discernere, mi Eupistine, ea quæ nobis faveant, ab iis quæ nocere valeant, sitque tibi adeò peregrina Divi Thomæ doctrina, & præcipuè hac in parte, ut eam tuearis aliorum testimoniis, etiam dum propriis eam impugnare eniteris. Angelicè probavit Doctor Angelicus ex Aristotele, non dari processum in infinitum in serie actuum liberorum, seu ex deliberatione procedentium, sed deveniendum esse ad aliquod primum rationis principium, quod sit supra omnem rationem, consilium & deliberationem, quodque supponat solum naturæ instinctum seu naturalem finis volitionem, quam habet voluntas ut natura ab ipso Authore naturæ. Ita D. Thomas 1. p. q. 60. a. 2. demonstrat principium dilectionis liberæ esse dilectionem naturalem, qua ex naturali finis volitione voluntas procedit liberè ad actus liberos.

Et ex hoc Eupistinus arbitratur se loqui victorias. Quasi verò voluntas ut libera, non seipsam supponeret, ut est natura quædam: quam ob causam dixit Doctor Angelicus, 1. 2. q. 17. a. 5. ad 3. *Imperium rationis non requiri ad primum motum voluntatis.* Aut quod naturale est, non supponeret ipsum Deum: vel denique ob communem quam dedit Deus singulis rebus ad suos fines inclinationem, ut est Motor Universalis; deneganda esset motio specialis, quæ fit à Deo per Gratiam ad aliquid determinatè volendum, ut ait D. Thomas, 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.

Hîc tamen se triumphum agere putat Eupistinus *forti calamo Iosephi*, quem, ut loquitur, opponit toti Thomistarum torrenti. Ipsum ergo audiamus pag. 158. nu. 20. ubi ait : *Sequitur quartò quòd sit in nostra potestate & dominio, ac proinde libera, etiam illa deliberatio, quæ est prima in ordine deliberationum ordinatarum, ad quam ratio seu homo non movetur à seipso per præcedentem deliberationem ; sed ab exteriori principio, nempe à Deo, sive ut Motore universali per naturæ instinctum ad bonum in communi ; sive ut Motore speciali per cognitiones nobis impressas ad bonum aliquod in particulari* (perpende quæ sequuntur) *ut cum experimur nos repentè mutatos, & habere novas affectiones, quas ante non habebamus, putà abominationem & horrorem actionis peccaminosæ quam antea diligebamus ; affectiones & propensiones in res divinas, quas anteà aversabamur. Item cum mens interiùs dictat aliquid esse agendum ; nec scimus rationem cur illud agendum sit, ut cum homini sedenti domi venit in mentem ut exeat, & statim eo exeunte, domus cadit : & ipse posteà considerans, invenire non potest rationem, cur ei venerit in mentem judicare hic & nunc expedire domo egredi. Sequitur, inquam, quòd etiam deliberatio sequens hujusmodi motiones à principio extrinseco, sit in nostra potestate, quia voluntas sic mota à Deo, sive generaliter ad bonum in communi, sive specialiter ad bonum particulare, potest virtute talis motûs seipsam movere per consilium rationis, dictamenque inventum per consilium in aliud, sive verè, sive solùm apparenter bonum.* Hactenùs Josephus à Vita.

Quid ad hæc, mi Eupistine? ubi prætensa læsio libertatis (quam perpetuò objicis) ex prævia Dei motione? Si Thomistarum doctrinam datâ operâ propugnandam suscepisses, an aliud quidpiam melius excogitare potuisses? Quis præfatum perpendens testimonium non existimet te voluisse illud objiciendo, Lectoribus illudere, dum viderint te res sic impugnare, tanquam susceperis propugnandas? Aut certè judicabunt omnes, te statum controversiæ & quæstionis nequidem capere ; cui tamen tanto zelo totque conatibus adversaris, dum ea contra eam objicis, quibus non minùs efficaciter controversia in gratiam Thomistarum dirimitur, quàm ex iis quæ supra ex Tridentino retulimus, asserente liberum arbitrium esse à Deo motum & excitatum, ejus libertate illæsâ remanente, Deo voluntatem nostram ad opus applicante, & voluntati opus explicante, ut loquitur D. Bernardus.

Non poterat Eupistinus causæ, quam susceperat propugnandam, evidentiùs ostendere infirmitatem, quàm præfato, quod obtrudit, quodque sic extollit Josephi *Extracto* : Etenim præterquam quòd evanido nixum sit fundamento *Extractum* istud, ut supra ostensum est ; vix una est in hoc Authore pagina in qua Adversariorum principia funditùs non evertantur. Hæc pauca sufficiant exempla.

A folio 13 ad 35, ostendit Josephus Suarium, Ruiz & alios probare Prædeterminationem per hoc ipsum, per quod eam impugnare intendebant. Hoc ipsum annotavit Caramuel suprà laudatus.

Pag. 92 usque ad 95, demonstrat Suarium à Thomistis convictum, & juxta doctrinam D. Thomæ astrui motum prædeterminativum, quem Suarius excludere conabatur.

A nullo unquam pejori modo exceptus fuit idem Suarius, quàm ab eodem Josepho, pag. 113 & seq. ubi ostendit eum perpetuis laborare contradictionibus, dum Thomistas impugnare arbitratur.

A pag. 128 usque ad 132, ostendit nihil omninò esse in doctrina D. Thomæ ex iis quæ Fasolus & Requisinus ipsi imponunt, cum aliis Adversariis physicæ Præmotionis.

Pag. 500. ait idem Josephus, *Submissum inter philosophicas veritates fundamentum Suarii (quem tamen in hoc asserit omnes ferè Patres Societatis sequi) rejiciendum, quia falsum & ad Stoïcos spectans.* Quid plura?

En, Amice Lector, eum quem pro se adducit Eupistinus, quemque, ut loquitur, opponit torrenti Thomistarum; qui si quidpiam melius reperire potuisset, illud certè non omisisset.

5. Sed ut desinat Eupistinus nos perpetuò lacessere ex D. Thomæ testimonio perperam intellecto; finem huic capiti imponam duobus aliis ejusdem sancti Doctoris, quibus omne os obstruatur.

Primum erit ex quodl. 1. a. 7. in o. ubi postquam ostendit D. Thomas, quomodo præter externa, quibus homo movetur, & quomodo non semper ex consilio consiliari incipit; sic concludit: *Ita omnium motuum interiorum mentium principium est à Deo movente: sic ergo nullus potest se ad Gratiam præparare, nec aliquid boni facere, nisi per divinum auxilium.*

Alterum est ex q. 6. de Malo, art. unic. ubi postquam etiam ostendit quomodo Deus non tantùm formas, sed & motus formarum causat juxta modum earum; ait: *Cum voluntas non semper voluerit consiliari, necesse est ut ad consilium fuerit mota à Deo.* Quò infert Aristoteles, consilium esse ab aliquo Optimo, quod sit supra hominem & rationem, quâ nihil melius nisi Deus. Sic lib. 1. Mach. cap. 4. v. 45. dicitur, *Incidit illis consilium bonum;* à Deo nimirùm per bonum instinctum.

Quî verò fiat istud sine ullo libertatis creatæ præjudicio, jam satis diximus. Legendus sanctus Doctor, lib. 3. contra Gent. cap. 89. Et de Malo, q. 6. a. 1. ad 16 ubi ait: *Si detur quod aliqua potentia activa ad opposita se habeat, non sequitur opposita esse simul; quia etsi utrumque oppositorum, ad quod potentia se habet, sit possibile: unum tamen est impossibile alteri.* Ex quo patet non requiri ad libertatem, ut simul sint actus contrarii, vel ut sit suspensio aut privatio illius actûs ad quem quis à Deo præmovetur: sed tantùm ut facultas huic actui applicata juxta suum modum, sit in potentia ad actum oppositum, non quidem simul, sed postmodum seu successivè habendum; quod est verum, etiam in opinione Adversariorum.

Dixi juxta suum modum, id est, juxta judicium rationis, quod non est ad unum determinatum per modum naturæ (quod velim notatum) quale est judicium ovis, quo sic lupum apprehendit ceu sibi nocivum, ut non possit illum non fugere. Ita D. Thomas, 1. p. q. 59. a. 3. in o. Et q. de Malo: *Forma,* inquit, *apprehensa per sensum, est individualis, sicut in rebus naturalibus: & ideò ex ea sequitur inclinatio ad unum sicut in rebus naturalibus. Sed tamen non semper eadem forma relinquitur in sensu, sicut in rebus naturalibus; quia ignis semper est calidus: sed nunc una, nunc alia; putà nunc forma delectabilis, nunc tristis: unde nunc fugit, nunc prosequitur; in quo conveniunt cum principio activo humano.* In quo autem differant bruta, aut in quo præemineat homo, explicat D. Tho. ibid. ad 3. Et de Verit. q. 24. a. 8. & alibi passim.

6. Unum ergo hîc tantùm superest quod ab Eupistino postulamus, quod-

que non debet denegare, nimirum ut desinat fucum rebus facere, tantâ verborum amaritudine; sed nobiscum sincerè agnoscat duplicem Motionis modum, quô voluntas creata movetur; scilicet metaphoricum ex fine & objecto ex parte creaturarum; & effectivum soli Deo & voluntati creatæ efficienter & activè se moventi proprium, ut ait D. Thomas, 3. contra Gent. cap. 88. Quòd si voluntas creata dicatur à sancto Doctore, 1. 2. q. 17. a. 1. *Primum Movens in actibus Animæ quantùm ad exercitium actûs;* hoc non debet Eupistinus obtrudere Lectoribus pro *Primo Movente* absolutè, qualis est Deus Opt. de quo Aristoteles lib. 7. cap. 18. Moralium Eudemiorum ait: *Quemadmodum in universo Deus est, & vicissim cuncta in illo: moventur enim omnia ab inexistente in illis Numine. Rationis autem non ratio, sed præstantius quidpiam est Principium. Quid autem scientiâ præstantius est, nisi Deus?* Idem ait Doctor Angelicus aliis verbis 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. quod unum deberet os obstruere omnibus Adversariis D. Thomæ.

Quibus nihil addendum puto, nisi id quod ait sanctus Doctor de Verit. q 6. a. 3. ad 3. *Deus in voluntate agit, non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed movet eam non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit: & ideò quamvis Divinæ voluntati nihil resistat, tamen voluntas & qualibet alia res exequitur Divinam voluntatem secundùm modum suum, quia & ipsum modum Divina voluntas rebus dedit, ut sic voluntas ejus impleretur.* Et ut occurreret illis, qui ex comparatione creaturarum (quibus aliquando utitur D. Thomas ad explicanda quæ Dei sunt) conantur eum reducere ad ordinem causarum naturalium, cum hoc sibi ibidem objecisset: *Certitudo quæ est cum suppositione alterius, non est absoluta, sed conditionalis: sic non est certum,* inquit, *quod Sol causet fructum in planta, nisi planta sit disposita.*

Ad 4. respondet *Ordinem Divinæ Prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, tamen absolutam habere certitudinem, etsi in exemplo allato contrarium appareat.*

7. Ne tamen conqueri possit Eupistinus à me quidquam dissimulatum esse ex ipsius argumentis; hîc adest P. Maignan, quem ille tanti facit, quòd contra totum suum Ordinem, doctrinam hanc Divi Thomæ sectantem, nobis hac in parte opposuerit; & quia ejus libri copiam non habebam, dum prædicta scriberem; nunc quia occurrit, dico pauca admodùm in dicti Patris Maignan à me in ejus libro deprehensa, in quibus vel ob latum unguem differat à P. Fuliensi & à doctrina Molinæ, cum quo pag. 629. nu. 3. ait *Gratiam congruam efficacem effectum sortiri ex eo quod datur tali tempore, loco, modo, & subjecti affectione;* licet, ut ipse fatetur pag. 834 *parcè admodùm Scientiâ Mediâ utatur.* Quare cum non possem dictum P. Maignan confutare quin Lectorem gravarem superfluâ repetitione eorum quæ tùm hîc, tùm alibi fusiùs contra Petrum à S. Joseph scripsi; satiùs duxi Lectorem ad prædicta remittere, dictô Patre ad id invitante potiùs, quàm obfirmatô animô contendente pro sua opinione, quam velit aliis persuadere: nam vir modestissimus pag 592. sic loquitur: *Ingenuè dicam, quid mihi velut pro me solo potiùs sentiendum videatur, relictâ cæteroqui aliis facultate sentiendi, prout meliùs quisque judicaverit.* Nec dubitô quin perpensis hinc & inde Divi Thomæ principiis, & doctrina ex illis necessariò educenda, jamque à me

pro modulò exposita, totus stet à nostris Partibus cum cæteris doctissimis ac Religiosissimis sui totius Ordinis.

Videsne Lector quî Thomistæ non quærant quæ sua sunt hac in parte, sed quæ Jesu Christi, nempè ipsius Gratiæ per se efficacis defensionem, & perfectam Sanctorum Augustini & Thomæ hac in re consensionem? Et quia rectam habuit intentionem Josephus à Vita defendendi hanc efficaciam; ipsius zelo ex animo gratulamur, & hoc unum in ejus libro approbatur. Quod verò cæspitarit, & fictitiis Adversariorum monstris *qualitatis ferreæ seu vis adamantinæ* libertatem aufferentis, perterritus à Divo Thoma recesserit & defecerit in modo speciali, magisque proprio ad hanc efficaciam comprobandam, quâ Deus quando, ubi & quomodo vult, quodcumque summa facilitate exequitur, ipsi condolemus faciliusque ignoscimus quod præcipuum Adversariorum fundamentum circa naturam contingentium optime destruxerit ex principiis doctrinæ Divi Thomæ & ex Philosophia Aristotelis Sancto Doctori probatissima, quibus a centum annis nihil responderunt Adversarii, quod vel speciem habeat verisimilitudinis.



CAPVT QVARTVM.

Quid dicat Bellarminus, aliàs laudatus & ad examen revocatus? Probatur primò Bellarmini immutatio ex quadam negativa non resistentia ipsi affictâ. Dissimulavit Eupistinus omnes Societatis Iesu Patres laudatos præter Bellarminum & Typhanium, citius redituros ad Thomistas. Non potest gravior injuria affingi Bellarmino, quam si ipsi denegetur præfata immutatio, ab aliis facta in ejus operibus.

Nu. 1. AMice Lector: causa aliqua censeri debet admodùm desperata, cujus patrocinium suscipi nequit sine præjudiciis novæ falsitatis: seu ut apertius loquar; cui non possit quispiam patrocinari, quin illicò omnibus innotescat, quàm immeritò litigare incipiat. Quid simile hic intuemur: nam lib. 2. c. 13. contra Petrum à S. Joseph evidenter demonstravimus Bellarminum fuisse hac in parte immutatum, ut eum suas in partes reluctantem & invitum pertraherent quidam Neoterici: idque probavi,

Primò duabus editionibus Lugduni factis, in quarum una non reperitur quod in altera legitur.

Secundò, idem confirmavi contradictionibus apertis, quibus doctrinæ Bellarmini fides meritò abrogaretur: sed præcipuè convincenti ratione, qua impugnatur *negativa quadam non resistentia voluntatis* Bellarmino suffecta: per quam totum Gratiæ negotium, totamque cooperationem creaturæ conantur explicare sed perperam, & contra Scripturam. *Si voluntas* (inquiunt pro Bellarmino) *sinat se moveri ab objecto: Deus eam applicat: sin minus, non movet.* Nota istud Amice Lector.

At hic Modus, ut dictum est, admitti nequaquam potest: nam *voluntas*

sinens se moveri ab objecto, est voluntas non resistens & non reluctans ipsi objecto: si enim resisteret; hoc ipso non sineret se moveri. At voluntatem non esse reluctantem & non resistentem, est effectus Gratiæ efficacis, ut ubique docet ex Scriptura D. Augustinus contra Pelagianos, nominatim lib. 1. contra 2. Epist. Pelag. c. 19. & 20. legendus etiam Doctor Angelicus lect. 3. in cap. 12. ad Hebr. Nec minus repugnat hic modus Ecclesiæ Orationibus, quibus à Deo postulamus *ut nostras ad se rebelles compellat propitius voluntates*, ut cordis duritiam tollat, cor lapideum auferat, cor carneum conferat, &c.

Deindè ut præfata negativa non resistentia voluntatis palam confutetur, debebat sequenti argumento satisfacere Eupistinus pag. 108. facto, cui ne verbum quidem reposuit.

Ponamus hominem auditâ fide resistere corde indurato his quæ sibi proponuntur: deinde converti à Deo. Inquiro; quando datur illi concursus ut obediat fidei; An præsupponatur illa determinatio negativa, seu non resistentia voluntatis: an non? Si non præsupponitur; ergo ruit tota illa doctrina Bellarmino afficta: quia sine tali negativa voluntatis determinatione, dat Deus determinatum concursum ad bonum (aliàs creatura se ex se determinat ad bonum per id quod erat indifferens ad bonum & malum, & sic seipsam discernit contra Scripturam, & melius est id, quod in semetipsa efficit creatura, quam quod Deus, quod est contra D. Augustinum, & Doctorem Angelicum, omnesque Sanctos Patres.) Si verò hæc negativa voluntatis non resistentia præsupponitur. Ergo quando incipit esse non resistens, aliter se habet quàm antea quando resistebat, ut per se patet. Hanc igitur mutationem vel facit Gratia Dei seu dextra Excelsi: vel supponit illam ab homine factam. Si illam mutationem facit Gratia: Ergo non ratione illius datur Gratia seu Dei influxus, sed ante ipsam datur ut voluntas determinetur, & fiat non resistens. Si supponit factam hanc voluntatis mutationem: ergo ante Gratiam incipit tolli impedimentum ad fidem ex ipsamet voluntate, & habet à se conversionis initium, quia non est modicum salutis initium reddi non resistentem ex resistente, & sic ruit quod ait D. Thomas loco supra citato, scilicet removeri à Deo impedimentum conversionis *ex dono Gratiæ Dei vocantis per misericordiam*; falsumque est (quod absit) Spiritus Sancti Oraculum *Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi*, & ut uno verbo dicam, unâ spongiâ opus est, ut deleatur quidquid de gratia scripsit D. Augustinus. Suntque irrisoriæ aut illusoriæ justorum & Ecclesiæ preces, quibus à Deo postulamus ut rebelles & obduratos convertat peccatores: & sanè est Bellarmino valde injuriosum, istud affingere.

2. Hic obmutuit Eupistinus, qui longè facilius judicavit me conviciis lacessere, quàm huic argumento respondere. Ut tamen aliquem fucum rebus faceret, meque alicujus falsitatis arguere posset, prædicta omnia dissimulavit, ut Chronologiæ Lapsum circa mortem Bellarmini, miris in me exagitaret cavillis *infœlicis astrologi, fallaci dioptrâ usi, &c.* quibus me attollit encomiis: at, jure aut injuriâ, facile innotescet: siquidem non tam est difficultas seu controversia de morte Bellarmini, quàm utrum manifestas in ejus doctrina immutationes ipse fecerit; vel ab aliis factas, viderit & approbarit: si enim illas numquam vidit, perinde est quoad effectum & interrogationem ibidem à me factam, ac si illæ immutationes, eo mortuo factæ fuissent. Nam

gravius Bellarminum ostenderunt, si eo vivente, ejus abutentes benignitate, has fecerunt immutationes; ex quibus hac in parte tota nutat illius doctrina, eóque res processit (si penes hos correctores ulla sit fides) ut de Sanctitatis ejus fama meritò dubitari possit ut statim dicemus: Cum is utpotè doctissimus ac piissimus quidpiam melius excogitare posset, quàm id quod ipsi manifestissimè affingitur, scilicet *non resistentia hac negativa*. Et cum ex duobus malis, minus sit eligendum; nemo justè me cum Eupistino condemnabit, si Bellarminum potiùs judicavi mortuum qui se dicebat morti proximum in revisione suorum operum, ut fatetur ipsemet Eupistinus pagina 229. quàm ipsum traducere ceu virum sibimetipsi contradicentem & in re maximi momenti; ut statim Deo favente invincibiliter ostendam. Audiam igitur apud omnes Eupistino judice tanquam *falsus astrologus* circa determinatum tempus mortis Bellarmini, per me licet, quia ut ait ille immutationi suorum operum tot annis supervixit, quod non potui prudenter ominari; mihi plenè sufficiet, si palam omnibus ostendam Bellarminum aut fuisse (ut ibid. dixi) à correctoribus Germanicis immutatum: aut duo subsequi, quæ statim subjiciam inconvenientia, quæ nemo unquam sanæ mentis adscribet tanto viro; quidquid dicat Eupistinus, asserens quod si error reperiatur in Bellarmini operibus, eum ipse effecerit approbatione suum, quod non parùm derogat ejus Authoritati. Sed miremur solertiam Eupistini.

Ex omnibus à me ibidem laudatis Authoribus Societatis, scientiâ & virtute præcipuis. Primum tantùm & ultimum selegit Eupistinus, relictis septem Aliis: quô unô satis apparet hac in re Eupistinum jure & causâ cecidisse, sive suffragia numerentur, sive (ut aiunt) ponderentur: Etenim septem qui ex illis, pro nobis supersunt, sine ulla controversia, Eupistino tacente, & numero & merito superant alios.

Sed quid si sponte ad nos redeant illi duo, quos vi & arte à nobis subducere conatus est Eupistinus? Antequam hoc ostendamus hic unum occurrit non prætermittendum. Præter graviora quibus usus fueram, argumenta, ad probandum Bellarminum fuisse immutatum, obiter dixeram id constare morali indicio; nempè quod cum plusquam centies reperiretur *ly Prædeterminatio* in Bellarmini operibus; ne semel quidem legeretur in copiosissimo verborum & rerum indice: (quod Deo disponente horum correctorum diligentiam effugerat, ut in alio consimili casu adhuc evidentiori postmodum ostendam) idque in duplici editione Lugdunensi. Quid ergo egit Eupistinus, ut posset me *falsitatis, crassæ ignorantiæ, immò & palpabilis negligentiæ in evolvendis libris* accusare? Aliam tertiam citat editionem scilicet Coloniensem, in cujus indice ait se semel reperisse *Prædeterminationem*: At obsoletus est hujusmodi dolus; tanto intolerabilior, quanto frequentior apud Adversarios in tam frequenti librorum immutatione, ut aliquam possint suis æmulis creare invidiam. Sed relictis his levioribus, ad rem veniamus.

Postquam Eupistinus per plures paginas multam nobis ferruginem exposuit pro vera Bellarmini doctrina: pagina 238. sic ait: *Neque ullus nisi Calumniator temerarius jactabit ista, contra Prædeterminationem à nobis esse conficta, cum tam solidis nitantur fundamentis* ... Cui sic breviter reponam. *Neque ullus nisi stolidus judicat ea quæ obtrudit Eupistinus, à Bellarmino unquam fuisse scripta aut approbata, si ipsum Bellarminum sincerè intueri aut aus-*

cultare voluerit. Sed mera esse figmenta, ipsi ab Adversariis imposita: arenariis fundamentis astructa ab H.nao Secretario & aliis domesticis ad placitum excogitata: ex quibus prior, suâ historiâ, pro scientia-Media historicè propugnata, sub camino (ut aiunt) fabricata: omnibus veritatem scientibus commiserationem movet: satisque ostendit aliquos justam dare dubitandi rationem, etiam dum aliquando quidpiam veri dicunt.

Sed antequam hunc arenarium Eupistini aggerem destruamus: hoc unum in primis petimus ab ipso: in quo scilicet Tribunali partes admittantur in testes? Et cum omnes quos ille adduxit in suarum adinventionum confirmationem sint vel domestici, vel scripta à nullo visa, ex Archiviis Societatis educta: hæc ipsa me cogunt asserere, ab ipsomet Eupistino, Suisque conficta esse, idque merito jure id ita factum esse contendo, post tot falsitates, quibus ipse convictus est Eupistinus: nam ex jure: *Semel malus (adsit verbo venia) semper præsumitur malus*, id est, qui toties fefellit, ei nulla debetur fides: superest igitur aut veritati à nobis propugnatæ acquiescat Eupistinus: aut alios suæ sententiæ inquirat testes.

3. At nos nullum pro Bellarmino nisi ipsum Bellarminum sui ipsius Interpretem sincerum, & Apologistam optimum adducemus: ex quo sic argumentabor. Si Author est Bellarminus Lolii quod in ejus doctrina est respersum, sive id scripserit ipse, sive ab aliis scriptum approbatione & consensu suum fecerit, prout asserit Eupistinus; sensu communi caruit ipse Bellarminus; nec ullus est qui de ejus salute benè possit sperare (quod absit vel suspicari de tanto viro, de Ecclesia optimè merito.) Duæ sunt partes: utramque expendamus. Et quantum ad Primam.

Nullum evidentius perturbati animi indicium, aut magis apertum subversionis judicii & sensus signum in aliquo habere possumus: quàm cum ille sibi ipsi in re singulari contradicit, quam solertiâ ac studio speciali indagare ac rimari studuit, cujus rei examen quodammodo erat ipsi commissum, expectatumque judicium, quod si ita titubet ac cæspitet, ut rem esse dicat, statimque non esse asserat; ab omnibus meritò judicatur ratione perturbatus & ipso sensu communi orbatus. Et quamvis aliquando etiam apud viros egregios reperta sit aliqua contradictio, quatenùs scilicet de rebus valde diversis seu ab invicem plurimùm dissitis differentes, non omninò consequenter loquuti sunt: numquam tamen cum de una, eademque materia, uno eodemque loco cum prædictis circumstantiis expansa: ita ut unum & idem esse simul & non esse dixerint.

Atqui hujus contradictionis vitio & turpitudine fœdant Bellarminum Adversarii, & specialiter Eupistinus, idque doctrinâ, quam ipsi conatur affingere: quamque non aliis firmat argumentis, quàm conviiis & domesticorum seu partium suffragiis subindeque nusquam apud omnes æquos judices admittendis. Majori propositioni hujus argumenti, nemo qui rationis particeps sit, potest non assentiri. Minor verò ex ipso Bellarmino, per totum orbem sparso probatur: nam ipse lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. 14. arguit Almaïnum asserentem Dei Concursum esse tantùm concomitantem & simultaneum. *Falsum est (inquit Bellarminus) quod dicit Almainus, concursum Dei non esse de prærequisitis.* Rationem ipsemet ibid. reddidit, *nam si voluntas humana*, inquit, *est de prærequisitis, quia est causa actionis: cur concursus Dei, qui est etiam*

etiam causa actionis, non erit etiam de prærequisitis? Quô nihil evidentius aut efficacius ad præcludenda omnia Adversariorum subterfugia. Quod notatum velim. Audi jam Amice Lector apertam contradictionem: Quidquid dicit ibidem prætensus Bellarminus, scilicet capitibus 15 & 16, quibus palam impugnat Prædeterminationem, eò tendit, ut ostendat. *Concursum Dei non esse de prærequisitis ad agendum.* Quod est contradictoriè & è diametro oppositum ei, quod supra ex eodem retulimus, quô asseruit contra Almaïnum *Dei concursum esse de prærequisitis quia est causa actionis sicut & voluntas ipsa.* Est igitur ex Bellarmino Dei Concursus de prærequisitis ad actionem: & non de prærequisitis, sed tantùm de concomitantibus & simultaneis. Est prævius ex cap. 14: & non est prævius ex duobus aliis capitibus immediate subsequentibus: quæ est contradictio intolerabilis: Cum ergo Primum Bellarmini testimonium cap. 14. citato contra Almaïnum (imprudenter à Correctoribus relictum) ratione & exemplo voluntatis creatæ (quæ est causa actionis) firmatum, sit non tantùm Adversariorum consensu roboratum, sed & Suaresii lib. 1. de Concursu Dei cap. 4. Ruvii 2. Phys. q. 8. nu. 79. aliorumque adducentium præfatum Almaïnum pro sufficientia concursus simultanei, quem Adversarii à tot annis, Præmotionis seu prævii loco sufficere & obtrudere conantur: inferendum est necessariâ consequutione & quidem evidentiore ipsa luce meridiana; Bellarminum aut sibimetipsi contradixisse, eodem in loco, & in re, de qua, tota erat inter Dominicanos & Jesuitas controversia, eaque maximi momenti, utpotè in qua quæritur: utrum palma sit Gratiæ aut libero arbitrio creato tribuenda, sitque prima gloria boni operis Deo aut creaturæ debita? Aut certè dicendum est, quod fatentur omnes, qui semoto partium studio legunt Bellarminum: doctrinam quam legimus cap. 15. & 16. & alibi passim, sicut & illam; quam Eupistinus eidem affingere conatur, esse adulterinam & ad placitum confictam, ipsique falsò impositam Bellarmino & injuriosam.

4. Quod eò verius ab omnibus æquis judicibus æstimatur, quò Sapientissimi Doctores Lovanienses, aliique Bellarmini Auditores (pro quibus hæc Christi verba usurpare possumus) *interroga eos, qui audierunt;* testentur Bellarminum semper docuisse doctrinam huic olyræ, nobis ab Eupistino porrectæ, contrariam, quam in ejus controversiis legimus locis supra citatis. Roboraturque idem argumentum ex censuris Facultatum Duacenæ & Lovaniensis contra doctrinam Lessii latis, quam tamen Renovate & Bellarmino affingere conatur Eupistinus.

Scio jactatum fuisse ab Adversariis, revocatam fuisse illam Censuram ab ipsa Facultate Lovaniensi; quæ ut hanc falsitatem repelleret, solemni protestatione oppositum declaravit die 26 Febr. 1644: seque in sua Censura *juxta conscientiæ & rectæ rationis dictamen*, perseverare affirmavit, ut testatur ipse Eupistini Amicus pag. 262.

Quid ad hæc, mi Eupistine? certè fatearis necesse est, omnium Cordatorum consensione (Deo qui veritas est, sic disponente) Correctorum Germanicorum diligentiam id effugisse; quô omni studio præ cæteris debebant ex Bellarmini operibus integrum cap. 14. citatum aufferre, ex quo tam aperta infertur contradictio, tanto Doctore prorsùs indigna, & quam nullus sanæ mentis, ipsi unquam affingere poterit.

Alterum verò argumentum uno verbo perstringam: quid sentires de homine, qui in extremis constitutus & Animam redditurus; sciens & prudens, se in aliqua mori opinione protestaretur, quam agnosceret & probabilius crederet, rectæ rationi repugnantem & Scripturæ Sacræ contrariam? Atqui (quod absit) talis est Bellarminus, si fermentum seu ferruginem ipsi ab Eupistino affictam, semel recipiamus. Opus probemus.

Non diffitetur Eupistinus pag. 219. omnes controversias de Auxilio sufficienti & efficaci, reipsâ pendere tanquam ab una radice, à controversia de cooperatione Dei cum libero arbitrio: de qua loquens Bellarminus (quod velim diligenter annotatum) lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. 16. (in quo remansit invitis Adversariis unde sufficienter mens Bellarmini innotesceret juxta doctrinam D. Thomæ) ait: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione Divina: & fortasse etiam probabilior juxta sententiam Divi Thomæ, qui docet cooperationem Divinam ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis: ut non solùm dederit eis & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat & applicet ad opus, ut cognosci potest ex 1 p q. 105. a 5. Et lib. 3. cont. Gent. cap. 70. Et de Pot. q 3. ar. 7. Quæ sententia* (inquit Bellarminus) *videtur esse consentanea, tùm Scripturæ, quæ dicit, nos in Deo esse, vivere & moveri. Act. 17. Tùm etiam rationi & Ordini, quem habet Causa Prima cum secundis, &c.* Ita Ille.

5. His positis; fiduciâ juris, non metuimus partes admittere in testes: At ut refert Eupistinus pag, 236 ex Bibliotheca Societatis pag. 409. *Paulò ante mortem declaravit Bellarminus coram Notario publico & decem testibus; se in ea esse opinione de Divinæ Gratiæ Auxiliis, & materia quæ controvertebatur inter Societatem Iesu, & nonnullos alios Catholicos, ratum verumque habere, quod in controversiarum suarum libris scripserat.*

Illud autem quod nunc in dictis Controversiis legitur, quodque tanquam ex Bellarmini mente nobis obtrudere satagit Eupistinus: est è diametro oppositum & prorsùs contrarium his quæ superius ex ipso Bellarmino retulimus, quibus asserit doctrinam de Physica Prædeterminatione à nonnullis Catholicis propugnatam, *non solùm esse probabiliorem juxta mentem Divi Thomæ, sed & consentaneam Scripturæ & rationi & Ordini Dei.*

Mortuus est ergo Bellarminus (si Eupistini commentariis fidem adhibeamus) ab illa recederis sententiâ, quam cum omnibus nedum probabiliorem ipse judicaret, sed & rectæ rationi, ipsisque Scripturæ Sacræ Oraculis, & ordini Dei omniumque Causarum dispositioni conformiorem agnosceret; & præcipuè ut profiteretur opinionem contrariam, solâ suâ novitate plusquam suspectam, contra quam tot viri doctissimi reclamant, & omnes ferè Universitates; quæ præfatam opinionem voluère omnibus notis expunctam, tanquam falsam & periculosam, expectatâ solâ fidei determinatione, quam ex jure reservarunt judicio Ecclesiæ, cujus sententiam ambiunt Thomistæ.

Verùm enim verò, non existimo ullum esse veritatis Amatorem qui de tanto viro, de Ecclesia optimè merito, hoc inconveniens deglutire possit. At illud sequitur, sicut oritur lux ex Sole, ex doctrina quam Bellarmino affingere conatur Eupistinus. Ergo, &c.

Jucundior fortasse erit Eupistino (quamvis non magis faveat ipsi) aliorum responsio. Dicunt enim Bellarminum sub finem vitæ annuisse suorum operum immu-

tationi morem gerens illis, qui sibi suæque opinioni ex tanti Viri præjudicio metuebant: sed ne quidem verisimile esse, Bellarminum voluisse sic repentè doctrinam D. Thomæ ab ipso laudatam deserere: ac subindè plus deferendum homini præclaras sui ingenii divitias expendenti, magisque credendum iis quæ sanâ mente, sanoque consilio scripserat, quam his, quæ fractis viribus & gravi infirmitate corporis (quod aggravat Animam) oppressus fieri permisit, magis tunc occupatus in negotio suæ salutis æternę, quàm in examinanda doctrina quæ ipsi affingebatur.

SECTIO UNICA.

Fusiùs eadem Bellarmini immutatio confirmatur: falsusque ostenditur majoris pietatis prætextus, teste Typhanio laudato ab ipso Eupistino: Si Eupistino fidem adhiberemus periculosus esset Bellarmini obitus. Cur jam fateantur Neoterici doctrinam de promotione esse probabilem? Testimonium S. Ignatii de Loyola pro doctrina D. Thomæ. Nec fictitiæ sunt falsificationes assignatæ in hoc capite, nec vera est calumnia Hugoni Cardinali imposita.

Videsne mî Eupistine quam parum profeceris, idque in detrimentum & dedecus viri, cujus memoriam in benedictione habemus? cur non das gloriam Deo, & sincerè fateris cum omnibus veritatis Amatoribus, præfatam Bellarmini protestationem sub finem vitæ factam fuisse de non mutanda & deserenda, (quam semper docuerat) hac (quam propugnamus) Sanctorum Augustini & Thomæ doctrina; sed de repudiatis omnibus illis novis opinionibus quas aliorum persuasione inseri permiserat suis operibus *quadam indolis benignitate & spe fructus uberioris*, ut ipsi loquuntur Authores vitæ ipsius: quod vel solis fragmentis supra citatis, inconsideratè relictis in ejus libris, per totum fermè orbem sparsis: & testimonio Doctorum Facultatis Lovaniensis ita efficaciter colligitur, ut jam ferè pro Momo habeatur, qui his minimè suffragetur. Sed hic debebat advertere Eupistinus suum, suorumque subterfugium fuisse occupatum à sapientissimis Doctoribus Facultatis Lovaniensis in justificatione suæ Censuræ. *Si verum est quod scribunt (scilicet illi Neoterici)* Bellarminum nunc suam mutasse sententiam: equidem viderit, à quibus, quam idoneis, justisque causis inductus vel persuasus, id fecerit. Speramus tamen de viri illius ingenio atque doctrina: quod lecto & examinato iterùm diligentiùs Augustino, quâ facilitate priorem reliquit Sententiam, eâdem ad ipsam sit rediturus. Quâ in re prudentissimè ominati sunt, ac præsaga mente ejus reditum denuntiarunt, quo Eupistinus studuit illudere Lectoribus, contra expressam mentem eruditissimi Cardinalis, quæ meridiana luce evidentior apparet, collatis scriptis, quæ in dicta Universitate docuit, cum testimoniis in ejus operibus relictis, Deo sic disponente & veritatis defensioni, suæ Gratiæ commendationi nec non Servi sui famæ ac honori invigilante & consulente.

6. Non poterit quoque ut arbitror, hic non mirari candidus Lector, quàm inconsideratè suum in nos intentum prosequatur Eupistinus, dum pag. 215. asserit Bellarminum dixisse *opinionem Prædeterminationi oppositam*

esse magis piam. Nam si hoc vel leviter suadere volebas, mi Eupistine: certè non potuisti nec debuisti nisi immeritissimè fragmentis tuis ex Bellarmino falsificato adductis pro eadem causa Typhanium immiscere, qui ejusdem quoque pietatis deberet esse assertor, cum dicas ipsum esse Prædeterminationis physicæ, doctrinæ Lessii oppositæ, hostem acerrimum: At tantùm abest ut hanc doctrinam magis piam tecum existimet Typhanius, ut omninò oppositam esse pietati autumet. Nam lib. de Priori pag. 361. veram pietatem esse in præfata D. Thomæ doctrinâ affirmat, asserens *Aptam esse ad ingenerandam & alendam nostram erga Deum reverentiam & gratitudinem: eâque potentiam & ejus erga nos beneficentiam commendari*. Quid quæso augustius dici potest ad commendationem doctrinę D. Thomæ pro qua militamus, & ab homine quem dicis nostrum esse adversarium hac in parte?

Quid non sperabunt Thomistæ & Sectatores doctrinæ Divi Thomæ ab Amicis & Commilitonibus, cum sic ab Adversariis excipiantur? Mereatur sanè Typhanius ut paulò fusiùs audiatur, ut saltem discat Eupistinus legere Authores quos in nos adducit, vel erubescat eorum Authoritates ita palàm dissimulare, aut ita fidenter illis imponere. Audi igitur, Amice Lector, qualiter *magis piam* dicat Adversariorum doctrinam Typhanius. *Hac*, inquit, *orandi studium imminuitur, & debitus Dei honor, omnisque erga ipsum gratitudinis sensus facilè extinguitur*. Quid plura? Certè causa quam suscipis propugnandam, mi Eupistine, debet esse admodum desperata, si non solùm ii (quos existimas tuos Adversarios & Antagonistas) sed is ipse, quem pro te ceu strenuum Defensorem adducis; sic eam aversatur, iisque ipsam depingit coloribus, ut ob eos, vel solos; hæc doctrina omni homini sit fugienda.

Typhanio suffragatur vox Multitudinis, scilicet Universitas Lovaniensis, cujus Doctores anno 1586. sequentem protulêre sententiam, contra doctrinam quam loco Prædeterminationis Thomisticæ satagit Eupistinus sufficere *Scientia hac*, inquiunt, *Dei bonitatem obscurat, justitiam enervat, Scripturis illudit, Patrum testimonia in alienos sensus detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi necessitatem non magnam relinquit, virium propriarum fiduciam ingenerat; quod precipuum est, homini donat; quod minus Deo, Gratiam Dei libero arbitrio subdit, & ejus pedissequam facit....*

Et ne consuetis subterfugiis revocationis aut prohibitionis præfatæ hujus Censuræ possis Lectoribus illudere; scias præclusum esse à Patre Fasseau hunc cuniculum in suo libro, cui titulus est, *Authoritas exauthorata*, pag. 444. & sequentibus, expectatâ à Summo Pontifice (ut par est) solâ fidei definitione, siquidem supra exscriptæ qualitates ejusdem doctrinæ, sunt ita apertæ juxta principia Scientiæ Mediæ, ut eam legisse sufficiat.

Hinc conjice, mi Eupistine, uter nostrûm, ut jactas, infœlicior sit Astrologus, fallaciorique dioptâ usus. Et ut integram fidem absolvas; lege Amicum tuum Consentaneum, pag. 265. ubi pro se & Duacenæ Facultatis Doctoribus sic loquitur contra sparsum rumorem revocationis præfati Judicii Censorii 1649. lati: *Quisquis de nobis aliter quàm nos (scilicet in præfata perseverare Censura) dixerit, pro mendacibus & calumniatoribus habemus: & si opus est, tales eos esse publicè in judicio contradictorio sustinebimus*, Hæc non ego, sed Facultas sapientissima.

7. Præterea hîc tanquam certum suppono, nemine contradicente, Durandum nullum in ordine rerum naturalium admisisse concursum Dei simultaneum, præter conservativum & virtutes habituales : at in ordine supernaturali admisit omnia quæ admittunt Adversarii : unde & revocando ea quæ supra dixit Molina, scilicet *actum liberi arbitrii creati non esse aliter à Deo, nisi quatenus eam dedit facultatem.* Quibus si addatur id quod asserit Eupistinus, à Deo non moveri effectivè & directè liberum hominis arbitrium, seu ex parte principii effectivi, sed moraliter tantùm ex fine & ex parte objecti; & ideò Patres Societatis non teneri hac in parte sequi doctrinam Divi Thomæ. Debebat idem Eupistinus aliquam nobis indicare differentiam inter doctrinam Molinæ, & Lessii, & doctrinam ipsius Durandi, quantùm ad ordinem supernaturalem.

At Bellarminus lib. 4. de Gra. cap. 14. asserit *doctrinam Durandi, hac in parte, falsam esse, Scripturis, Patrum testimoniis, & rationi repugnantem.* Si ergo Bellarminus morti proximus, doctrinam Lessii, Molinæ, & prædictorum prætulit doctrinæ Divi Thomæ ab ipso laudatæ (ut fragmenta ab Eupistino nomine Bellarmini inducta testantur) mortuus est Bellarminus in opinione, quam ipse sanâ mente sanoque consilio pronuntiavit *falsam, Scripturis contrariam, Patrum testimoniis & rationi repugnantem.* Quis ad hæc, non obstupescat aut dici patiatur de tanto viro?

Denique revocentur in memoriam quæ diximus supra lib. præcedenti, cap. 12. de Gratiæ efficacia, & conferantur cum his quæ Eupistinus collegit, tanquam à Bellarmino scripta : & si mavis cum tota Adversariorum hac in parte doctrina. Lectorum & ipsius Eupistini conscientiam obtestor, an major sit convenientia inter horum Neotericorum placita, & traditam sancti Præsulis doctrinam, quàm inter album & nigrum : Et tamen si apud Eupistinum ulla sit fides, diem ultimum clausit Bellarminus omninò institutus & imbutus doctrinâ Adversariorum, & à D. Augustino alienissimus, cujus doctrina, Baronio Cardinali teste in Notis ad Tomum X. *ladi nunc aut ulla ex parte impugnari aut reprehendi non potest, sine manifesto viginti & amplius Summorum Pontificum contemptu, & sine singulari sanctæ Sedis Apostolicæ injuria.* Sicque vir piissimus naufragium fecit in portu, & is qui per totam vitam Summorum Pontificum defendit Authoritatem & Ecclesiam, propè mortem illos contempsit, ac Sedis Apostolicæ jura temeravit reprehensione & impugnatione doctrinæ sanctissimi Præsulis, quem omnes Catholici intuentur ac venerantur ceu lumen Ecclesiæ. Quis hoc ferat? aut quis ex odio tantùm obesse posset Bellarmino, quantùm nocet Eupistinus obsequio?

8. Non minus justæ erunt nostræ de Eupistini fide expostulationes circa ea quæ sequuntur : nam Bellarminus benè omninò ex Scripturis & D Augustino semper defendit libertatem creaturæ, salvâ Gratiæ efficacia contra Hæreticos nitentes libertatem reducere ad solum motum spontaneum, solâ coactione remotâ; unò verbô, ad conditionem brutorum : & hunc modum perpetuò rejicit Bellarminus, & meritò, veramque libertatem tuetur immunem necessitate, etiam sub Gratia efficaci, quæ non nocet, sed favet libertati : id quod explicat Doctor Angelicus de Verit. q. 22. a. 8 mirabili discursu unius inclinationis alteri succedentis, & exemplo lapidis, cui naturalis esset motus sursùm, si Deus tantùm ei daret levitatis, quantùm prius habebat gravitatis;

ſicque perſpicuè explicat libertatem creaturæ, & oſtendit voluntatem creatam nunquam cogi poſſe, cum ſit eſſentialiter inclinatio.

Quid ergo egit Eupiſtinus? Is pag. 232. citatum Divi Thomæ articulum molitur in fumum redigere, & modum in Hæreticis impugnatum conatur obtrudere pro eo quo defenditur libertas creata ſub Gratiæ efficacia; idque his verbis à Bellarmino prolatis: *Non volumus ſignificare Deum ex mente Divi Thomæ, re ipsâ uti primo illo modo cum movet homines per Gratiam efficacem.* Quod eſt veriſſimum; non enim per Gratiam redigit Deus creaturam ad ſolum motum ſpontaneum, ſed illius ſervat libertatem & contradictionis indifferentiam.

Profectò non poteſt major eſſe Lectorum ludificatio, nec turpiùs imponi Bellarmino, quàm ſic unum obtrudere pro alio: nam hic modus qui à nobis ex D. Thoma etiam ſub Gratia propugnatur, eſt Deo Optimo maximè proprius, per quem hominis pravi mutat voluntatem, & cor Regis inclinat in quodcumque voluerit; auffert cor durum & lapideum, & dat cor carneum. Quam ob cauſam dixit Bellarminus ſincerus ſupra laudatus, præfatam Divi Thomæ doctrinam *eſſe non ſolùm rationi & ordini, quem Cauſa Prima habet in ſecundas magis congruentem, ſed etiam Sanctis Patribus & Scripturis ſacris plenè conformem.*

Certè (ut tuis utar verbis, mi Eupiſtine) *neſcio quâ fronte* auſus ſis à te relatum tot paginis lolium nobis tanquam ex Bellarmino objicere, pro vero ipſius tritico, quod non ita fuit ex ipſo eradicatum, quin adhuc ſufficienter innoteſceret (ut ſatis patet ex dictis) egregia hujus viri doctrina.

Quapropter ſanctè, morti proximus proteſtatus eſt Bellarminus, *ſe nunquam mutaſſe primam, quam ſemper docuerat de Gratia, ſententiam.* Quod perperam contra ipſius mentem & manifeſtam veritatem ad aliud, ſeu aliâ inventione dictum referebat Eupiſtinus pag. 239. Quæ revocatio æquiſſima judicabitur, ſi perpendat Lector eruditus Bellarminum non permiſiſſe immutationem ſuorum operum, niſi ob ſpem converſionis Hæreticorum, ut etiam referunt Authores, qui ejus vitam ſcripſerunt: at ubi primùm agnovit id non prodeſſe, ſed obeſſe, ritè revocavit: quod verò obſit converſioni Hæreticorum, id quod inſertum eſt ejus operibus, notavit ſupra laudata Cenſura Lovanienſis omninò legenda.

9. Sed quî fiat iſtud, non injucundum erit paulò fuſiùs rem Lectori exponere, nec forſitan Eupiſtino ipſi prorsùs inutile. Ex Gratia efficaci in Scripturis expreſſa, perverſam eduxerunt Hæretici conſequentiam, liberi ſcilicet arbitrii creati everſionem. E contra Doctores Catholici & ipſum Tridentinum, potiſſimùm hac de cauſa convocatum, retentô hoc veriſſimô principiô, nempè efficaciâ Gratiæ, negarunt conſequentiam, & ſub Gratia efficaciſſima intactam & illæſam propugnarunt libertatem, non ſolùm à coactione, ſed etiam à naturali neceſſitate, ſupra quam, gradum facit libertas creata propius ceu major perfectio, magiſque ad Deum accedens.

Hos ſequuti ſunt Thomiſtæ, & ex Scripturis, nec non principiis doctrinæ Divi Thomæ oſtenderunt & quidem demonſtrativè, præfatam Hæreticorum conſequentiam eſſe omninò falſam; quia cum virtus Dei ſit Cauſa Univerſalis & efficaciſſima, eſt cauſa non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam actûs, ſed etiam quantùm ad modum ipſius liberum, ut ait D. Thomas, 1. p. q. 19. a. 8. quô

unô, in fumum abeunt omnia Hæreticorum & Adversariorum argumenta, ex prætensa læsione libertatis repetita, ut solâ evidentiâ coactus est fateri Cardinalis de Lugo.

Quid ergo egerunt ipsi Thomistarum Æmuli, ne ipsis subscribere, aut à sua priori sententia recedere viderentur? Post interminatas tot annorum disceptationes, quibus prætextu libertatis, Prædeterminatio physica, tanquam rupes fluctibus maris, fuit ab ipsis agitata: tandem aliquando devenére, ut doctrinam, aliàs malis, ne dicam horrendis hæreseos notis expunctam ab ipsis, jam cogantur admittere, saltem ut probabilem. Ita Eupistinus ipse, & Cardenas cap. 1. relatus.

Si verò quæras ab ipso Cardena, cur Thomistarum doctrina de Prædeterminatione physica, sit tantùm probabilis, non verò convincens & demonstrativa? Seu quare per eam non demonstrativè, sed tantùm probabiliter salvantur argumenta Hæreticorum?

Quia, inquit, inde *sequeretur doctrinam Iesuiticam esse evidenter falsam.* Qui veriùs respondisset, si non Jesuiticam dixisset, sed suam & Claudii Aqua-Vivæ & Asseclarum ipsius. Nam si quæ doctrina dicenda Jesuitica & Societatis, hæc sanè est, quæ S. Ignatio ejus Fundatori, illiusque Socio Salmeroni, S. Francisco de Borgia, unô verbô, omnibus Primis ac doctissimis totius hujus Societatis Patribus infra laudandis, est propria. At talis est doctrina de physica Prædeterminatione, in qua sic ipsi conveniunt cum Thomistis ut eam ex ipsis de verbo ad verbum exscripsisse videantur.

10. Si igitur ad has ageremur angustias, ut ex duobus malis minus esset eligendum; longè minus esset inconveniens ut doctrina Eupistini & horum Neotericorum, contra sanam suorum Majorum voluntariè & sine ullo fundamento excogitata, & adversus Scripturam, Concilia, Sanctos Patres, ac celeberrimas totius Orbis Christiani Universitates variis artibus & innumeris suppositionibus falsis inducta; ab omnibus, ut falsa habeatur, quàm ut in ullo vel apice faveamus, aut conveniamus cum Ecclesiæ hostibus. Atqui, ut rectè notavit Censura Lovaniensis, horum Neotericorum doctrina hac in parte favet Hæreticis: si enim, ut ait Cardenas supra citatus contra Caramuelem, per doctrinam de Prædeterminatione, non evidenter & demonstrativè, sed tantùm probabiliter solvuntur argumenta Hæreticorum ex Scriptura perperam & falsò accepta; sequitur in suo robore illorum argumenta remanere: & quia istud ipsis summoperè adulatur: mirum etiam in modum foveret schisma ipsorum, qui ex principiis Defensorum Probabilitatis, ipsiusque Caramuelis, arbitrari possent suam doctrinam esse saltem probabilem, ac subinde juxta eorumdem principia sufficere ad securitatem conscientiæ. Quæ omnia cum sint falsissima, satis apparet quàm periculosum sit, & præsertim hac in parte, recedere à doctrina Divi Thomæ, *qui* (ut legitur in ipso Exercitiorum S. Ignatii libro) *speciali Providentiâ Dei, datus est mundo, ut dogmata ad salutem necessaria exactiùs traderet atque definiret.* An sancto tuo Patriarchæ audebis contradicere, mi Eupistine?

Si hæc & id genus alia pacatum efficere potuissent Eupistini animum, finem dicendi hîc libentissimè fecissem; sed inde vehementiùs in nos insurgit, asserens nos meris egisse figmentis: paginâ siquidem 238. ait: *Quamvis simplex figmenti oppositio aliquid valere possit contra eos qui de dolis & frandi-*

bus pro sua opinione tuenda excogitatis, aliquando fuerunt convicti; nihil tamen valere potest, &c.

At si necesse sit, non figmenta, sed realia exempla, eaque adeò convincentia producemus, ut obmutescat Eupistinus, nosque forsitan convitiis & schomatibus vi vel spontè desinat lacessere: etenim si hîc mihi liceat usurpare pro Angelici Doctoris defensione, id quod quispiam dixit pro sancto Præsule Augustino: fidenter dicam, ad mitigandum Eupistini animum: *Totius in eum pugnæ ratio mutata est, & patientiam nostram expertis crevit audacia Sed increscentis mali magnitudo valebit ad remedium, ut eò faciliùs fugetur malum quò minùs tectum.*

II. Si unus esset in toto mundo Sinnichius, non debuisset Eupistinus, quantùm ad falsificationem, detruncationem seu immutationem Authorum tanto fastu suis insultare Æmulis, sive eos tantâ verborum amaritudine & præfidentia provocare. Nam ex certis ejusdem Sinnichii operibus, tanta aliàs mihi insonuit *quarumdam consonantium dissonantia*, totque infidos lapsus notavit in relatis ab Adversariis, Authoribus, & nominatim Divi Thomæ testimoniis, ut ob hæc vel sola, meritò silere debeat Eupistinus.

Sed quid tandem in ipsum peccavi, aut quorsùm sic ille invehitur adversum me? Quod Bellarminum de Ecclesia optimè meritum ostenderim in suis operibus immutatum; ex qua immutatione impossibile est Bellarminum Bellarmino conciliare, aut ipsum eripere ex manifestis contradictionum vitiis, tanto viro prorsùs indignis.

Verùm an à veritate aut religiosa mansuetudine & modestia in hoc recessi? Etenim cum non possem factum denegare, aut ullâ tergiversatione, pro merito causæ & defensionis susceptæ, illud dissimulare, totâ quâ potui benignitate excusatam habui hujusmodi Correctorum intentionem, prout in similibus faciendum suadet D. Bernardus, asserens id factum esse ab ipsis bonâ intentione, scilicet *spe fructûs uberioris reportandi ab Hæreticis;* sive ut heterodoxos possent ad Christi fidem faciliùs reducere: quod totum in hujusmodi Correctorum laudem & zelum (etsi non secundum scientiam) cedebat!

Et tamen ob hoc tantâ acerbitate & æstu in me accensus est Eupistinus, totque dicteriis me impetit, ut tanquam *impostor & sycophanta* apud omnes audiam, nisi evidenter ipsi ostendam, hanc artem immutandi Authores in suum commodum & utilitatem, non esse novam & insolitam ipsis Eupistini Asseclis: quod certè mihi facillimum erit: sique hac in re uti vellem istâ Carderæ regulâ pag. 77. sui libri, nu. 33. *Potest interdici liber vel opinio, sine eo, quod ejus doctrina condemnetur, v. g. Biblia ad vulgare idioma translata.* Hîc non aliquas Authoritates, sed integra volumina in hujus rei fidem in medio proferrem. Legat qui voluerit caput undecimum libri præcedentis, in quo quinque sunt ad minus apertæ falsitates à Cardena commissæ in referenda Divi Thomæ doctrina in gratiam Probabilitatis, quàm falsò conatur ipsi affingere. Quibus si addere volueris 28 Thomistas à Magistro Philosophiæ Gratianopolitano & aliis, falsò quoque citatos, tanquam primos Probabilitatis Authores vel Patronos: totidem numerabis falsitates; sed ad alia properemus.

Edidit P. Jacobus Granadus, Societatis Scriptor, commentaria in Summam Angelici Doctoris, in quarum prima editione extabat egregia præfatio in commendationem

mendationem doctrinæ Divi Thomæ, quinque constans capitibus, *1. de excellentia & dignitate S. Theologiæ : 2. de ejus jucunditate & stylo : 3. de S. Thomæ Aquinatis ingenio atque doctrina mirabili : 4. universæ Theologiæ partitio : 5. Epilogus Præfationis ad Lectorem.* Sed quia plura in illis sibi valdè contraria & admodum incommoda repererunt Asseclæ Claudii Aquavivæ, ea ut vitare possent, aliam Authoris ejusdem fieri editionem curarunt Mussiponti, anno 1624. in quarto, Sumptibus Sebast. Cramoisy, in qua hanc Præfationem abstulerunt.

Sed singulari Providentiâ Dei, in invictum hujus rei argumentum remanserunt in tabula seu indice rerum prædicti capitum tituli, eo quo hîc leguntur ordine, & prout erant in prima editione. Quid ad hæc, Eupistine? illud vocabis *simplicem figmenti oppositionem?*

12. Hîc adhuc unum adjiciam, quod licet leve videatur, non est tamen, ut loquitur Eupistinus, *simplex figmenti oppositio.* Id verò in hoc consistit. Non semel diximus juxta D. Thomam, duplicem esse determinationem : unam scilicet per modum naturæ ; alteram verò per modum libertatis. Et quia inde nonnihil affulget luminis pro tuenda D. Thomæ doctrina hac in parte ; referens Antonius Richardus edit. Paris. an. 1664. apud Cramoisy, pag. 250. sequens D. Tho. testimonium 1. 2. q. 13. a. 2. *Cum electio sit praacceptio unius respectu alterius, necesse est quòd electio sit respectu plurium quæ eligi possunt : & ideò in his quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet.* Cautè prætermisit Antonius, ly *penitùs* quô unô solvitur difficultatis nodus : nam per hoc manifestè excluditur determinatio naturæ, quæ re ipsâ est penitùs ad unum determinata : non verò illa determinatio quæ est agentibus liberis propria, in qua, ut toties diximus, integra ad oppositum facultas relinquitur.

13. Cornelius à Lapide, tom. in 4. Prophetas Majores Antuerpiæ apud Nutium 1625. edito, pag. 19. duas extremas distinguit sententias ; seu, ut loquitur, Interpretum genus (prætermissô tertiô, *Unum Judaicum .... alterum Allegoricum. Primi generis* (inquit Cornelius) *sunt Authores Rabini, Judaismi Propugnatores, & Christi ac Christianismi hostes, quos incautè nimis sequuntur subinde Hugo (scilicet Cardinalis ....* Et loquens de hujusmodi Interpretibus, quorum sectatorem & aliorum consortem esse nostrum Hugonem, falsò ait Cornelius, subdit : *Indignantur hisce non pauci Interpretes & Doctores, atque acriter eos perstringunt, nec immeritò ..... Quid enim est aliud, quàm Judæorum cæcitatem fovere, iisque arma suggerere, quibus Christianos oppugnent ?* Verùm quid magis injuriosum fingi potest adversus Authorem Christianum? At ut omnibus innotescat, quàm falsò sugillet Hugonem Cornelius, sciendum est subtilissimum juxta ac facundissimum Cardinalem commentaria edidisse in totam sacram Scripturam juxta quatuor ipsius sensûs, scilicet litteralem, allegoricum, anagogicum & tropologicum, juxta quos omnia distinxit indigitando quid ad litteram rei veritati, quid historicè Synagogæ, quid Ecclesiæ, quid Cyro, quid Christo, quid Judæis & quid Christianis conveniat. Et ut quivis esse possit hujusce rei testis oculatus ; legat eumdem Hugonem tom. 4 Coloniæ Agripinæ apud Gymicum 1621. edito in cap. 8. Isaïæ pagina 22. ex quo facilè judicabit quæ fides adhibenda sit Cornelio hac in parte : ait enim prædictus Hugo : *Dividitur hoc caput in*

Xx

quinque partes. Primò, partus Virginis & nomen pueri nasciturі describuntur. Secundò, vastitas Syriæ... Tertiò, jubetur solus Deus timeri... quod quia non fecerunt Iudæi, fuit illis (scilicet Christus) in lapidem offensionis & petram scandali... Deinde dicitur liber grandis, scilicet dignitate propter partum virginis qui in eo describitur.

His præmissis, peto quæ gravior aut atrocior inferri possit injuria viro de tota Ecclesia optimè merito, qui præter opus Concordantiarum (quo uno doctos omnes sibi devicit) ingentia sex alia edidit volumina in utrumque Testamentum: primusque universam Scripturam cum illa mirabili methodo quatuor sensuum exposuit) quàm illum accensere iis *qui fovent cæcitatem Iudæorum?* Seu ut paucis complectar: per Cornelium non stat (ut ejus utar verbis) quominùs hîc Cardinalis Religiosissimus, jam apud omnes audiat ceu *fautor Iudaismi ac Christi atque Christianismi hostis infensissimus.* Sed quid hîc immoror in recensendis sigillatim factis ab Adversariis Thomistarum falsificationibus aut injuriis, cum in sola Ethica Christiana nuper in lucem Parisiis edita apud *Conterot*, anno 1673. disp. 2. pag. 52. & seq. intueri liceat 24. ipsius D. Thomæ testimonia à ficto Amadæo & Terillo, aut corrupta, aut adeò perperam exposita, ut facilius dixeris lumen oriri ex tenebris, quàm vel verisimilia suspicari possis, quæ sancto Doctori affinguntur ab ipsis?

Sed ne diutiùs hîc Lectorum patientiâ abutamur, ipseque agnoscas, mi Eupistine, tuâ tàm injustâ quàm importunâ (quâ me urges & cogis ad ea detegenda, quæ ex animo vellem esse occulta, vel saltem nunquam scripta) provocatione, me non excedere (ut aiunt) moderamen inculpatæ tutelæ, quotiescumque bene visum tibi fuerit, & id ita fieri authenticè postulaveris, tibi indicabo virum (cujus nomen ex charitate reticeo) qui in exiguo satis opere, ex quadraginta duobus Divi Thomæ testimoniis pro se adductis; triginta sex ita corrupit & immutavit, ut sæpius negativam pro affirmativa, aut è contra usurparit.

Si ad hunc excusandum dicere voluero, id ipsi inadvertenter contigisse, aut bonâ intentione id factum esse, omnium fortasse irrisionem non effugiam; & exinde me pronum illicò facilè quisque judicabit ad excusandas excusationes in peccatis. Quod si eamdem mecum nonnulli habeant hac in re benignitatem, præter ea omnia quæ apparent; non dubito tamen quin periculosissimum omnes judicent tales habere Interpretes Divi Thomæ, quantumvis jactent se super senes intellexisse. Sed de hoc fusius in 2. Appendice.

Cæterùm, alterum ipsius Bellarmini contestem Typhanium audiamus, quem Eupistinus ait hostem esse acerrimum Prædeterminationis. Quare sit



CAPUT QUINTUM ET ULTIMUM.

In quo Typhanius iterum ad examen revocatur. Dolus Eupistini & fraudulenta ejus jactantia aperiuntur. Dilemmate irretitus est Eupistinus, & propriis sui Asseclæ testimoniis convictus. Alia dissimulatione laborat Eupistinus, & propriæ famæ in hac causa renuntiasse videtur.

Nu. I. SI ille qui falsitatis apertæ semel est in judicio convictus, nullam amplius fidem mereatur: post duos Eupistini libros, in quibus tot graves aperti sunt lapsus & dissimulationes ingenuo homine penitùs indignæ; hîc non deberemus immorari diutiùs in confutandis, quæ falsò nobis ex Typhanio imponit: Attamen in Gratiam Lectorum, hîc ea referemus ex ipso, quibus ipse Eupistinus ad pœnitentiam salutarem moveatur.

Et ne quis suspicetur eidem Eupistino à me quidquam imponi, ipsius verba hîc fideliter referam, ex quibus mens ipsius facilè innotescet: nam pag. 271. iteratâ monitione ad Lectorem, illum sic alloquitur: *Hujus Extracti doctrinam, benevole Lector sincero veritatis studio diligenter expende, & mecum mirare, quâ fronte Typhanium, ejus Authorem, pro sua Prædeterminatione citare audeant Iacobus à Sancto Dominico... & P. Fassean, cum ignorare non possint (si ejus, quem citant, librum, viderint) ipsum esse acerrimum Prædeterminationis physicæ Adversarium. Legant*, inquit, *hoc Extractum, si eis libri copia desit; propriis oculis convicti, fatebuntur se deceptos fuisse, & pro opinionis suæ Patrono, imprudenter infestissimum ejus hostem adduxisse.* Ita ne, mi Eupistine? Deus bone, quàm verè sanctéque dictum! *Ante ruinam exaltatur cor.*

Certè si existimasset Eupistinus omnes homines fore à Deo cæcitate percutiendos, ita ut nullus unquam posset tantam falsitatem deprehendere, adhuc ille non sic loqui debuisset, propriâ saltem reclamante conscientiâ, nisi fortè dixeris ipsum fuisse sequutum doctrinam illorum, qui dicunt unumquemque posse privatæ conscientiæ obsurdescere, ut illam quærat in libris Casuistarum, ex quibus non pauci tuentur usum æquivocationis & restrictionum mentalium, quibus tota confunditur Societas humana, nullusque certus superest locutionis aut conversationis modus.

Sed antequam ad tantæ jactantiæ repressionem me accingam, unum præmittam; quô auditô, quin obstupescat Lector nequaquam dubito: Eupistinum scilicet, aut nunquam intellexisse statum hujus controversiæ, cujus se constituit Judicem, aut nullum turpiori unquam dissimulatione usum fuisse.

Quod ut evidentissimè ostendam, dico duobus modis ab aliquibus explicatum fuisse prævium Dei Concursum: Primò, impressione qualitatis, seu appositione alicujus formæ absolutæ: Secundò, consuetô motionis virtuosæ vocabulô.

Prior modus ab Adversariis intelligitur, perpetuóque à tota Thomistarum

schola rejicitur: ita dux ipsorum Doctor Angelicus, 1. p. q. 110. a. 2. *Dupliciter*, inquit, *ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur. Vno modo in quantum Anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoscendum.... Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus*. Præfatus ergo motus (ut ait D. Thomas de Pot. q. 3. a. 7. Et in 4. Sent. dist. 1. q. 2. & 4. non est forma absoluta aut qualitas, ut fatetur etiam Typhanius pag. 263. *Sed est aliquid incompletum per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento Artificis cum eo utitur*.

2. Hic igitur est alter Modus, qui à nobis (utpote notior in Angelico Doctore) propugnatur: à quo non recedit Typhanius, ut patebit ex Divi Thomæ, quæ pro se adducet, testimoniis; sed tantùm à primo prorsus alieno à Doctore Angelico, negante formam aliquam absolutam, vel qualitatem tribui à Deo actu ad agendum causis secundis.

Alterum verò modum paulò fusiùs passim explicuit Typhanius, asserens pag. 241. quî (sine prædicta qualitate, rectè intelligitur, quomodò Deus naturâ priùs agat, quàm causa secunda. *Nam & Sol*, inquit, *per lumen calorem producens, & aqua per suum frigus manum frigefaciens; & Anima per suas potentias & habitus, actus suos eliciens.... nullam superaddunt vel imprimunt qualitatem sive physicam, sive intentionalem. Igitur neque Deus agens cum causis secundis.*

Audi jam & quàm ritè ad mentem Divi Thomæ explicet hunc modum Typhanius citatus pag. 264. *Vsus*, inquit, *motio & instrumenti virtus, est veluti quid medium, quô vis & efficacia agentis principalis transit in effectum.* Nam 3. p. q. 64. & alibi: *Illud esse incompletum virtutis instrumentalis, comparat motui*: immò ipsum appellat *Motum. Qui est actus imperfectus ab agente in patiens: At certum est motum non esse formam mediam ab agente & patiente re distinctam; sed solùm metaphoricum quemdam egressum & exitum ipsius termini ab agente*. Nota hoc.

Præterea ibidem ait Typhanius (esse illud incompletum) *esse quoddam (esse) transiens ex uno in aliud*; hoc est, ab Agente principali in effectum: igitur si transit, non remanet in instrumento. *Itaque sicut est transitus metaphoricus, sic est*, inquit Typhanius, *qualitas & forma tantùm metaphorica, quâ virtus activa agentis principalis suam efficaciam per instrumentum transmittat in effectum.* Ex quibus satis apparet ab ipso impugnari solummodò formam absolutam aut qualitatem permanentem; non verò motum virtuosum seu illud esse incompletum & transiens, quale est in instrumento, dum actu agens principale illô utitur, ut supra dixit.

Sed ut cognoscat Lector Typhanium ne quidem tantillùm recedere ab Angelico Doctore hac in parte; addit ibid. ex Divo Thoma, quæst. de unione Verbi, a. 5. ad 12. *Agens*, inquit D. Thomas *non semper dat instrumento novam formam vel virtutem quiescentem in ipso: & tamen instrumentum in quantum movetur ab agente, consequitur quamdam intentionalem virtutem per influxum agentis, qui per instrumentum transit in effectum*. At quid verius aut aptius potuisset unquam excogitari pro defensione doctrinæ Divi Thomæ, pro quo militamus, quàm quod citat Typhanius? Idem explicat ibid. Typhanius pag. 265. ex D. Thoma 3. p. q. 19. a. 1. ubi ait: *Operatio qua est rei solùm secundùm quod movetur ab alio, non est alia*

præter operationem moventis ipsam. Ubi adhibet exemplum Fabri & Scribæ malleô & calamô utentium.

3. Quod idem est ac illud quod toties diximus, unam scilicet esse Dei & creaturæ operationem, prout ista priùs naturâ est à Deo; quàm ab agente creato. Et quia maximè adhæsit Typhanius essentiali dependentiæ, quam habet creatura à creatore; juxta quem modum magis dependet à Deo quam radius à Sole, ut toties diximus ex Angelico Doctore, qui id ipsum repetit opuscul. 60. Post hoc & id genus alia sic concludit Typhanius lib. de priori cap. 65. in fine *Motio quâ Deus causas secundas movere dicitur; aliud nihil est, quam ipsarum applicatio & usus ad earum effectus cum illis & per illas producendos: vel est ipsa causa secunda, prout Deus cum illa & per eam effectum attingit.* Qui modus ritè intellectus est ipsissimus à Thomistis ex D. Thoma propugnatus, ut satis ipse declaravit Typhanius D. Thomæ testimoniis ab ipso supra laudatis. Quid enim aliud sibi vult istud quod supra retulit ex D. Thoma, *instrumentum in quantum movetur ab agente, consequitur quandam intentionalem virtutem per influxum agentis, qui per instrumentum transit in effectum?*

Quod magis premens, & nobiscum excludens formam aut qualitatem permanentem pag. 261 ait: *tantum esse bonum ipsum actum liberi arbitrii à Deo moti, quô præparamur ad Gratiam habitualem suscipiendam*, juxta quod, illud Scripturæ toties retulimus *voluntas præparatur à Domino.* Si prædicta ab alio quam Eupistino essent relata, facilius ipsum haberem excusatum, vult enim Typhanius nobiscum & cum Scriptura ut patet, per Dei Motionem præparari voluntatem nostram ad Gratiæ habitualis susceptionem: ergo contra omnes Adversarios solius concursus simultanei Defensores, Deus influit in liberum arbitrium, illudque ab ipso immutatur & aliquid in ipso recipitur quô disponatur; secùs enim nequaquam disponitur sicut nec dicitur aliquis cibus, caro v. g. ad comestionem disposita, quandiu remanet intrinsecè non mutata.

4. Quid igitur egit Eupistinus ut per ipsum apud omnes audirem tanquam *vir, qui alios decipere vellem, aut saltem qui Typhanii librum numquam vidissem?* cautè usus est dissimulatione, fingens se numquam vidisse distinctionem seu animadversionem quam feceram modi, quo ipse Thyphanius mentem Divi Thomæ interpretabatur ac Prædeterminationem tuebatur, qui re ipsa non differt à nostro ut patet ex relatis supra ab ipso Divi Thomæ testimoniis: hæc ergo mea sunt verba sequentia, quibus objectioni respondebam lib. 2. stellæ cap. 16. pag. 118. nu. 4. in fin. *At quis nesciat, inquiebam, non unâ viâ adiri veritatem, plurimumque ad ejus gloriam referre, si diversis muniatur præsidiis, & plures habeat vindices, qui diverso armorum genere eam tueantur?* Quid ad hæc Eupistine? Quis nostrum usus est dissimulatione? Profectò si nec conscientiæ nec veritati litare volebas; famæ tuæ saltem melius consulere debebas; poterasque discere ab Angelico Doctore in cap. 12. Apoc. quem melius penetraverat Typhanius, *non esse deviationem propter hoc à recto intellectu secundum Augustinum, licet unus intelligat alio modo quàm alter: vel licet unus intelligat pluribus modis.* Et hoc ipsum est quod dixeram, quodque non debuisti dissimulare, *diversis scilicet præsidiis munitam esse veritatem.* Dic ergo cum Typhanio à te laudato lib.

de Priori cap. 63. *Motionem qua Deus causas secundas movere dicitur, esse ipsarum applicationem & usum ad earum effectus cum illis & per illas producendos*, jamque pax firma erit inter nos: unusque tibi supererit labor, ut una spongia deleas, quidquid hac in parte à centum circiter annis à tuis scriptum est contra Thomistas: ipseque dolebis pro tempore tam malè in nos insumpto. Sed ad hoc primum dissimulationis Eupistini exemplum, alia accedunt argumenta, quibus magis declaratur ipsum vel numquam intellexisse controversiam, quam suscipit dirimendam: aut certè voluisse lectoribus perpetuò illudere: duos istos parietes unâ fideliâ dealbabimus.

Legant hoc Extractum (*inquit Eupistinus pag. 271... ab ipso scilicet factum ex Typhanio*) & *videbunt generalia Prædeterminationis fundamenta* (*in quocumque demùm ponantur*) *penitùs eversa.* Videamus igitur quî factum sit istud. Quod certè est mirabile. Quatuor fundamenta Prædeterminationis physicæ lib. 2. cap. 1. contra Petrum Fuliensem posuimus, nempè Universalitatem voluntatis divinæ: ejusdemque efficaciam. Ex quibus alia duo deduximus, scilicet voluntatem Dei esse causam non solùm facultatum & ipsius voluntatis; sed etiam operationum, ejusque volitionis: quas subinde diximus cum Angelico Doctore in Deum tanquam in causam proximam & immediatam esse reducendas.

5. Ex his quatuor principiis infertur à D. Thoma Conclusio generalis pluries ab ipso repetita, nimirùm quod Deus si *non tantùm principium habituale in creaturis capacibus actionis, sed & actuale omnis operationis etiam liberæ: sit etiam causa rerum in fieri & in facto esse: sicut Sol est causa illuminationis aëris, quandiu lumen est in aëre. Et hæc omnia comprehendunt Thomistæ sicut Iliadem in nuce, nomine Præmotionis Physicæ. Quare nihil mirum, si Thomistarum Æmuli nihil intentatum relinquant, ut hanc basim seu fundamentum destruant. Nam sicut antiquus ille Philosophus jactabat se posse totam mundi molem subvertere, si extra orbem posset ipsi punctum assignari, cui sua Machina esset innixa. Ita si novo nostro Archimedi Eupistino concederemus hoc punctum, id est, Præmotionem non esse ex doctrina Divi Thomæ: facili negotio non solùm totam ejus doctrinam de Gratia efficaci destrueret: sed & Animum ab ipso fidei centro, Dei scilicet Omnipotentia, (quæ una fulcitur ceu primo fundamento hac in parte, doctrina D. Thomæ, facile dimoveret.* Hoc posito, jam non inquiro mi Eupistine, an generalia hæc fundamenta, vel aliquod ex ipsis Typhanius everterit; sed an sit vel unum quod non confirmaverit? Melius dicam, si inquisiero, an aliquod sit oppositæ opinionis (quam suscepisti propugnandam) quod ille funditùs non destruxerit? Audi ergo. Primò non negas pag. 272. *Extracti tui* (ad placitum tuum à te fabricati) Typhanium asserere *Scientiam Mediam esse falsam.* Quam tamen in antiquis cineribus non inquisierant ejus Authores, nisi ut Prædeterminationem Physicam in favillas redigerent, vel potiùs illam è Scholis exulare cogerent: ne scilicet ex essentiali subordinatione & dependentia rerum à Deo, prævius in eas influxus judicaretur necessarius. Et de hac Scientia-Media loquens idem Typhanius (quod notatum velim) lib de Ord. cap. 24. n. 4. asserit *nullum alium Theologum ante Molinam, nec per somnium quidem de illa* (*Scientia*) *cogitasse: nec eam ullibi vel supposuisse vel adhibuisse ad ullam, sive Scripturæ Sacræ: sivè Scholasticæ Theologiæ difficultatem expediendam.*

Capite verò sequenti ibidem protestatur palam idem Typhanius *Sententiam negantem Scientiam Mediam, (id est Thomisticam) & antiquitate, & Defensorum numerô & Authoritate, longè meliorem esse.* Audis ne Amice Lector, testes adversus nos ab Eupistino inductos? Secundò eumdem Typhanium sequamur: quod si veritatem dissimulare perseveret Eupistinus; per se apud Lectores ad sui manifestationem satis ipsa valebit *evidentia.* Cum non possent Adversarii negare, quominùs aliquis Dei concursus prævius in ipsam voluntatem esset admittendus, huic tandem & ægrè aditum patefecere: sed hunc concursum dixerunt esse vagum & determinabilem per voluntatem creatam.

6. Quid ad hæc Typhanius? *neque* (inquit pag 242 (quòd ejus, scilicet Dei, *concursus sit indifferens ad hunc vel illum effectum singularem & individuum hujus vel illius speciei: ac determinetur & specificetur ad hunc numerô illius speciei effectum ab actione & concursu causæ secundæ & particularis ut nonnulli (id est Adversarii) putant. Hic enim modus* (inquit Typhanius) *Deo non convenit, utpotè imperfectus secundum quem Deus entitatem effectus adæquatè non attingeret.* Hic tuam mi Eupistine obtestor conscientiam; an aliud unquam dixerint D. Thomæ Discipuli, qui hanc de Prædeterminatione doctrinam sequuti sunt, utpotè necessariam tam ad vitandum Pelagianismum, quod, ut ait D. Hieronimus, *omnem excedit blasphemiam* quàm ad fugandam nefandissimam Manichæorum hæresim & impietatem: quod satis indicat Typhanius laudatus asserens sine Præmotione *Deum non attingere adæquatè entitatem effectus*: quod est verissimum.

Et prospiciens Typhanius determinationem Divini Concursus esse præcipuam Adversariorum hallucinationem, ad ipsos reducendos iterum ait pag. 247. quæ sequuntur *neque item est, ipsum Dei concursum ex se quasi vagum & indifferentem ad omnem effectum, & veluti dubium & ancipitem à causa secunda & particulari quasi sisti; restringi, inclinari, accommodari ad effectum particularem.* Et quia sæpè dicitur Dei concursus, communis: ne specificam ejus determinationem pro activa (de qua supra) obtruderent ait ibid. ejus contractionem *Analogiâ quadam fieri ad contractionem graduum superiorum ab inferioribus* sicut animal determinatur & specificatur ab homine. Ubi in hoc determinatio effectiva? Admittit ergo cum Thomistis Typhanius determinationem tantùm passivam. Quod velim notatum.

Neque principalem Thomistarum rationem voluit hac in re omittere Typhanius pag. 245. n. 9. *Quia*, inquit, *causæ secundæ respectu Primæ sunt veluti instrumenta, quia non agunt nec movent nisi motæ à Prima causa. Quemadmodum igitur manus baculo movens lapidem, hunc naturâ prius, quàm baculus movere dicitur: ita & causa Prima in effectus causarum secundarum, quas movet, priùs natura influet: sicut Anima per intellectum & speciem intelligibilem producens intellectionem....* Quid plura? Ac denique postquam septem modos exposuit, ob quos Deus priùs agere dicitur: juxta nostram sententiam concludit: & maximè, inquit, propter quintam rationem.

7. Porrò quintam hanc rationem fusè exposuit pag. 245. n. 12. ubi ait: *concludendum igitur quod, &c.* Prosequere totum ejus textum & confer illum cum nostro argumento contra Fuliensem facto lib. 2. c. 8. n. 10. & videbis an jota unum aut unus apex intersit inter me & Typhanium, quoad pro-

bationem Præmotionis, ejusque necessitatem ex diversis gradibus entis, juxta doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 45. ar. 5. & de Pot. q. 3. ar. 7. ubi fusissimè.

Certè numquam mihi persuadere potuissem, quempiam studio partium ita addictum, & propriæ famæ & veritati apertæ adeò infensum, ut scribere auderet, quæ nobis omnibusque legenda ex Bellarmino & Typhanio tantâ præsidentiâ Eupistinus objecit: quem ex religiosa charitate nequeo excusare, nisi dixero numquam ab ipso intellectum fuisse negotium quod tamen suscepit impugnandum: unde ut arbitror obstupescet Lector, non quod tam perseveranter hanc doctrinam tueamur, sed quod adhuc, qui eam impugnare audeant, reperiantur: Cum in rei veritate hoc unum hac in re defendamus; *Creaturam rationalem nullum posse bonum efficere quamtumvis exiguum aut tenue, sine Deo optimo ad illud eam movente & excitante*: Et quicumque aliter loquitur de Præmotione, nisi tanquam de aliquo tantùm ad bonum præmovente; extra chorum vel ignoranter vel malitiosè egreditur & contra veritatem loquitur.

8. Fateor durum esse id quod refert Henricus de Noris, nempe: *Molinam insudasse pertinaci 20 annorum labore, quo humanam libertatem cum Mysteriis Gratiæ & Prædestinationis componeret*; idque tam frustra ut videri potest in ejus concordia q. 14. ar. 13. disp. 53. memb. 2. nec fortè minores essent Suaretii querimoniæ seu expostulationes hac in parte eandemque ob rationem: ut idem non negat tom. 2. de Grat. lib. 5. in prælud. agens de Grat. effic. Sed ipsi viderint; non enim est valde insolitum, parvum errorem in principio, magnum esse in fine: nam si Sancto Augustino & Doctori Angelico (ut par erat) adhæsissent: jam nulla esset inter nos & ipsos discordia, nullaque eorum discipulis pœnitendi ratio.

Sed dicet fortasse Eupistinus: nonne satius esset duo verba scilicet *Præmotionem physicam* saltem ob bonum pacis relinquere, quàm tandiu pro ipsis disceptare?

Itane mi Eupistine? Quid ergo ipse egisses, si tempore Arrianorum fuisses? An ob consimilem & falsam pacem, ipso bello pejorem, iis consensisses, qui teste Theodoreto lib. 2. cap 8 de Arrim. Conc. *Conquerebantur quòd corpus Ecclesiæ distraheretur ob duas voculas (Scilicet Substantia & Consubstantialis) easque in Sacris litteris minimè repertas*: Illic agebatur de æqualitate filii cum Patre: hic de totius Trinitatis omnipotentia & Majestate illius, *cui nullus est similis in fortibus* ut loquitur Vates Regius.

Hactenùs fusè satis dimicavimus pro sincera D. Thomæ hac in parte doctrina: cui finem imponet sequens ipsius testimonium omninò ad propositum: in 2. Sent. dist. 29. q. 1. ar. 1. ad 2. ubi præter Gratiam sanctificantem, quæ nos facit formaliter justos & Deo acceptos, ait aliam esse necessariam, *cujus non est ut solam Facultatem faciat in operando: hoc enim*, inquit, *ponebat hæresis Pelagiana: sed ut efficaciam & virtutem quamdam novam operibus hominum præbeat*. Vides centum alia ejusdem Sancti Doctoris testimonia, toto opere, sparsa, & nominatim pag. 292. Ex quibus inferes, impossibile esse, ut hac in parte dubites de mente Divi Thomæ, quantum ad doctrinam hic à nobis pro modulo propugnatam, sub ipsius & Beatissimæ Virginis auspiciis quibus lucubrationibus per Dei Gratiam in ipso ejus Visitationis ad Sanctam Elizabetham festo ultimam manum apposuimus die 2. Julii 1676.

CONCLVSIO.



CONCLVSIO.

Inutilis, immò noxius ostenditur, præcipuus Eupistini conatus. Non minus infæliciter confugit ad Sanctos Patres & præcipuè ad S. Augustinum hac in parte prorsus ei contrarium. Apertum exasperati animi, qui lite cecidit, indicium. Eupistinus Domesticorum testimoniis convincitur.

Nu. I. IAm tempus est Amice Lector ut finem imponamus tertio huic libro Apologetico, quo totum secundum Eupistini volumen apertè confutatur: in quo ille tanquam fortissimum aggerem nobis objiciebat *Extractum* ex libro Josephi à Vita fabricatum: *Cuius* (ut aiebat) *fortem calamum opponebat Torrenti Thomistarum*. Ne scilicet ulterius Præmotionem sequerentur. Sed hunc aggerem ostendimus esse penitùs arenarium quassatumque calamum. Duo enim in hoc Josephi libro sunt distinguenda. Primum est alicujus Gratiæ per se efficacis excellentia, quæ ut diximus, est præcipuus Thomistarum & ipsiusmet Josephi scopus. Alterum pertinet ad heteroclitam ac specialem methodum quâ usus est in explicanda Gratiæ hujus efficacis natura. Et quia in hoc secundo (ut ostendimus) manifestè erravit Josephus, falso principio innixus, nihil est unde possit sibi Eupistinus ex eo adulari.

Quoad Primum; habent intentum Thomistæ scilicet efficaciam Gratiæ, pro qua unâ militant adversus Adversariorum opinionem; cujus fundamenta destruxit Josephus ex certis & indubitatis Divi Thomæ principiis, quæ apud Doctorem Angelicum licuit verificare. At quantùm ad alia ab hoc Authore excogitata, nihil certi ex ejus libro potest educi, donec ipse circa plurima mentem suam nobis rursùm aperuerit. Qui si per Præmotionem Physicam, nihil aliud intellexit præter *vim adamantinam, aut qualitatem aneam* (quas aversamur) rem manifestè falsam supposuit, eòque turpius erravit, quò omnibus Thomistis imposuit, quod ne in uno quidem reperiri umquam potuit, à quibus perfecta libertatis creatæ indifferentia propugnatur ac evidentissimè demonstratur, etiam sub supremo Dei dominio & efficacissimo Gratiæ Adjutorio.

Dixi ex hoc libro nihil certi posse educi, in iis duntaxat in quibus ex propria mente loquitur (nam quantùm ad testimonia Doctoris Angelici & alia hujusmodi, possunt in originalibus inquiri) quod ex ipso pag. 9. facile colligitur, ubi ait: *Habes studiose Lector oblatum à me opus, cui nec erratorum correctio, &c. Sed horum primum abundantia vetuit: tot enim scatet impressorum incuriâ erratis, ut ad ea corrigenda, integrum volumen necessarium fuisset.* Sui igitur voluminis errores & lapsus, sive proprios sive alienos, alio volumine emendet hic Author cum sit superstes, tuncque videbimus, an quidpiam in illo reperiatur, quod meritò nobis objicere possit Eupistinus: quod nemo facile sibi persuaserit, cum post tot Eupistini conatus & lucubrationes ad revocandum Typhanium in suas partes, nihil ab eo audire

potuerit, nisi apertum Scientiæ Mediæ contemptum, pro qua tandiu insudavit Eupistinus, & cujus falsitatem Typhanius ipse exerto ore pronuntiavit Eupistino teste.

Certè probata admodùm censeri debet Causa aliqua, cum adducti in ejus condemnationem testes; publicè in ejus favorem loquuntur ac palam protestantur eam esse optimam; At talis est Thomistarum doctrina *Tùm antiquitate, tùm Defensorum numero & Authoritate*: ut loquitur ipse Typhanius suprà laudatus & ab Eupistino adductus, tanquam noster hac in parte Adversarius *& hostis infensissimus*, ut ille loquitur.

Ex quo ipse vides, mi Eupistine, quàm male tibi hac in parte consuluisti, dum rursùm in nos insurgere decrevisti altero volumine; nisi fortè tibi persuadere volueris, neminem fore reperiendum, qui libros legeret post tuum testimonium.

2. Quantùm autem attinet ad Sanctos Patres, & præcipuè S. Augustinum & Doctorem Angelicum; quò plus legentur, eò magis etiam omnes mirabuntur; quî ausus sis hac in parte, vel eorum meminisse in contrarium; nisi forsitan ut dixi, omnibus velis subducere libros, aut existimes te posse toti mundo illudere solis verborum officiis, & sic impedire homines ut deinceps hanc veritatem non intueantur, quæ una est ex iis, quæ in ævum stabit, tùm adversus horribilem Manichæorum impietatem, tùm contra superbam Pelagianorum arrogantiam prædicabitur & triumphabit. *Veritas enim* (inquit S. Præsul in Ps. 61.) *quamvis ad tempus occultari possit, numquam tamen vinci poterit.* Et *nimis perversè se amat* (ut idem ait Epist. 7.) *qui & alios vult errare, ut error suus lateat*, aut ut magis clarè dicamus, ab errore renuit resipiscere, ne videatur aliquando erravisse.

Quare subterfugia præcludantur; siparia detrahantur & omnes occludantur hallucinationum causæ & occasiones, quas contra fictam Divi Thomæ defensionem à Patre Fuliensi fabricatam, & ab Eupistino recentius revocatam ad incudem, aperuimus: tuncque neminem latebit; absolutè falsum esse Cassiani coll. 13. cap. 11. dictum, à nonnullis objectum *Zacheum desiderio suo vim quandam Regnis Cœlestibus inferentem, specialia vocationis monita prævenisse*, cum absolutè loquendo Deus semper præcedat, seu prout Scriptura loquitur *Praeat in via justitiæ.* Qui ut ait D. Prosper contra eundem Collatorem cap. 14. *Sibi praeparaverat Zachai animum apud eum eligens hospitium, ut quem agnoscebamus salvum esse factum, sciremus à quærente præventum*, Præventum, inquam, non illa inefficaci vocatione, quâ multi vocantur; & vocati sunt, qui ad nuptias venire neglexerunt: sed alia potentiori, qualis est illa, quâ fuerunt vocati illi, de quibus Apoc. 19 dicitur, *beati qui ad nupias Agni vocati sunt.* Quæ non tantùm suadet, sed persuadet: non tantùm allicit, sed adducit: non tantùm terrore concutit, sed in amorem perficit; non tantùm cordis pulsat ostium, sed cor ipsum aperit, ut ait D. August. lib. 15. de civit. c. 6. vel ut ipse loquitur de prædest. S. S. c. 5. quatenùs per eam vocationem *distinguitur consentiens à dissentiente, non solo arbitrio, sed gratia hujus beneficio, qua non est communis bonis & malis, sed discernit bonos à malis.* Quis enim te discernit? Et hæc est Gratia; quâ is, qui à Patre didicit, non solùm potest venire, sed reipsa venit, & tunc fit (inquit S. Præsul lib. de grat. cap. 14.) *possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis*

effectus; totaque perficitur salutis nostræ œconomia, quia Deus per hanc gratiam *subvenit voluntatis nostræ infirmitati, ut indeclinabiliter & insuperabiliter agat, & quamvis infirma, non deficiat.* Et hæc est summa totius nostræ & Adversariorum discordiæ: totam enim ipsius Gratiæ & liberi arbitrii concordiam depromimus cum D. Thoma, ex infinita Dei potentia, quæ ut ipse ait, est primum fidei nostræ fundamentum. Nam ut ait D. Augustinus in Enchir. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat Deum, malas hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit, quomodo voluerit, in bonum non posse convertere?* Quo uno Sancti Præsulis testimonio præcluderentur omnia Adversariorum subterfugia, qui Deum non intuentur ut Supremum rerum Arbitrum, sed ad summum ut sapientem ac peritum hominem qui teneatur explorare liberum hominis arbitrium & expectare occasiones ex parte creaturarum: Cumque premuntur & ab ipsis inquiritur; cur ergo Deus hos aut illos, eo non vocaverit modo, quo eos videbat secuturos? vel illos (cum posset) non fecerit hujus optimæ indolis, quâ prædıti sunt nonnulli, qui animam bonam sortiri dicuntur, & fœlici quadam necessitate ad bonum feruntur.

Primo gradu in judiciorum abyssum ruunt, quam ut vitare viderentur, specialem viam à se inventam esse gloriabantur: Scripturis tamen, Patribus & Conciliis contrariam, ac proinde falsam. Frustra igitur tot eorum artes & conatus, ut ejus rationem reddant, quod omnis rationis captum excedit, totaque ratio facti, est potentia facientis, cujus judicia justificata sunt in semet ipsa.

3. Hic fortasse non abs re erit, lectorem benevolum admonere ut suæ commendet memoriæ, indolem, genium & dispositionem eorum quibuscum hactenùs rem habuimus: nam tales sunt, ut quamcumque in partem inclinemus, id est, sive taceamus, sive loquamur, numquam quiescant, sed semper obloquantur & expostulent, in ipsis etiam rebus, in quibus non rarò gravissimè lædimur.

Explico magis. Si cuipiam nostrum, lassitudo, modestia aut contentionis odium silere persuadeant; eidem illico insultant sibique adulantur, & exerto ore *fastu triumphali*, ut loquitur Eupistinus omnium aliorum contemptu; tanquam victores omnibusque superiores exultant: testis est fictus Theopistus supra citatus, qui ob interruptam aliquandiu Defensionem nostram, continuò evanuit in cogitationibus suis, disseminato speciali libello asserente *unam esse in Ecclesia Molinæ doctrinam quæ Catholicismum saperet.*

Quod si aliquando gloria Dei: veritatis periclitantis zelus, aut amovendi alicujus scandali obligatio responsum ab aliquo nostrum etiam invito extorqueat; longè altius vociferantur Adversarii & conqueruntur. Hujusce rei quoque fidem absolvet ceu locupletissimus testis, fictus Eupistinus, qui tantam animi amaritudinem adversum me, aliosque doctrinæ Divi Thomæ Defensores testatur, ut numquam viderim majorem exasperatæ bilis refusionem. Siquidem pag. 14. sic invehitur, *quid moremur*, inquit, *scriptiones quasdam diversis nominibus prodeuntes, instar veteris opsonii in diversa fercula partiti, quibus nihil apponitur, quàm crambe recocta.* Et *quod pejus est*, inquit, *nescio quod fermentum damnati odoris*, & remissis penitùs indolis suæ habenis quandam suam synopsim revocat Eupistinus, in qua licet non sit plus so-

liditatis, quam in Æsopi fabulis, talem tamen ac tantam in ea reponit fiduciam, ut ob eam, viros Religiosissimos, juxta & doctissimos (in quibus saltem debebat venerari caracterem) alloquatur tanquam molossos, *ideò*, inquit, *multis quasi facto agmine allatratum.* Deus bone! Et quamvis supra ducentis D. Thomæ, & Sanctorum Patrum testimoniis aliisque ex Conciliis & Scriptura depromptis, ne verbum quidem reposuerit Eupistinus: magno tamen fastu & verborum jactantia pag. 14 sic loquitur *quadam objiciuntur interdum pinguia & crassa, qua forsitan confutare non expedit, ne credibilia videantur*

Siccine mi Eupistine his insolitis verborum fallaciis existimas te posse prudentibus illudere Lectoribus? Audi igitur, & hoc ipsum apud te remaneat alta mente repostum: totam tuam prætensam subtilitatem hic provocare non metuo, quia certus sum hac in re fundatissima, te nihil moliri posse, quod tam apertæ non convincatur falsitatis, quàm quę hactenùs in duobus tuis voluminibus cum quadam commiseratione legimus: fortior est vino veritas, nec solis depellitur aut fugatur conviciis.

Infœlix apud te audiam Astrologus, falsa dioptrá usus, per me licet; nam alii te uno excepto de me aliter fortasse judicabunt, vel ex eo solo quòd tot argumentis & Authoritatibus nihil omninò præter injurias responderis, ex quibus omnes malè prorsùs de tua causa ominantur, & in te, totius Theologiæ gravissima, proindeque non dirimenda Astrologiæ placitis, sed firmioribus Theologiæ argumentis ac rationibus, quibus nostram hac in parte doctrinam, citra omnem dubitationem posuimus.

Sit apud te & Cardenam tantùm Probabilis Prædeterminatio, mihi plenè sufficit, tùm ut falsa habeantur omnia quæ à te & ab aliis scripta sunt à centum circiter annis: tùm ut vobis ex vobismetipsis dempta sit facultas, quâ deinceps nos possitis ullis lacessere injuriis, cum apud vos sola probabilitas ponat in tuto suos asseclas.

Cæterùm Amice Lector magnum hic nobis est præsidium nec minus solatium adversus tales utramque in partem claudicantes. Quia *non est servus supra Dominum suum* Matth. 11. v. 18. & 19. ubi legitur. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax & potator vini & Amicus publicanorum:* quibus statim additur. *Et justificata est sapientia à filiis suis.* Similiter sive respondeamus sive taceamus, numquam quiescent adversarii, semperque conquerentur, nisi (quod absit) ipsis acquiescamus. Sed satis justificata est D. Thomæ doctrina non solùm à Thomistis & totius orbis Christiani Universitatibus: sed & ab ipsa Ecclesia veritatis columna: ut patet in Officio ejus Authoritate approbato, in quo S. Doctor dicitur *lux fidelium, norma, limes & lex morum omnium*: cujus Adversarios semper de veritate suspectos Innocentius Sextus declaravit, ita ut sæpius nomen proprium occultare cogantur, ne ex sola inscriptione eorum opera repellantur. Quis enim, si secùs fecisset fictus Eupistinus, fragmenta nobis ab eo objecta & millies contrita vel aspicere voluisset, aut nobis illatas ab eo audire injurias, toties falsitate convictas: cui adversum me integra præfatio dicteriis & schommatibus referta nequivit sufficere, nec ipsius sedare animum contra virum Religiosissimum, magnum Decus Carmelitarum, ob hoc solum, quod relictis

quorumdam Neotericorum placitis, in partes Thomistarum transierit, Sanctorumque Augustini ac Thomæ Triumphum ediderit, ob quem hunc in modum invehitur in ipsum Eupistinus pag. 10. *Si licet obstrepere apud vulgum: si Triumphum Thomistarum affigere valvis: si publicare gazulas heretici hominis ministerio: non moror: sint porrò Philerida, ego sum philalethes.* Utinam sic esset mi Eupistine, id est, verus esses ipse Philalethes: hic non cogerer te monitum facere pro hoc Religiosissimo Defensore D. Thomæ, tibique ob oculos ponere S. Cypriani dictum Epist. 55. ad Cornelium: *non qui audit, sed qui facit convitium, miser est: nec qui à fratre vapulat, sed qui fratrem cadit in lege peccator est.*

Quod verò ad nos spectat Eupistine, pro veritatis Defensione non deficiemus, eo opitulante qui veritas est & Scientiarum Dominus, cujus dominium à solis Divi Augustini & Doctoris Angelici Discipulis condignè propugnatur: & quicumque ipsis hac in parte resistit, nec rectæ rationi auscultat, nec Scripturis, Conciliis aut Patribus acquiescit, ut satis patet ex dictis.

Porrò ipsi coram Deo judicent, an æquum sit, ob privatam quandam amaritudinis radicem ex uno Aqua viva relictam; qui primus (quem sciam) contra Religiosissimæ Societatis Jesu statuta 4. part. Const. c. 14. contra omnium Majorum suorum, immo & Sancti Ignatii exemplum & documenta; voluit evanidam introducere Scientiam Mediam; judicio præcipuorum asseclarum suorum falsam, & unanimi omnium Sapientum sententia Deo ipsi injuriosam. Quare hic tibi non opposui Dominicanos mi Eupistine, sicut nec aliàs Fuliensi, quem pro viribus ad vitam revocasti; nova ejus editione (dissimulatâ ejus confutatione, quam præ manibus habes) sed rationes apertas & convincentes; plures Europæ Universitates celeberrimas, Concilia, Scripturam Sacram & Sanctos Patres, omniumque ferè Religionum Choros: ne quidem excepta Societate Jesu: iis tantummodo demptis quos præfatus Claudius Aqua-Viva contra D. Thomam ipsum, prætextu Bannesii & aliorum Thomistarum excitavit. At si qui sint modò ex hac Religiosa Societate, qui adhuc nobis hac in parte adversentur: certè non audent semetipsos comparare aut æquare iis qui à nostris stant Partibus, Sanctis Ignatio, Xaverio, Salmeroni, Toleto Aliisque pluribus supra viginti totius Societatis celeberrimis. Et hi sunt Patres tui, Eupistine (quibus majorem quàm mihi injuriam facis) & firmissimæ totius Societatis Columnæ; ex quibus Henriquez lib. de fin. hom. cap. 4. ait doctrinam quam hic propugnamus *esse concordem omnium doctorum sententiam*; & fusius expendens ea, quæ ex illa consequuntur: Adversariis nostris impugnantibus; notam *temeritatis* ut mitiorem infligit, afferitque Thomistarum doctrinam *esse illam, quam S. Augustinus, Patres in Conciliis, & major meliorque pars Theologorum Antiquorum & torrens Recentiorum sequuntur in omni ferè Academia Orbis Christiani.*

5. Possumus ex eadem Societate prædictis accensere Ludovicum à Ponte, celeberrimum Authorem in Cantic. Parisiis editum apud *De la Nouë*, an. 1622. pag. 315. ubi exponens hæc verba (compelle intrare) ait: *Triplex est modus compellendi. Primus per superabundantem & extraordinariam illustrationem mentis & impulsum vehementem voluntatis, quæ ita cor immutet, ut quadam vi cœlesti ac divinâ impellat omnem vim carnalem, terrenam & mundanam, quam à vitiis & passionibus, & à possessione rerum temporalium pa-*

tiebatur; incipiatque alacriter post Christum currere. Hac mirâ vi traxit ad se Christus tres insignes peccatores, scilicet Magdalenam, Matthaeum & Saulum, in quibus prædominabatur concupiscentia carnis, divitiarum cupiditas, & superbia vitæ, qui facillimè ruperunt hæc vincula per copiosam illis infusam gratiam, quæ illos ad Christum duxit & introduxit, traxit & intrare compulit. Rarò quidem hæc contingunt & miraculosa sunt; sed ut egregiè docet D. Paulinus, *In omni loco plura quotidie mirabiliora solitò signa crebrescunt, ut omnem, quantùm in ipso est, hominem salvum faciat: ostendit in raris quod in omnibus, si velint, possit: sufficit enim universorum institutioni forma paucorum, quæ in utrumque proponitur, ut credentibus exemplo sit indurantibus testimonio*

6. Sic pro undecimo, ex ejusdem Sancti Ignatii Sociis Rodriguez, non minus pietate quàm doctrinâ commendatus, in suo Opere, in quo componendo (ut ferunt) decem consumpsit annos, jam idiomate Gallico ex originali Hispano. Legat qui voluerit Caput secundum integrum Tractatûs de conformitate voluntatis nostræ cum divina, Parisiis editi 1631. apud viduam *Buon*, pag. 326. & seq. ubi inter cætera hanc Divi Thomæ doctrinam quam propugnamus adversus larvatum Eupistinum, ait, *esse adeò evidentem, ut probatione non indigeret, nisi diabolus eam astutiâ obscurare conaretur.*

Duodecimus ex eadem Societate erit P. Claudius *de Lingendes*, tom. 1. Concionum, Parisiis apud *Muguet* 1661. edito, pag. 201. ubi ait: *Quemadmodum igitur quando objectum non est sufficienter propositum in naturalibus; intellectus non potest agere assentiendo; sed opus est externa potentia, nempe voluntate, quæ determinet intellectum ut assentiatur: ita quia in fide est obscuritas, non potest intellectus assentiri, nisi determinetur ab externa potentia, nempè divina, quæ præmovet voluntatem ut velit producere actum credendi, qui actus etiam non elicitur, nisi præmoveat potentia divina.*

7. Hactenus de iis qui merito jure nomen sibi fecerunt in Societate pro tuenda Prioritate & Efficacia Causæ primæ. Alius superest ex eadem Societate Probabilitatis Adversarius, & verus, saltem hac in parte, Divi Thomæ discipulus: (non enim omnia ejus evolvi opera, circa alia) nempè Comitolus Perusinus, Lugduni 1619. apud *Cardon* editus, qui ab ipsa Præfatione ait: *In deligenda autem opinione, eam quæ tùm pondere argumentorum, tùm testium authoritate, antiquitate & multitudine vinceret, sequuti sumus: hanc enim dumtaxat tutam, ab omni metu culpæ exploratam esse putavimus, in D. Thomæ vestigiis semper institimus.* Itidem ipsemet ibid. Resp. Moral. lib. 1. q. 1 pag. 2. ait: *Nos autem in disputatione quadam nostra de opinione deligenda, multis argumentis & testibus demonstravimus opinionem probabiliorem, minùs probabili relictâ, necessariò sequendam esse.* Item lib. 2 c. 18. pag. 349. præfatæ editionis: *Ioa. Medina*, inquit Comitolus, *apertissimè jubet in cap. de rebus resti. q. 22. a. 2. ad 6. rat. eum qui lucratus est quidpiam in ludo, lucrum retinere non posse, si pendeant animi & ambigat an retinere possit; quia in discrimen salutem Animæ suæ adducit....*

8. Et ibidem: *Dubitat Sergius*, inquit Comitolus) *an votum emiserit, ac subinde teneatur observare?* Ipsemet assimative respondet: *Ex decretali, juvenis de sponsalibus*: ubi dicitur (in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.) *Verba*, inquit Comitolus, *sunt Pontificia sanctio-*

nis : etenim qui secùs ageret, palam à ratione discederet; quæ semper, quod magis est, minus probabili debet anteferre... Rursúmque infra ibid. *Quia dum de hominis ac Dei rationibus agitur, & cum divinis humana pretenduntur; id suâ sponte quisque videat, quantò divina quàm humana debeant esse potiores; & quantò melior ejus hominis est conditio, qui in Dei quàm qui in sua est potestate; & qui à Deo possidetur, ejusque voluntate regitur, quàm qui se ipse possidet, & suo arbitrio gubernatur.* Lege eumdem lib. 7. q. 17. de Præscriptione, ne totum cogamur exscribere, ubi funditus evertit fundamenta remissæ Probabilitatis.

Quid plura, Eupistine, quo jam valebis aggere, hunc Torrentem (ut loqueris) non tantùm Thomistarum, sed & ferè totius Ecclesiæ, nec non præcipuorum totius Societatis Jesu cohibere?

Porrò hæc ipsa, quæ dicitur ab Henriquez communis Ecclesiæ doctrina, ea est quam propugnamus, de æterno Dei proposito (quod est nostræ erga Deum gratitudinis abyssus immensa) qui in charitate perpetua dilexit nos, miseransque attraxit (prout Scriptura loquitur.) Qua in re non minus graviter nobis imponunt Adversarii, dum confundentes contra expressam Divi Thomæ doctrinam, ordinem intentionis divinæ electionis & executionis, absolutè affirmant, à nobis gratuitam Dei voluntatem ab operibus separari: cum tamen ubique oppositum dicamus, asserentes prædestinatis repositam esse coronam justitiæ, qui nisi gratiâ adjuti satagant per bona opera suam certam facere vocationem & electionem, nunquam consequentur salutem, nec pervenient ad gloriam. Et ita nec est occasio desidiæ, nec ullus superbiæ locus, iis qui ex Apostoli præcepto, debent in timore & tremore salutem suam operari. Et hæc est, ut supra dictum est, sana non solùm Scripturæ & Conciliorum doctrina, sed & Sanctorum Patrum Augustini, Prosperi, Doctoris Angelici, D. Gregorii, cujus sunt aurea hæc verba, lib. 1. Dialog. c. 8. *Ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur: nam ipsa quoque perennis Regni Prædestinatio, ita est ab Omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenùs postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens ante secula donare disposuit.*

Desinant ergo Adversarii etiam hac in parte nobis adversari & imponere, qui in re tanti momenti non valemus tantos Authores ac Patronos deserere, aut ab ipsis dissentire. Et quamvis sola ratio humana nobis hac in re suffragaretur: minimè tamen pati possemus, ut de Deo magis indignè sentirent, quàm de homine sapiente, qui nunquam de mediis inquirendis prudenter sollicitus erit, antequam de consequendo fine apud se statuerit.

Et ne nova hîc in nos insurgat calumnia circa reprobationem malorum; inter hanc & prædestinationem hoc agnoscimus discrimen à Concilio Valent. 3. cap. 3. expressum his verbis: *In electione salvandorum misericordiam Dei precedere meritum bonum fatemur: in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere justum Dei judicium.* Lege D. Thomam, lect. 2. in cap. 9. ad Rom.

Thomistarum doctrinam non minùs efficaciter quàm Henriquez, confirmat Peterius, quem Possevinus, Societatis Scriptor, vocat *virum insigni eruditione & perspicuitate refertum*; asserens *illam non tantùm esse probabilem* (ut vult Cardenas supra citatus) *sed omninò veram, certam & indubitatam, de qua fas non est Philosopho Christiano dubitare.*

Vis-ne, mi Eupistine, ut alios ex eadem Societate celebres prædictis adjiciam? Hi, Deo dante, factò agmine, citò in lucem prodibunt, ad confutationem eorum qui agnitæ veritati contradicunt.

9. His omnibus præficere debeo Sanctu Ignatium Societatis Jesu Fundatorem, qui scripsisse non videtur, nisi ut apologiam efficeret doctrinæ Divi Thomæ, & in tuto poneret illos, quibus, mi Eupistine, tot artibus detrahere niteris, quosque alloqueris, non jam ut falsos Astrologos, sed ut *Sycophantas, Hæreticos, ignorantes & temerarios*; quibus calumniis minùs feriuntur Thomistæ, quàm Sol obscuretur ex terris ac malignis vaporibus alicujus lutosi lacus. Quid enim in te scripserunt Thomistæ, nisi fortè quia his non consenserunt *qui* (ut loquitur D. Greg. lib. 5. Moral. cap. 18. *communem scientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur.... ut apud imperitorum mentes ipsi de scientiæ singularitate glorientur*; quosque videtur adumbrasse Richardus à S. Victore. *Qui volentes*, inquit, *sibi nomen facere, studuerunt nova invenire, quibus non tam fuit cura, ut assererent vera, quàm ut putarentur invenisse nova.* Sic Molina loquens de sua nova concordiæ Methodo, q. 23. ait: *A nemine quem viderit, suam hucusque (nempè libertatis conciliandæ) traditam esse rationem.* Cum tamen (ut superiùs in Sorbona propugnatum diximus) hoc nihil redoleat, nisi vetus quoddam fermentum.

At quicumque similem novitatem Divo Bernardo venditare voluisset; sine dubio, hoc ab eo responsum tulisset, quod apud ipsum nobis est relictum in Epist. 189. ubi ait: *Magister Gentium accepit à Domino quod & tradidit nobis. Magister omnium fatetur doctrinam suam non esse suam: nec enim*, inquit, *à me ipso loquor. Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti: Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Itaque, mi Eupistine, discas non à me, sed à sancto Præsule Prospero contra Collatorem, nihil magis injustum quàm *pacem victricis Ecclesiæ resumptis à damnatorum schola quæstiunculis inquietare.* Vel si mavis ab ipso Sancto Ignatio, cui accensere possum Sanctum Franciscum de Borgia qui eâdem, quam statim subjiciam; imbutus doctrinâ, pro ejus confirmatione, Bullam obtinuit à Summo Pontifice Paulo Papa Tertio, quâ Divi Ignatii de Loyola liber typis magis authenticè mandaretur, eidem exposuit: *Hæc Divi Ignatii exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis & vitæ spiritualis experimentis elicita, pietate & sanctitate plena esse.* Pro quibus subinde pleno jure possum S. Franciscum Xaverium laudare, tanquam hujus libri Author esset, quem suum fecit suo studio, diligentiâ, æstimatione & testimonio. At in hoc libro Exercitiorum Divi Ignatii, Antuerpiæ apud Murcium 1635. edito, pag. 72. & 73. loquens S. Ignatius de tempore triplici ad electiones ritè faciendas, hæc habentur: *Primum tempus erit quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, immò etiam dubitandi facultas Animæ sublata sit, quominus sequatur impulsionem talem, sicut legimus Beato Paulo & Matthæo, & aliis nonnullis vocante Christo accidisse.*

Hoc positô, hîc libenter inquirerem ab Eupistino, quid dixisset S. Ignatius (solo nomine excepto) si aut Dei præmotionem, aut Gratiæ Dei efficaciam exprimere voluisset? Reperiet-ne Eupistinus ipse in præfato testimonio præceptam suam congruæ vocationis Gratiam in Conversione Divi Pauli, data in

exemplum,

exemplum, etiam quando erat *spirans minarum & cadis.* Aut dicet hanc conversionem non fuisse liberam, etiam sub hoc potentissimo Gratiæ efficacis auxilio? Certè utrumque ita est alienum à veritate, ut Eupistinus ipse non ausit contradicere. Nam ut ritè adnotarunt Sapientissimi Doctores Lovanienses in justificatione suæ Censuræ, cap. 13. *Si Gratia infallibiliter voluntatem determinans, est libertati contraria; sequitur Paulum, Magdalenam & alios non fuisse liberè conversos, & ideò nec meritoriè.* Quod nemo sanæ mentis dixerit.

Verùm existimabit fortasse quispiam non satis esse S. Fr. de Borgia curasse editionem præfati libri, ut illinc eum pro nostra sententia citare possim: fateor: ipsummet ergo audiamus in suis operibus Bruxellis recens, id est an. 1675. editis, in quibus primò remotissimus apparet à concursu Dei vago & indifferenti Antithomistarum: nam pag. 138. n. 62. in expositione horum verborum (aufferam à vobis cor lapideum) ait: *Monitos velim peccatores aptissimè eos lapides nominari: lapidi enim, nec monentis locutio, nec tactus blandus; sed solùm malleus vi incussus imprimit signum. Sic peccator, quamvis illum moneas, quoad infirmitatis ictus eum vexet, aut dedecoris nota inuratur; nullum pœnitentiæ signum edet: ideò Dominus dicit:* (Verba mea sunt quasi ignis & quasi malleus.

Nota pro prædicto Sancto, errore Typographi, citatum fuisse S. Xaverium, pag. 360. Quod velim emendatum.

Secundò. Non minùs evidenter divini Auxilii efficaciam expressit pag. 120. n. 219. *Illo*, inquit, *comparabant sibi coronam fortissimi Martyres, quibus jam obfirmatis, submisso Dei Auxilio, & cruciatus & flagella, & liquatum plumbum, & ferrei pectines, & ungulæ & enses & cætera suppliciorum instrumenta, quæ sine horrore ab ipsis crudelitatis Administris, aspici non poterant, pro festis & deliciis habebantur.* Lege eumdem pag. 443. nu. 84. Sed unô verbô quis magis addictus doctrinæ D. Thomæ, quàm vir ille Sanctissimus, qui affectu mirabili totam illius Theologiæ summam redigit in modum supplicationis seu Litaniarum, lib. 8. ferè integro: v. g. *Deus, cujus voluntas est causa rerum, miserere nobis. Deus cujus voluntas semper impletur, mis.* Notatis ad marginem singulis ejus articulis, ex quibus, si aliquos brevitatis causâ omiserit, pag. 396. ait: *Non quod ab iis dissentiam, sed ne adeò protrahar, aut tibi amplieri defatigationi sim.*

Non minùs stare à partibus Thomistarum, quantùm ad vagam Probabilitatem rejiciendam judicabitur: *quærens enim quid esset facturus, quando pendebat animo, aliquo dubio?* Non ad Dianam aut Escobarium aiebat esse recurrendum, ut aliquam reperiret opinionem (quæ illis ferè nunquam deest, in utramque contradictionis partem;) sed pag. 442. nu. 78. ait: *Quando, Anime mi, es tristis & dubitationibus fluctuans, quæ majore ex parte sunt peccatorum reliquiæ: accede ad Dominum, ut te illuminet; illi supplica cum omni demissione, ut tibi largiatur claritatem & lumen, quo illustratus non aberres, sed in universis rectè procedas; orato ipsum, ut ostendat tibi suam sanctam voluntatem: nam scriptum est:* (Omnipotentis inspirationem tribuere intelligentiam.) Quid plura? Ad originem revertamur: nam cum palam novis opinionibus fides evertitur (inquit Sinnichius) omnia sunt ad originem revocanda. Si rationem quæras, occurret Tertullianus de Præsc. c. 15. Quia, inquit, *anterior semper falsitate est veritas, ut si quid posterius invectum*

fuerit, Zizaniorum superseminatorum exemplo, falsitati sit deputandum. Seu ut ibid. cap. 31. ait : *Itaque ex ipso ordine, manifestatur id esse Dominicum & verum ; quod sit priùs traditum : id autem extraneum & falsum, quod posterius immissum.* At talis est doctrina Adversariorum hac in parte, & præsertim pro Scientia Media, ut ipse Molina fatetur.

9 Serò igitur advenisti, mi Eupistine, ut quidpiam veri nos doceres; & has supra 20. firmissimas Societatis Jesu columnas, hac, quam cum illis propugnamus, veritate, solidatas concuteres : nec tu, nec cæteri omnes, quotquot tecum solis artibus ac falsis suppositionibus aggregare studuisti; unquam si sapiant semetipsos præfatis ac præcipuis totius Societatis præferre aut comparare audebunt. Ex quo vides à me, ut spopondi, non minus peragi partes Societatis, quàm Dominicanæ Religionis; vel ut veriùs dicam, communem Religionum & ferè totius Ecclesiæ causam.

Verùm ad Divum Ignatium redeamus. Splendore ac pondere Authoritatis præfatæ ex D. Ignatio deprompræ quidam stupefacti, cum nihil haberent unde huic responderent, dicere ausi sunt Sanctum Ignatium non fuisse Theologum: qui tam indignâ responsione ejus testimonium non infirmarunt, sed potiùs probarunt semetipsos non esse ejusdem Societatis Theologos, quæ in eodem libro sancti hujus Patriarchæ condignas egit vindicias, quibus tàm ipsi, quàm Eupistinus in ævum contra Thomistas obmutescere debeant. Siquidem pag. 3. citati libri legitur : Exercitiorum S. Ignatii Directorium typis excusum, ad omnes provincias fuisse transmissum, ut sciretur an quid melius dici posse videretur, & acceptis Romæ à R. P. Generali remissoriis; deputavit ipse Patres ad recognoscendum præfatum Directorium, quô peractô, prodiit opus tale ex quinta Congregatione, quale modo habetur.

Atqui in præfato ejusdem libri Directorio pag. 87. cap. 26. quod est *de tempore triplici ad electionem ritè faciendam*; postquam D. Ignatius primum vocationis modum exposuit, ut supra, qualis fuit in vocatione Pauli & Matthæi, & dixit non nisi rarò hujusmodi vocationes miraculosas contingere : *tamen*, inquit, *legimus & videmus quasdam quæ quodammodo ad eas videntur accedere, &c.*

Secundum igitur tempus, inquit, *magis ordinarium ; cum scilicet Animus inspirationibus & motionibus internis agitur, iisque tam efficacibus, ut sine ullo intellectûs discursu, aut ferè nullo, voluntas feratur in Dei servitutem & perfectionem.*

Deinde prosequitur tertium tempus, quando nimirùm ratiocinando, rationes pro una & altera parte ponderantur. Et postquam istos tres vocationis modos summè approbavit, cap. 27. seq. ait in primo & secundo modo voluntatem præcedere intellectum. *Et suppositô* (inquit Directorium) *quòd motio illa sit immediatè à Deo, sine dubio excellentior via est & altior, cum voluntas diviniùs illustrata præcedit & trahit intellectum, quia etiam Aristoteles, ut refert D. Thomas, ita ait : Illis qui moventur secundùm instinctum divinum, non expedire consiliari secundùm rationem humanam, quia moventur à meliori principio, quàm sit humana ratio.*

Porrò voluntatem divino lumine illustratam aliquando præcedere intellectum & rationem humanam, sapienter notavit dicta Congregatio Quinta; & hoc ipsum est quod supra diximus ex Tridentino asserente liberum arbitrium crea-

tum à Deo *moveri & excitari* : moveri quidem, quando Deus voluntatem applicat operi, seu voluntas movetur ex parte principii effectivi : excitari verò, cum opus explicat voluntati, ut loquitur D. Bernardus supra laudatus, seu quando voluntas creata est mota ex fine aut objecto. Et tanquam præsagâ mente voluissent illi Patres sapientissimi, prædicto occurrere subterfugio (quo dixêre nonnulli S. Ignatium non fuisse Theologum) ab omnibus habito ceu temerario ac falso in dicti libri proœmio dixerunt : *Hæc spiritualia documenta, non tam ex libris, quàm ex unctione Spiritûs Sancti, & ex interna experientia & usu, noster in Christo B. Pater Ignatius composuit : hæc sunt lumina, quæ ei Dominus in ipso primo conversionis fervore inspiravit, &c.* Quid ad hæc, Eupistine ?

11. Et ne possis ambigere de mente & reverentia totius tunc Societatis erga doctrinam Divi Thomæ, (præter ea quæ supra diximus ex præfata Congregatione Quinta, antequam in Belgio dissidium oriretur, quod tot artibus fovere & excitare nititur Eupistinus) inter stabilitas quasdam ad sentiendum cum Ecclesia Regulas, in præfato D. Ignatii libro legitur, *Sicut Sanctis Doctoribus antiquis, Hieronimo, Augustino, &c. scopus fuit ad amorem & cultum Dei amplectendum animos movere : ita peculiare est Beato Thomæ, &c. Dogmata ad salutem necessaria exactius tradere atque definire, prout convenit suis temporibus & posteris ad errores hæresum confutandos.*

Debebat igitur Eupistinus opera D. Thomæ paulò accuratius indagare, de quibus ait Cardinalis Palavicinus (magnum decus præfatæ Societatis in Epist. numcupat. lib. 7. de virt. & Sacramento pœnitentiæ ad P. Vincentium Preto Ordinis FF. Prædicatorum & Generalis Inquisitionis Commissarium) *codices loquor viri* (id est Doctoris Angelici) *de quo, non tam Ordo tuus, quàm Christi Ecclesia, ipsumque humani generis Nomen meritò gloriatur.... præclarè* (inquit) *mecum egit Divina bonitas, quòd me vocavit ad eam Religiosam Cohortem quæ jubetur Angelici præceptoris Theologiam sequi : eam namque sequerer vel injussus, immò vix non sequerer vel prohibitus, quò tantoperè nunc delector, ut vix alium è Scholasticis diu teram sine fastidio. Non quod in cæteris, multa non inveniam mihi ignota & oppidò pulchra : sed alia plura longè pulchriora me inventurum fuisse si Divo Thomæ tempus impendissem.* Videsne mi Eupistine, quis fuerit affectus erga doctrinam Divi Thomæ, omnium Antiquiorum Patrum Societatis Jesu, quisve etiam nunc plurium recentiorum, Typhanii, Comitoli, Præfati Cardinalis Palavicini, quem pœnituit, quòd hujus doctrinæ præstantiam nimis serò cognoverit ? Ex quo à centum circiter annis plusquam millies demonstratum est, prædictam quam propugnamus doctrinam esse necessariam, tùm ad aufferendas Pelagianorum reliquias, & eradicandam superbiæ radicem seu extinguendum illius fomitem scilicet liberi arbitrii arrogantiam, quæ vult sibi redditum (ut loquitur D. Augustinus) quod eidem est à Deo misericorditer donatum : tùm ad fugandas Manichæorum blasphemias, asserentium Deum Optimum non esse causam unicam & universalem omnium creaturarum : cujus, id est, Divi Thomæ allatis rationibus, nihil hactenùs reposuerunt Adversarii, perpetuâ utentes, dissimulatione : & quasi possent veritatem luce meridianâ apud omnes doctos evidentiorem solo tumultu & verborum copiâ occultare ; nihil aliud recantant, nisi libertatis eversionem, in tuto positam solâ divinæ voluntatis effi-

ciâ: & certè mirum est, quod tot viri docti, quales sunt Adversarii, hactenùs non valuerint aliquam vel apparentem excogitare solutionem tot argumentis hactenùs factis & depromptis ex doctrina Divi Thomæ, quibus dissolvuntur omnes nebulæ ab ipsis suscitatæ, nec tamen desinant argumenta millies confutata ac soluta objicere, quasi verò ipsa maturuerint aut convaluerint temporis diuturnitate.

12. Desinat ergo Eupistinus vel sponte vel argumentorum pondere coactus suis cavillis Thomistas lacessere, qui suam de Prædeterminatione doctrinam, non per Calepinum (ut is lepide jocatur) probant, sed per efficacissima rationum momenta, Conciliorum Decreta, Scripturæ testimonia: cujus doctrinæ non Cusores vel Authores sunt Thomistæ, sed solùmmodò Custodes ac Defensores: Est enim præmotio depositum nobis concreditum, non à nobis (ut imponunt) excogitatum: ad fidelem cujus custodiam, mihi videtur dictum à Doctore Angelico, quod itidem ab Apostolo aliàs scriptum Timotheo his verbis 1. Tim. 6. *O Timothée depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*, quò te quoque hortatur Apostolus, mi Eupistine, ut deinceps Nomen proprium non occultes, vel assumptum veritate comprobes, ut secundum nomen tuum, sive proprium, sive fictè assumptum *sit laus tua.* Quam certè numquam poteris obtinere, nisi veritati consentias & *falsi nominis oppositiones* deseras.

13. Si Angelico Doctori adhæreamus in propugnando Divinæ Gratiæ Auxilio: hunc quoque sequi studuimus adversus vagam Probabilitatem: nam ut ipse fatetur Mariana Scriptor Societatis Jesu celeberrimus lib. supra citato de Regim. Societ. ex recessu à D. Thoma invaluerunt in Scholis *Opiniones*, ut ipse ait, *quæ quondam pro peregrinis, insolentibus ac falsis habebantur*; quæ sanè successu temporis, non sunt meliores effectæ: *Cum enim*, inquit ille, *luxurient ingenia, atque insigniri gestiant, semper aliquas saltem novas inquirunt semitas, unde se præcipitent nisi eis libertas ista, suas ac novas opiniones docendi, penitùs adimatur.* Aliæ plures & quidem graves sunt rationes, ex quibus patet, quî non debeamus recedere ab Angelico Doctore, quas ab ipso Mariana quàm à me, malim discas, mi Eupistine: & ne apud te nutet hujus viri Authoritas, præter ea, quæ de eo supra diximus cum Baronio, maneat alta mente repostum id quod sequitur ex Consultatione Daniëlis Hospitalii ad Reges & Principes de Modis conservandæ & amplificandæ inclytæ hujus Societatis Jesu: *neque tamen*, inquit ille, *istius notæ homines, nisi palam insaniant se Iesuitarum res penitiùs perspectas habere, aut Societatem eorum plus amare sibi persuadebunt, quàm qui unus omnium diutissimè in ea vixerit, eaque per annos amplius quinquaginta docendo & scribendo illustravit. Is est P. Ioannes Mariana, celeberrimus ætatis nostræ Theologus & Catholici Regis Historiographus, cujus Summa virtus, integritas in scribendo & in loquendo libertas, prudentia & litteræ, orbi jam universo, præcipuè Regibus & Principibus, multò sunt notiores, quàm ut cujusquam prædicatione commendari debeant.*

Porrò tanti viri testimonium non admittere nequeo cum ab ipso *nimis vera esse scripta* asserat P. Floravantius & ipse ejusdem Societatis Jesu eximius Theologus, ac Summo Pontifici tunc à Sacris Confessionibus. Multa aliàs mihi suppeditarent alii clarissimi ejusdem Religiosæ Societatis Alumni, Mat-

thæus Greuterus ? Conradus Vitter: Joa. Argentus: Maffeius: sed hæc pauca sufficiant, ut cognoscat Eupistinus, nos agere & Societatis prædictæ causam, dum *certa & inconcussa* D. Augustini & Doctoris Angelici Dogmata propugnamus. Quare mi Eupistine, nihil mihi dicendum superest adversus tua duo volumina, nisi quod dixit D. Augustinus lib. 3. contra litt. Petiliani c. 1. ad retundendos ejus maledicentiæ aculeos. *Vidisti tanta firmitate roboratam, tantâ luce illustratam, quam tenemus & defendimus veritatem, ut quid contra eam dicendum esset invenire non posses. Audisti etiam multorum, qui ea legerant, expectationem in te esse conversam scire cupientium quid diceres, quid ageres, quà evaderes, quò ex tantis angustiis erumperes. Hic tu qui debueras contempta opinione vanorum, pergere ad veram, sanamque sententiam: fecisti quod de talibus Scriptura prædixit, &c.*

Cæterum Superis faventibus nihil unquam impediet quominùs eò, quo cœpimus pede pergamus, & dicamus ad finem usque (Salvo semper in omnibus Ecclesiæ judicio) à Deo Optimo Maximo causas secundas etiam liberas præmoveri ad id omne quod bonum est, sine quo nihil omninò possunt, nam ab eo, non pars; sed *omnis virtus earum*, nihilque est in palmitibus, quod non sit ex hac Vite, in qua quisquis non manserit, arescet: nec ullum ferre poterit fructum ex semetipso, seu ex veteri trunco Adami, nisi in bonam insertus olivam, à Deo motus & excitatus fuerit.

Quare his finem imponat aureis his verbis Divinus Hyponensis, *quidquid habes meriti, præventrix gratia donat. Nihil Deus in nobis præter sua dona coronat.* Seu ut ipse aliter loquitur Epist. 105. quam legendam suademus.

Quid hic desiderandum supersit non video, nisi ut breviter ostendam quibus ex fontibus deprompta sit hujus Apologiæ doctrina, indigitando eorum nomina, quorum testimonia fusiùs relata sunt & toto opere sparsa: ut cognoscat Lector, ex tam pura scaturigine, non potuisse nisi aquarum limpidissimam & saluberrimam dimanare.

1 Ex Scriptura Sacra & præcipuè
2. Ex Apostolo.
3 Ex Epist. Canonic. D Jacobi.
4 Ex Conc. Tridentino.
5 Ex Conc. Constan.
6 Ex Conc. Arausic. 2.
7 Ex D. Augustino.
8 Ex D. Ambrosio.
9 Ex D. Cyrillo.
10 Ex D. Cypriano.
11 Ex D. Chrysostomo.
12 Ex D. Gregorio-Magno.
13 Ex D. Bernardo.
14 Ex D. Thoma.
15 Ex D. Prospero.
16 Ex D. Pio V. Papa.
17 Ex Cælestino Papa.
18 Ex D. Paulino.
19 Ex D. Antonino.
20 Ex D. Leone Papa.
21 Ex Nicæno Concilio.
22 Ex D. Bonaventura.
23 Ex D. Gelasio Papa.
24 Ex Innocentio V. Papa.

Qui ex Societate Iesu stant à parte D. Thomæ & Thomistarum quantum ad doctrinam hic propugnatam.

1 S. Ignatius de Loyola Societatis Iesu Fundator: paginâ, 138. 343. 360. & 362.

2 S. Franciscus de Borgia, pag. 360. & 361.

3 Bellarminus Card. 333 & seq.

4 Toletus Cardin. 288. & seq.
5 Celladeus, à pag. 142. & passim.
6 Baëza, pag. 221. & seq.
7 Cornelius à Lapide. pag. 238.
8 Mendoza. pag. 239
9 Palavicinus Cardin. pag. 253. & 363
10 Mariana. pag. 254. & 364.
11 Azorius, pag. 289.
12 Alamannius, pag. 289. & seq.
13 Henriquez, pag. 290
14 Pererius. pag. 290
15 Canisius. pag. 290. & seq.
16 Salmeron. 291
17 Typhanius. pag. 300 347 *& seq.*
18 Ludovicus à Ponte. pag. 357.
19 Rodriguez. pag. 358.
20 Claudius de Lingendes. pag. 358.
21 Comitolus. pag. 358. in fin. n. 7.

Hic possem plures alios laudare ex hac inclyta Societate pro Thomistarum justificatione: nam si sermo sit de convenientia doctrinæ Divi Thomæ cum doctrina Jansenii quam falsò ipsis imponunt: meritò pro ipsis intercedet R. Pater Annatus in libro cui Titulus est, *Iansenius à Thomistis Gratiæ per se-ipsam efficacis defensoribus condemnatus citatus pag.* 270. Huic suffragabitur hac in parte, Pater Deschamps supra etiam citatus pag. 223. cum Martinono laudato pag. 268. quibus testibus in tuto sunt Thomistæ etiam contra Calvini doctrinam. Si ullus supersit scrupulus pro libertate sub ipsa Gratiæ efficacia: fidejussor erit pro Thomistis ex eadem Religiosa Societate Cardinalis de Lugo pag. 223. relatus cum Ripalda citato pag. 224. & Tannero relato pag. 251. Quid ergo jam dicturus es mi Eupistine? Aut quo confugies cum desertus sis ab omnibus qui hactenùs nomen sibi fecerunt in Religiosa hac Societate? Hoc unum à te tantùm efflagito, ut contra te & alios doctrinæ D. Thomæ (si qui supersunt) Adversarios, mihi liceat hæc verba D. Augustini usurpare lib. 2 adversus Julianum in epilogo: *Hi sunt, qui quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt. quod à Patribus acceperunt hoc filiis tradiderunt. Nondùm apud illos Iudices aliquid agèbamus; & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis, latas contra vos, sententias recitamus.*

Amice Lector ut tuo solatio faciamus satis, unoque intuitu cernere possis ac discernere quinam sint qui stent à partibus D. Thomæ aut ab eodem in aliquo recedant, duplicem Elenchum subjicimus: nec mireris si unum aut alterum semel legas in utraque parte: nam ubi quempiam in aliquo reperi resipiscentem & Doctori Angelico consentientem, nolui ipsum debitâ sibi laude defraudari: ubi verò in aliquod ipsum impegisse existimavi, ipsi quoque respondendum duxi, quia Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis Amica veritas.

Elenchus Authorum, qui vel datâ opera hic refutantur vel quibus occasione occurrentibus, obiter quidpiam respondetur.

1 Pater S. Ju, pagina 2. & passim toto libro 1.
2 Fictus Germanus Philalethes Eupistinus, passim toto opere.
3 Fictus Amadæus. 185. & seq.
4 P. Fabri, 28. 137. & 190.
5 Tamburinus. 170 in fin.
6 Cardenas passim. 89. & seq.
7 Filiucius. 121. & seq.
8 Terillus. 147. 163 & seq.
9 Escobarius. 112
10 Prædestinatus. 165. in fin. & seq.

Elenchus Authorum qui in hoc opere justificantur.

FINIS.





INDEX RERUM.

Alcibiades

E.

F.

G.

H.

I.

P.


D. Prosper


Q.

T.

V.

Finis Indicis.





Monitiuncula pro quibusdam erratis quæ ex prælo irrepserunt: ac firmâ pace stabiliendâ.

AMice Lector, libros ac liberos in hoc conferebat quidam Modernus: quòd sicut hi, citra speciem miraculi non nascuntur sine labe originalis maculæ: ita isti non eduntur absque aliquo vitio, saltem ex prælo: ex quo fateor nonnulla irrepsisse, & præcipuè ab initio usque ad litteram K. (reliquo opere emendatô, accuratiori studiô.) Itaque cum repereris v. g. paginâ 6. Castas auras: lege, *aures*. Item pag. 7. Escolarium: l. *Escobarium* P. 10. Cardinales sive poli l. *Cardines* pag. 30. Menemus l. *Monemus* p. 289. Almaïnum l. Alamannium p. 13. ur, l. ut. p. 41. Cultorem l. Cultorum. p. 56. Clavesio l. Clavasio. pag. 47. ve, l. vel. Itidem aliquando reperies *sic* pro *sic*. Quæ & similia fragilitatis humanæ indicia (in quibus littera pro littera oculorum aciem facilè effugit ac fefellit, cum sensum non mutent, & ex materia satis innotescant, faciliùs emendabit, & excusata habebit Lector benevolus, quem proinde nihil irretitum, ancipitem aut dubium efficiet circa veritatem rerum aut impediet quominùs inoffenso pede decurrat. Cæterùm etiam non nego (ne alio fine quispiam id factum esse perperam interpretetur) quin ex nimia erga Typographos indulgentia nonnullæ sint lineæ italico caractere, aut è converso, quæ in alio esse debebant, multaque eo scripsisse eadem & solâ intentione, quâ alii majoribus scribunt characteribus; nimirum ut speciali attentione ponderarentur à Lectore. Et ita cum pag. 3. dixi, *Nos ambulare in sola defensione veritatis*, ly *sola* effluxit, non ut quidpiam, verbis Apostoli adjicerem, (quod absit) sed tantùm ut indicarem à me sperni convitia ab Eupistino mihi illata, quem tantummodò & unum moveret, tuendæ veritatis studium. Quòd si aliquando coactus fui vocabulo *Antithomista* uti, ut uno verbo homines diversæ professionis à nobis hac in parte dissentientes, exprimerem, nemo malam in partem id accipiat, aut per injuriam à me dictum existimet: hos enim quos impugnavi solo jure defensionis, non obstante opinionum diversitate, honori & amori semper in Christo habui.

Aliquis etiam error irrepsit circa numerum in Tabula Materiæ expressum: sed hic levioris momenti judicabitur cum materia ipsa non desit fideliter relata ex suis Authoribus, qualis est ille de Musca Manichæi falsò pag. 283. quod testimonium legitur apud D. Aug. to. 9. tract. 1. in Joa. post medium. Item Conc. 2. Arausic. quod itid. hìc reperies pag. 239. 240. & 241.

Quare hoc unum ab Adversariis efflagito, ut his in tricis, Eupistini exemplo non irretiantur; sed ad rem accedant: v. g. ut nobiscum damnent propositionem pag. 164. relatam: ***In negotio Animæ, bona fides sufficit, &c.*** rationesque quibus hæc innititur, adhuc pejores. Itidem & hanc pag. 124. citatam, ***ubi tanquam certum sibi proponitur in aliqua operatione non esse peccatum, nullum esse peccatum.*** Aliamque pag. 129. adhuc magis intolerabilem, qualis est & illa quæ legitur pag. 163. & quæ nominatim à pagina 141. impugnantur in sex cuniculis & sequentibus. Item ut fateantur pessimam esse ficti Prædestinati doctrinam hìc impugnatam p. 166. & falsum nobis impositum esse pag. 196. Item ut nostras admittant æquissimas expostulationes, de quibus

pag. 207. & seq. caveantque à propositionibus relatis pag. 47. & his similibus, quibus bellum indiximus.

Item postulo ab iisdem, ut legitimas expositiones doctrinæ nostræ appendant ac si possint, ipsis contradicant: quod si nequeant, jam jam desinant nobis imponere & falsis suppositionibus agitare: Ac denique D. Thomam legant & revolvant, atque supra centum hic relata ejus testimonia rimari studeant (qualia leguntur paginâ 318. & alibi passim;) saltem ut experiantur, utrum alium aliquem sensum his vel apparenter affingere possint, præter eum quem à tot annis propugnant Thomistæ.

Quòd si his non obstantibus adhuc voluntariè perseverent impugnare doctrinam D. Thomæ, viderint ipsi quid non solùm eidem sint responsuri, sed & sancto Præsuli Augustino, tom. 2. Epist. 105. qui causam Dei agens, ait: *Nolunt autem, ut sit ipsi gloria in justificandis impiis, gratuita Gratia, qui ejus (scilicet Dei) justitiam ignorantes, suam volunt constituere..... ut sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare, ut retribuatur eis ab illo, de quo dictum est (Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Et suo putantes præire merito, illum de quo audiunt, aut potiùs audire nolunt (quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.....)* quorum objectionibus occurrens, ait: *Nulla ne igitur sunt merita Justorum? Sunt planè, quia justi sunt.... & justificati gratis per Gratiam ipsius: Rom. 3.* Et tanquam præsagâ mente prævidisset reliqua Adversariorum subterfugia, addit ibidem: *Ne quisquam existimaret credentes sic ad ejus præscientiam pertinere, quomodo non credentes; id est, ut non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodò voluntas eorum prænosceretur, mox adiecit atque ait... Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo;* factoque discrimine, quo justi & injusti moventur à Deo, ait: *Aliter adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans, adjuvant ut sint fideles: inhabitans, adiuvat iam fideles....* Ac tandem sic concludit: *Ipsa vita æterna quæ utique in fine habebitur, & ideò meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita quibus redditur: non à nobis patrata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per Gratiam, etiam ipsa Gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Denique de his quæ hactenùs à me scripta sunt, hoc unum peto ab erudito Lectore (quod à suis postulabat Ruffinus in consimili occasione) ut scilicet *non quàm eleganter aut ornatè scripserim, sed quàm verè ac sincerè* perpendat. *Salvo in omnibus S. R. Ecclesiæ judicio.*

PRIVILEGE DV ROY.

LOüis, par la Grace de Dieu, Roy de France et de Navarre: A nos Amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senefchaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra; Salut. Nostre bien amé le Pere Jacques de S. Dominique, de l'Ordre des Freres Prescheurs, Professeur en Thologie, Nous a fait remontrer qu'il avoit composé un Livre intitulé, *Compendiaria Theologiæ Moralis Explicatio ad sensum Sancti Augustini, Leonis Papæ, Divi Thomæ, & præsertim circa doctrinam de sententia Probabili. Accedet assertus Doctori Angelico Previus Dei in omnes creaturas influxus*; qu'il desireroit donner au public, s'il nous plaisoit luy accorder nos Lettres de permission d'imprimer sur ce necessaires. A ces Causes, Nous avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes, audit Exposant de faire imprimer par tel Libraire Imprimeur qu'il voudra choisir, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeïssance, ledit Livre en un ou plusieurs volumes & tomes, en telles marges & caracteres, & autant de fois qu'il voudra pendant dix années, à compter du jour qu'il sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, faisant tres-expresses inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres de l'imprimer, vendre & debiter en aucun lieu de nostre obeïssance, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, ou fausse marque, d'en faire des Extraits; & à tous Marchands Estrangers Libraires & autres, d'en apporter en ce Royaume d'autre impression que de celles qui auront esté faites du consentement dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy en vertu des Presentes, à peine de trois mil livres d'amende payables sans deport par chacun des contrevenans, & applicables un tiers à Nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, ou à ceux qui auront droit de luy; de confiscation des Exemplaires, & de tous dépens, dommages & interests: à condition qu'il sera mis deux Exemplaires desdits Livres en nostre Bibliotheque publique, un en celle de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal Chevalier le Sieur Daligre Chancelier de France, avant que de les exposer en vente, à peine de nullité des Presentes, lesquelles seront enregistrées gratuitement & sans frais dans le registre de la Communauté des Marchands Libraires de nostre bonne ville de Paris. Si vous mandons que du contenu des Presentes vous fassiez joüir & user plainement & paisiblement ledit Exposant & ceux qui auront droit de luy, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens au contraire. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Livres autant des Presentes, ou Extrait d'icelles, elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & que foy y soit ajoûtée comme aux copies collationnées par un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent

ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous Exploits requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, nonobſtant clameur de Haro chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires : CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à S. Germain en Laye le 12. jour de Decembre, l'an de Grace mil ſix cens ſoixante & quinze, & de noſtre regne le trente-troiſiéme. Signé par le Roy en ſon Conſeil, PEPIN.

Le P. JACQUES de S. Dominique a cedé le Privilege cy-deſſus à ESTIENNE MICHALLET, Imprimeur & Libraire, pour en joüir ſelon toute ſa teneur, quant à l'Ouvrage intitulé, *Compendiaria Theologiæ Moralis Explicatio, &c.*


Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de cette Ville de Paris, le 22. jour de Iuillet 1676. ſuivant l'Arreſt de la Cour de Parlement du 8. Avril 1653. Signé, THIERRY, *Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 4. Aouſt 1676.



COMPENDIARIUM SUPPLEMENTUM BIPARTITUM pro clariori prædictorum intelligentia.

Quo sufficienter interim quatuor rationibus fit satis Historico Ventilabro R. P. Gabrielis de Henao : & quatuor præcipuis difficultatibus contentis in posthumo Suaresii de Auxiliis Tomo, donec utrique Authori prolixior instituatur Responsio.



PRIMA PARS.



In qua Historicum R. P. Gabrielis de Henao Ventilabrum, ita uncô suspensum demonstratur, ut vanum ac inutile ad ullam fidem faciendam circa Scientiam Mediam judicetur.



PRIMO quidem ex eo quòd Historica hæc Narratio, eorum nitatur testimonio, quibus de jure, nulla fides sit adhibenda : immò contra eos, omnibus legibus justa formetur Exceptio : juxta quas inauditum est, ut partes admittantur in Testes in propria causa. At tales sunt hac in parte Patres Societatis toties ab Henao citati in toto suo Ventilabro, scilicet Bastida, Arrubal, Valentia, Theophilus Raynaudus, omnesque Belgici Patres, Libri Imaginis primi sæculi Authores. Ergo, &c. Et ne hæc sine fundamento loqui videamur, lege de testibus : Cap. *Personas:* ubi reperies, qui à testimonio ferendo repellantur, *simili morbo laborantes.* Item Cap. *in litteris*, in quo legitur : *Non sunt idonei testes, quos Actor de Familia sua producit.* Quod si secùs fieret, certè vix, & ne vix quidem, ullus unquam lite caderet. Quod si nonnulli, præter prædictos testes domesticos reperiantur : constat hoc ipsum, quod proferunt, fuisse ab ipsis acceptum. *At de similibus simile judicium.*

2 Magnum præsidium habere se arbitratur P. Henao in quibusdam Manuscriptis, quibus totum primum suum Volumen intumescit : eductis (ut ipse ait, pag 6.) ex suorum Collegiorum Bibliotecis. Verùm teste eodem Henao, ab Innocentio X facta est prohibitio anno 1654. ne ullus uteretur hujusmodi scriptis, tanquam testimoniis Actuum Congregationum de Auxiliis : quibus & his similibus, si ipsi Eupistino toties supra citato fidem adhibeamus ; non major fides adhibenda sit, quàm Æsopi fabulis.

3. Relictâ P. Molinæ (quem Henao N. 1601. vocat Antesignanum Scholæ Je-

suitarum) Personâ : id quod ait de ejus doctrina, est ipsi Societati prorsùs injuriosum : dùm enim ait Henao tom. I. pag. 46. nu. 64. in fin. *Hujus praclarissimi Doctoris, & quasi inceptoris nostra Schola, tandiu vigebit memoria inter mortales, quandiu littera florebunt.* Quibus si addere volueris, quod de eodem ipse ait pag. 85. nu. 140. per hæc & similia encomia satis designat, inclytam hanc Societatem profiteri doctrinam in multis falsam. Siquidem ut fatetur ipsemet Henao pag. 48. Major ipse Defensor Molinæ Gregorius de Valentia, suo ac totius Societatis nomine dixit coram Summo Pontifice, id quod sequitur : *Apertè profitemur Doctrinam Molina defendendam nos suscipere... Non ut per omnia veram & communiter in Societate nostra probatam : multi enim Theologi nostri, aliter quàm Molina de non paucis rebus sentiunt.* Quô non obstante de eo ait Henao, loco supra citato : *Non posse non esse gloriosum Molina, quod tam magnum Agmen agat secum, Magni ipse Agminis instar.* At, omne quod non est verum, ut ait Valentia, relictis tricis novæ Probabilitatis; falsum dicimus cum reliquis mortalibus. Falsum verò esse, magnâ ex parte, id quod docetur in hac Religiosâ Societate, concedi non potest sine magno ipsius dedecore : quod dici de se sine dubio non patietur, nec fortassè id ipsum quod sequitur dictum ab Henao in præfatione Scientiæ-Mediæ, quam ille vocat, *Tesseram & Ornamentum* Societatis prædictæ : quô certè ornamento privati essent, non solùm præcipui ejus Doctores supra laudati, pag. 365 : sed & ipsius S. Pater Ignatius, quibus omninò opposita est Molinæ doctrina, ut patet ex dictis, pag. 192. 242. & 360. 224. 231.

Quartò probatur eadem prædicti Ventilabri suspensio. Si duæ opiniones probabiles contrariæ ex æquo pugnantes, nullam faciunt fidem, ut supra pag. 95. evidentissimè evicimus, hoc vel solo duorum testium æqualis fidei exemplo, quorum unus affirmat : v. g. crumenam inventam ad Tullium pertinere : alter verò negat coram judice, qui proindè in ea remanet animi dispositione, in qua esset, si nullos testes haberet At Historica narratio P. Henao facta pro Scientia-Media, talis est : etenim est alia ei opposita, ipsique è diametro contraria, non solùm æqualis fidei, sed quæ illam superet multis partibus; cum sit scripta à viris doctissimis ac Religiosissimis, nulla prætermissa diligentia pro veritate aperienda, & quod caput est, neutri partium addictis : quam Historiam omnes proinde veriorem ac certiorem judicabunt. Quare vide illam supra pag. 225. & seq. ut inde possis nobiscum inferre, quàm merito jure dixerimus, Magnum istud P. Henao Ventilabrum ita esse uncô suspensum, ut sit indignum cui ullam possit quisquam prudenter adhibere fidem.

Amice Lector, si Superis placet, ut aliquando novæ hujus Operis editioni operam demus, concessô à Deo temporis spatio : quinque supra quinquaginta notis remissoriis (quas jam paratas habemus) expungentur omnes ejusdem Authoris Theologicæ Eventilationes, quibus nihil novi dixit Henao in altero suo volumine, quod non sit sufficientissimè confutatum in isto, sed ad Suarium breviter accedamus.

PARS ALTERA COMPENDIARII SUPPLEMENTI.

IN quo specialiter circa quatuor fit satis Suaresio, & aliis, ex quibus nonnulli delitescere satagunt in sufficientia Motionis Moralis: alii concursum prævium quidem admittunt, sed determinabilem per voluntatem creatam: Alii verò ad Concursum simultaneum confugiunt: *Ne Deus dicatur causa peccati.* Alii denique, nullum sub Præmotione physicâ relinqui locum Gratiæ sufficienti perperàm prætexunt.

Primum ergo est sufficientia Motionis Moralis.

Præter ea quæ jam supra dixi, pag 320. & seq. de insufficientia Motionis moralis, breviter adverto Suarium (si tamen ipse est, & non potiùs hi, qui ab ipso Titulo fatentur hoc opus, *accommodasse contra Iansenium*, maximè intendisse Motionem moralem pro physica substituere: nam pag. 16. *de intelligentia Auxilii efficacis*, postquam de Morali sermonem habuère, sic aiunt *atque hoc in rigore satis est, ut dicere possimus, Deum physicè facere ut velimus, quia per physicam efficientiam facit id, quo moraliter inducimur ad volendum.* Verùm jam alibi ostendimus hoc, esse falsum & contra omnes leges legitimæ divisionis, sicut & contra Tridentinum, quod ait liberum arbitrium motum esse & excitatum: motum quidem effectivè ex parte potentiæ: excitatum verò, ex parte objecti. Quare tantummodo superest ut quædam loca D. Augustini & doctoris Angelici ostendamus, quibus præfatæ Motionis Moralis sufficientię resistunt. Sic S. Præsul de spiritu & litt. c. 3. & 34. Et lib. de gra. Christi c. 24. ubi ait, *legant & intelligant: intueantur & fateantur, non in lege ac doctrina forinsecus insonante: sed interna atque occulta, mirabili & ineffabili potestate, Deum operari in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Item tom. 2. Epist. 105. omninò legenda, & passim centies D. Thomas de pot. q. 3. a. 7. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. in cap. 8. Joa. lect. 4. & ibid. c. 14. l. 6. in cap. 8. ad Rom. l. 3. Ponderentur omnia quæ his in locis scribuntur, & nominatim ea quæ hìc supra ex eo retulimus, pag. 318. ut innotescat quanta sit insufficientia Motionis Moralis si sola sit. Cujus sunt tres defectus; 1. Quod effectum non inferat infallibiliter, ac proinde apta non sit ad exprimendum modum sive certitudinem Agentis, *cujus intentio non potest deficere*, seu cujus voluntas semper impletur. 2. Motio Moralis aliquando non est sine aliquo libertatis præjudicio, ut patet in naufragio, & in omni metu cadente in constantem virum. 3. Non rectè præscindit à peccato: cum enim Moralis causa, non influat activitate propriâ, sed propositione objecti, non magis potest præscindere à defectu subsecuto ex operatione, quàm ipsum objectum pręscindat. At si objectum aliquam includat deformitatem, movens mediante objecto, hanc deformitatem includit: & hinc fit (quod notatum velim) ut persuasio sive consilium, judicetur bonum vel malum, juxta mensuram bonitatis aut malitiæ in objecto repertæ.

Secundum quo utuntur Adversarii adversus Thomistas est concursus indifferens, & indeterminatus per voluntatem creatam determinabilis.

Porrò certissimum est per illum non ritè explicari Mysterium Gratiæ ad mentem D. Augustini & D. Thomæ: ut patebit legenti de gratia Christi cap. 47. & lib. 4. contr. Epist. Pelag. cap. 6. in fin. tom. 7. lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. Et lib. 4. contra Epist. Petil. cap. 82. Item lib. 1. de prædest. Sanct. c. c. 8. & 9. cui S. Prosper suffragatur de vocat. gent. cap. 25. *Contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem ubi ait invictissimam reniti sententiam Apostoli dicentis. Quis te discernit? Aut quid habes, quod non accepisti? Illius ergo,* inquit, *profunditas quæstionis, quam secundùm admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non solvitur.*

Deinde si solo concursu indifferenti Deus debet uti pro libertate servanda, ut volunt Adversarii, sequitur Deum non habere tantum dominium in liberum bitrium creatum, quantum habet in alias res creatas: & quamvis hoc concedat Henao tom. 2. nu. 674. hoc tamen est falsum & contra D. August. tom. 7. lib. de cor. & gra. cap. 14. ubi ait, *Deus habet magis in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas.* Item lib. 1. retract. c 22. Hunc sequitur D. Fulgent. de Incar. c. 29. *Itane,* inquit, *rerum ordo credi, putarive permittitur, ut Deus qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare? Et qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit? Hanc amentiam,* inquit, *& à fidelibus arceat, & ab infidelibus auferat.*

Hos sequitur Doct. Angel. de verit. q. 22. a. 8. *Sicut voluntas,* inquit, *potest immutare suum actum in aliud; ita & multò ampliùs Deus.* Lege 1. p. q. 19.

At ne quid subindè metuas pro libertate, lege eumdem de veritate q. 24. a. 1. in arg. *Sed contra* & ibid. a. 1. ad 3. ubi ait, *per hoc quod Deus est causa* operans in cordibus hominum: non excluditur quin ipsæ mentes humanæ sint causæ suorum motuum: unde non tollitur ratio libertatis. legatur ibid. q. 22. a. 5. & 6. Item quodl. 1. a. 7. ad 2. & de Malo q. 6. ad 3. & 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. Legatur & D. Prosper contra Collatorem cap. 12. *Voluntas non aufertur,* inquit, *cum in ipsa benè velle generatur.*

Legat qui voluerit Divum Augustinum tom. 9. tract 1 in Joan. circa medium ut exemplo muscę discat an tutum sit in fide asserere actum liberi arbitrii formaliter ut liberum non esse à Deo immediatè, ut vult Henao pag. 189. nu. 671. sicque caveat ab hæresi Calvinistarum ut in pejorem non incidat: habeatque præ oculis præclarum illud Divi Augustini testimonium lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. c. 1. *Sicut Medicus corporis, non continuò pronuntiasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum: ita istis non ideò,* inquit, *veritas gratulatur, quia Manichæi non sunt, si alio perversitatis genere insaniunt.*

Propter prædicta & his similia semper existimavi cavendum esse ab hac propositione Molinę in 1. p. D. Thom. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. nu. 6. *Concedendum*

est dari aliquid, quod sit à nostro arbitrio, & non aliter, eâ praecisè considera-tione à Deo, nisi tanquam à natura, ipsiusque liberi arbitrii Authore, qui eam facultatem nobis contulit. At istud non satis esse constat ex Angelico Doctore, qui centies docet Deum esse causam rerum omnium & quidem immediatam: unde de Malo q. 3. a. 3. sic concludit. *Relinquitur ergo quod causa perficiens & propria actus voluntarii, sit solùm id, quod operatur interiùs: hoc autem nihil esse potest, quàm ipsa voluntas, sicut causa secunda. & Deus sicut causa prima.* Cur ergo Adversarii exempla quaerunt in re singulari?

Tertium quo utuntur adversarii est Concursus simultaneus quô existimant posse sufficienter explicari influxum primi agentis & per eum, Deum remotiorem esse à suspicione peccati, quod sit longè melius sub Dei Praemotione.

Circa primum dicimus hunc concursum esse insufficientem sine praevio. Ita D. Thomas Opusc. 1. contra Graec. c. 23. Et lib. 3. contra Gent. cap. 21. Et probatur ratione, *Quando duae causae simul tantùm concurrunt neutra est prima, sed utraque est simultanea: & simultaneae sunt causalitates utriusque. Neutra in aliam agit, sed utraque in effectum simul influit. Neutra agit in virtute alterius, sed utraque per se & propriâ virtute. Vna non dat esse effectui, ut instrumentum alterius; sed utraque ut causa partialis operatur pari gaudens independentia in ratione agentis. Vna non est alteri causa agendi, nec illam applicat ad agendum, sed utraque, virtute permanenti immutata prorumpit in effectum. Vna non dependet directè ab altera, sed tantùm indirectè, ratione effectus ab utraque procedentis. Vna non est causa effectus prout effectus est ab altera, sed tantùm prout est à seipsa: nec complementum unius est ex virtute alterius. Vna non disponit aliam, nec dat illi vires, aut corroborat ejus infirmitatem. At Deus Opt. Max. omnia ista agit, cum operatur cum creatura. Hunc ergo concursum agnoscimus, sed ut insufficientem: Nec illum omisit, D. Ang. ut ait P. à S Ioseph, ut legenti patebit de pot. q. 3. a. 7. ad 3. 1. 2. q. xi. a 2. Et 1 p. q. 105. a. 5. ad 2 Quod autem Deus adjuvet creaturam praebendo ei vires, lege August. de gra & lib. arb. c. 7. & 16. & to. 4. in exposit. proposit. Epist ad Rom.*

Quantùm autem ad 2. posito hoc unanimi omnium consensu fundamento, nempè privationem esse non posse nisi in subjecto apto, id est, in bono seu in ente aliquo: v. g. caecitatem nisi in animali: cum peccatum sit privatio debitae rectitudinis in actu libero: peccatum habet necessariò pro subjecto aliquod bonum seu ens reale, quod sit à Deo, utpotè universalissimo totius entis fonte sive principio. Conclusio probatur & explicatur. Certum est peccatum, non solùm esse in voluntate, sed etiam in actu & executione. Ita D. Thomas de Malo. q. 2. a. 2. ubi ait: *Si totum id, quod est in peccato considerare volumus: peccatum non solùm in actu interiori consistit, sed etiam in actu exteriori.* Quo saltem per accidens vi nocumenti, ratione scandali & aliorum defectuum, qui solent actum exteriorem concomitari vel subsequi, specialem habet malitiam: estque actio externa causa ut in formalem nequitiam magis intensè feratur voluntas. Unde D. August. tom. 3. lib. 13. de Trinit. cap. 5. *Malâ voluntate*, inquit, *vel solâ, quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ malae voluntatis desiderium*

impletur. Idem docet D. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4. Et tunc peccatum longè majus est, saltem extensivè: nam gravius est re ipsâ interficere virum, quàm solam habere voluntatem, quantumvis firmam interficiendi eundem. Item Opusc. 60. c. 16. *Incipit iniquitas*, inquit Divus Thomas, *in cognitione: crescit in delectatione, abundat in consensu, superabundat in actu.* Unde & meritissimè David grates Deo referebat immortales, quod occursu Abigaïl, manus suas servasset innoxias à sanguine Nabal, quem propter ingratitudinem interficere decreverat. Hoc positô, familiari utamur exemplo.

En maximum auri pondus, aut gravior argenti massa, quam ferre possit vir unus: hanc ergo furari decreverit Socrates, quam tamen auferre non valeat nisi ipsi adsit Adjutor & Comes Tullius, qui sciens Socrati adjungitur. Ecce pro furti executione solus concursus simultaneus. Quæro jam, an idcircò innocens sit Tullius, qui scienter Socrati suam præstitit opem suo concursu simultaneo, pro afferenda præfata auri aut argenti massa, quam solus Socrates aufferre non potuisset, nec quidquam moliri circa eam re ipsa aufferendam magis, quàm creatura operari possit, Deo non concurrente, ut ipsi fatentur Adversarii?

Minimè sanè: unde fur habebitur & Tullius, & eodem furti judicio unà cum Socrate meritò condemnabitur. Quid ad hæc Amice Lector? Ipsam hic obtestor Adversariorum conscientiam, an quidpiam huic objectioni, vel in speciem respondere valeant, quod non magis, faveat Thomistis.

At longè facilius est juxta doctrinam Divi Thomæ evidenter demonstrare, Deum Opt. non posse dici causam peccati, quamvis ex conditione Causæ universalissimæ per influxum prævium influat in liberum arbitrium creatum, cujus aliquem actum aliquando contingat esse basim malitiæ Moralis aliunde provenientis. Etenim cum in homine (quem Deus plus aut minùs movet secundum suam voluntatem) bonus aliquis insurgit motus, si hunc homo impediat ne totum habeat effectum, quem ex natura sua juxta antecedentem Dei voluntatem habere posset ac deberet; homo ipse & quidem solus, est causa hujus impedimenti seu defectus: unde & dicitur is *Spiritui sancto resistere*: & omnis defectus in hoc motu repertus, aut cum illo conjunctus, est à sola voluntate creata, quæ est prima causa deficiens, & ex se sola efficax ad malum, ut ait Divus Chrysologus in hæc verba Lucæ 6. (homo habeat manum dextram aridam.) *dextra est*, inquit, *quæ facit bonum: sinistra quæ facit malum: arida est dextra: valida est sinistra: quia infirmus homo ad bonum: efficax ad malum.* Dixi facilius ostendi, Deum Opt. non esse causam peccati in opinione Divi Thomæ: nam cum dicunt Thomistæ Deum promovere, & per prævium influxum influere in liberum arbitrium creatum, ex cujus vitio peccatum sequitur: multò remotior videtur, estque reipsâ Deus à peccato; quàm si diceretur cum Adversariis, Deum influere immediatè in ipsum actum in quo est peccatum, prout fit per solum concursum simultaneum. At juxta mentem Divi Thomæ Deus præmovet creaturam liberam tantùm ad id quod bonum est. Quod si præmotio Dei non totum habet effectum, quem habere deberet, certum est hoc provenire ex sola culpa creaturæ, quæ vel gratiæ sufficienti & Deo excitanti resistit, vel peccando, impedimentum Gratiæ posuit, quô, facta est indigna, ut actuali ulteriùs & efficaciori Auxilio opportunè à Deo adjuvaretur. Sicque quidquid est entitatis & bonitatis in actu peccaminoso, à Deo esse necesse est: id verò omne, quod ad defectum spectat, sive ad rationem culpæ, cùm sit extra lineam entis, seu extra sphæram activitatis Om-

nipotentiæ Dei (si sic loqui fas est) qui nequit attingere, nisi id quod bonum est : nihil mirum si defectus, etsi conjunctus enti, quod est quasi illius subjectum, refundi non possit in ipsum Deum : Illa enim quæ sunt in uno conjuncta, nullam imponunt necessitatem, ut ab eadem potentia attingantur, ut patet in potentia visiva quæ in uno eodemque pomo, attingit solum colorem, non verò saporem ipsi realiter conjunctum. Idemque dicendum de rationibus veri & boni, quæ quamvis sint ab invicem inseparabiles, à diversis tamen attinguntur potentiis, scilicet intellectu & voluntate : quod maximè verum est, si unum habeat rationem actus : alterum vero rationem defectus, ad quem nullus requiritur causæ primæ concursus. Predicta omnia sunt ex Angelico Doctore deprompta 2. ad Annibald. q. 1. a. 2. ad 1. Item in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. cui viam straverat B. Magister Albertus Magnus in 2. sent. dist. 37. a. 7. Cumque D. Thomas loco supra citato in 2. sent. dist. 37. a. 2. sibi objecisset istud ; *Rei non assignatur causa secundùm quod est in intellectu, sed secundùm quod est in re : at quidam sunt actus in quibus non potest separari illud quod est de natura actus à deformitate, nisi secundum intellectum, quia benè fieri non possunt.*

Ad 5. sic respondet Divus Thomas : *Sicut actio, quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona in quantùm est actio, bonitate naturæ : non propter hoc, quod aliquando inveniatur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ, deformitati substat : ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis in quantum est actio, & non in quantum est deformis.... Etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint : non oportet quod quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum : sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex natura defectu incidit.* Confirmatur primò ex eodem sancto Doctore lect. 2. in 1. Joa. ubi explicat hæc verba (sine ipso factum est nihil.) Confirmatur 2. ex S August. tom. 5. lib. 12. de civit. cap 7. ubi ait. *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis : non enim est efficiens, sed deficiens.. Causam porrò defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quispiam velit videre tenebras, vel audire silentium : quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud, nisi per oculos : neque hoc nisi per aures, non sanè in specie, sed in speciei privatione....* Item tom. 3. lib. imperf. de Gen. ad litt. c. 5 *Non dicimus*, inquit, *Deum fecisse tenebras, quoniam species ipsius Deus fecit...* Certè non bona fide videntur Adversarii nobiscum agere, cum dicunt, dici posse juxta Thom. Deum movere aut promovere : v. g. ad furandum aut mentiendum, &c. quod est falsissimum ; cùm hæc & similia dicant peccatum formaliter. Quod verò dicunt Thomistæ de bono seu entitate : hoc ipsum juxta fidem non possunt Adversarii denegare ; sicque patet Thomistas nihil in hoc asserere, quam quod omnes qui sapiunt. Et magis impossibile est ut Deus, qui est summum Bonum, sit causa mali culpæ, quàm quod tenebræ sint ab ipso Sole.

Prędicta hæc de universalitate & efficacia Causę Primæ visa sunt adeò convincentia, ut ea dissimulare nequiverit Valentia ipse, Magnus Thomistarum Antagonista (& quem Sui in tom. posthumo Suaresii, vocant Theologum incomparabilem) disp. 1. q. 19. de vol. Dei punct. 305. ubi postquam retulit loca in quibus Doct. Angel. ostendit nullam esse entitatem, cujus Deus non sit Causa, ait : *Nihil habent hæ sententiæ (scilicet D. Thomæ) commune cum blasphemia Bezæ, asserentis Deum esse causam peccati.* Deinde sic concludit idem Valentia : *Etiam-*

si peccatum, ut ad bonum ordinatur esset verè bonum, tamen non ideò esset necessarium, ut si Deus vellet, eam rationem bonitatis in peccato, vellet etiam ipsum peccatum in se ut conjunctum illa ratione boni. Posset enim Deus, nihilominùs arbitrio libero voluntatis suæ, ita inter rationem hujusmodi Bonitatis & ipsum peccatum discernere, ut rationem illam vellet, & peccatum abominaretur, etiam ut conjunctum cum illa boni ratione. Legendus D. August tom. 7. lib. de cor. & gra. c. 10. D. Thomas in cap. 5. Matthæi Et ad Rom 13. lect. 5.

Quartò ostenditur contra opinionem Adversariorum sub Prædeterminatione physica locum relinqui Gratiæ sufficienti.

Existimarunt Adversarii & quidem ferè omnes positâ Prædeterminatione physicâ seu aliquâ Gratiâ per se efficaci, cui numquam resistamus, licet ei semper resistere possimus: nullum superesse locum Gratiæ, quę dicitur sufficiens, & dat tantùm potentiam agendi. Oppositum affirmant omnes Thomistæ cum Alvare lib. 8. de Auxil. disp. 71. nu. 2. existimante: *Nullum Catholicum posse dubitare de divisione Gratiæ in Sufficientem & Efficacem*, ubi asserit, *Sufficientem* satis ab Angelico Doctore expressam fuisse, (*Gratiæ excitantis & pervenientis*) nomine. Sicut & efficacem, sub consueto, *Gratiæ adjuvantis*, vocabulo.

Quod si nomine *Gratiæ sufficientis* non sit usus Doctor Angelicus in divisione Gratię: existimant nonnulli id de industria factum esse ab ipso, ne abusus subreperet in vocabulo, tanquam prętet eam (quę dicitur sufficiens) nulla alia crederetur necessaria, scilicet Efficax Quare merito jure, ait Zumel, to. 3. dist. 5. sect. 1. *Auxilium sufficiens*, non dicitur *sufficiens*, ut nomen Grammaticale sonat, quasi de« seipso solùm, & omni alio repulso, non solùm habeat vim agendi & operandi; « verùm etiam exerceat: sed solùm dicitur *Sufficiens* Theologicè: quia dat ho« mini, ut possit agere, tribuitque ei vim ad volendum: sed non completè omni« nò, quia est necessaria gratia efficax intrinseca & determinans voluntatem. «

Per hanc ergo, *Gratiam sufficientem* verè dicimur *posse*. Quia ex parte potentię, nulla alia requiritur Gratia, ad tribuendam agendi virtutem: per eam enim sufficienter excitatur & elevatur facultas naturalis, ut ipsa fiat proportionatum divinæ virtutis instrumentum: sicut & in ordine ipsius naturæ calor elevatur per virtutem animæ sensitivæ, ut per eum caro generetur. Ita subtiliter Navarreta Controv. 19. parag. ii. *Cùm tale Auxilium,* inquit, *non participet rationem potentiæ ab auxilio efficaci: fit ut ex se ipso sit potens operari: cui, si homo non resistat, Deus ex sua liberalitate confert Auxilium efficax tanquam complementum actuale.* Quia Dei perfecta sunt opera.

Utramque ergo Gratiam, scilicet *Sufficientem & Efficacem*, satis expressit D. Thom. 1 2. q. 112. a. 2. ad 2. ubi ait: *Deus aliquando hominem movet ad aliquod bonum, non tamen perfectum: & talis præparatio præcedit Gratiam: sed quandoque perfectè movet ad bonum & subitò Gratiam homo accipit, ut contigit in Paulo.* Et 2. 2. q. 24. a. 3. ad 1. ait: *Spiritus sanctus movet mentem hominis, vel plus, vel minus, secundùm suam voluntatem.*

Quod si gratiæ habituali in justis, etiam à quibusdam tribuatur nomen, *Gratiæ sufficientis*, quia per hanc voluntas sufficienter elevatur in ratione potentiæ, ut actus supernaturales meritorios efficere possit, sine qua voluntas, illos non potest producere, sicut nec aqua ex se potest calefacere. Verissimum tamen est, præter

ter illam semper requiri Auxilium Actuale, satis insinuatum ab Angelico Doct. 1. ad Corinth. 15. Lect. 1. ubi ait: *Deus non solùm Gratiam infundit, quâ opera nostra, grata fiant & meritoria, sed etiam movet ad benè utendum gratiâ infusâ.* Nota hoc. Item in cap. 3. ad Ephes. lect. 2. ait: *Facultatem dat Deus infundendo virtutem & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum: sed etiam operationem confert in quantum operatur in nobis interius movendo & instigando ad bonum: & est donum Gratiæ de quo Apostolus: (secundùm operationem virtutis ejus) id est, quam Deus efficit, in quantum virtus ejus operatur in nobis velle & perficere.* Suntque verba, quæ ante præmiserat singulari animadversione, digna (secundum donum gratiæ Dei.) *Tangit* (inquit D. Thomas) *Auxilium sibi præstitum ad ministeriorum executionem: hujusmodi autem duplex fuit: unum quidem ipsa facultas (scilicet supernaturalis): aliud, ipsa operatio sive actualitas.* Non minus expressè loquitur in cap. 9. ad Rom. lect. 3. Hic ergo non abutendum Divi Augustini testimonio tom. 7. lib. de Prædest. Sanct. c. 5. ubi dixit *naturæ esse hominum posse habere fidem.* Est enim illud (*posse*) *Gratia*, (ut ipse ait) *naturæ attributa: quâ sumus animantia rationalia, & discernimur à pecoribus*: verùm hæc non est vera gratia, sed illa qua abutebatur Pelagius. Potentia verò de qua hìc nobis est sermo, cùm loquimur de Gratia sufficienti per quam Deus dat nobis (*potestatem filios Dei fieri*) est supernaturalis: Nam *ut incipiamus, Gratia opus est*, teste Divo Augustino tom. 7. lib. de Gra. & liber. arb. c. 15. *per quam fit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit malæ.* Quare serm. 3. de verb. Apostoli tom. 10. cap. 10. ait: *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis, adjuvandus es, ut plenè velis, & ut impleas quod velis*, quia ut ipse ait, *ad nonnulla superanda, vel quæ malè metuuntur, vel quæ malè cupiuntur, magnis & aliquando totis viribus opus est voluntatis*: utrumque autem exprimitur in istis verbis Apostoli: *Deus operatur in nobis velle & perficere.*

Verùm ex prædicta non repugnantia, cui nomen Gratiæ datum est (quâ discernimur à brutis,) cavendum est ne quis illâ abutatur, ut eam confundat cum potentia supernaturali, qualis est illa de qua loquimur, cum nobis est sermo de Gratia sufficienti: Nam inter utramque hoc est discrimen assignatum à S. Aug. lib. de cor. & gra. tom. 7. cap. 7. ubi ait, *quoniam potest dici: homo, in eo quod audieras & tenueras: in eo perseverares si velles: nullo autem modo dici potest, id quod non audieras, crederes si velles.* Legi poterit Alvarez de Auxil. disp. 37. nu. 4. Et Navarreta cum illo docens, quomodo in una eademque entitate possit reperiri aliquando vis Auxilii sufficientis & efficacis, prout in Conversione Pauli contigit facta ab eo, cui facile est, subitò honestare pauperem: nam sicut in corporalibus sunt quædam infirmitates quæ paulatim sanantur, & aliæ repentè; ut sunt illæ in quibus Deus operatur miraculosè, ita & in spiritualibus.

Si ergo dicatur quispiam nondum habens Gratiam sufficientem *posse converti ac pœnitere*: Hoc intellige tantùm in eo sensu, in quo diximus cum Augustino *naturæ esse hominum posse habere fidem*, id est, habere non repugnantiam quæ est in brutis, in quibus non est liberum arbitrium, cui nomen Gratiæ tribuebat Pelagius ex eo quod ipsis esset gratis à Deo concessum. An vero qui jam Gratiam habet sufficientem quæ sit supernaturale Dei donum ipsi communicatum, sive per Gratiam excitantem, Deo ad ostium cordis tantummodò pulsante: sive per spiritum jam inhabitantem, ut fit in justis, per Gratiam sanctificantem: an (inquam) debeat dici non posse, ex eo quod careat efficaci Auxilio Gratiæ?

Respondeo negativè, & maximè propter AuthoritatemEccl. etenim *non posse* in communi modo loquendi, idem sonat, ac *simpliciter impossibile*. At ex Angelico Doctore de verit. q. 24. a. 11. ad 5. *Quando natura inferior potest aliquid disponere, vel qualitercumque operari, non dicitur impossibile simpliciter: quamvis non possit perfici absolutè, nisi divina operatione: sic non dicimus impossibile esse simpliciter prolem in materno utero animari Animâ rationali.* Et hoc velim accuratissimè notatum. Etenim si possibile dicitur *prolem in materno utero animari Animâ rationali, quæ à solo Deo potest creari: quorsùm amabò dicetur impossibile jam habenti Gratiam sufficientem ex eo solùm quod nondum habeat efficacem à solo Deo expectandam?*

Hìc distinguendum est duplex necessarium: unum ad *posse* quod definitur, id sine quo res fieri non potest. Alterum ad *operari* seu ad actualem operationem: & dicitur id sine quo res aliqua non fit. Primùm convenit Gratiæ Sufficienti. Et secundùm Efficaci: sicque numquam dicetur, quod ille non possit, cui solum actuale Auxilium defuerit: quod fuit judicatum à Patribus & Consiliis (secundo scilicet modo) absolutè necessarium. Et ita facilè solvetur argumentum hac distinctione, in speciem difficillimum: idque ad mentem D. Thomæ, ut patet ex supradictis. Legendus etiam Divus Thomas c. 4 de Divin. Nom. lect. 23.

Porrò, Gratia sufficiens sic explicata, non minus accepta est Sancto Augustino quàm Doctori Angelico, ut patet lib. de Grat. Christi c. c. 5. & 47.: nam semper distinguit S. Præsul *Auxilium quò operari possumus*. ab eo, *quò re ipsâ operamur*: utrumque enim necessarium est, quia ut ait tom. 1. lib. 1. retract. cap. 9. *Omnia bona à Deo sunt.,. & ipse bonus usus liberæ voluntatis in magnis numeratur bonis*. Lege eumdem de gra. & lib. arb. tom. 7. c. 18 Item tract. 47. in Joa.

Sed quia res est maximi momenti, diuque nostrâ ætate, etiam à Viris doctissimis agitata: paulò accuratius illam rimabimur; & præcipuè circa id, quod supra diximus: Nomen *Gratiæ sufficientis* aliquando posse tribui *Gratiæ habituali*. Ita D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 3. ad 3. (*dicendum quod gratia Spiritus Sancti, quam in præsenti habemus, etsi non sit æqualis Gloriæ in actu, est tamen æqualis in virtute, sicut & semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem. Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est* (*Sufficiens*) *causa vitæ æternæ: unde & dicitur* (pignus hæreditatis nostræ 2. Cor. 1.)

Non aliter loquitur S. Doctor de gratia parvulis collata, quam vocat quoque *Sufficientem*, de verit. q. 27. a. 5. ad 16. quia (inquit) *Sufficiens erit cooperari libero arbitrio, quando ipsius usum habere poterunt*. Item in cap. 4. Joan. lect 4. *Sunt*, inquit, *fructus spiritualis doctrinæ, sicut fides & hujusmodi: quæ tamen sunt semina vitæ æternæ, quia per eam, ad vitam æternam pervenitur*. Sit igitur, ut supra diximus *naturæ hominum, posse habere fidem;* actu habere illam, *gratiæ est fidelium* (inquit S. Præsul) *ille enim, qui operatur velle, in bonis arboribus fructum cooperatur, qui & forinsecùs rigat atque excolit per quemlibet ministrum, & per se dat intrinsecùs augmentum*. Ita lib. de gra. Christi c. 19.

Ex dictis satis innotescit, quomodo sic Gratiæ efficacis necessitatem agnoscamus, ut Gratiam sufficientem non negemus: quæ (ut piè creditur) nulli adulto deest in necessariis, prout suadere videtur S. August. tom. 4. lib. 2. de serm. Dom. in in Monte c. 9. dum ait *nullam esse Animam quantumvis perversam* (*si aliquo modo ratiocinetur*) *in cujus conscientia Deus non loquatur*. Et tom. 8. ps. 57. *Hoc* (inquit) *& antequam lex daretur, nemo permissus est ignorare, ut esset. & unde*

judicarentur, & quibus lex non esset data: sed ne homines aliquid sibi defuisse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant, non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Et loco supra citato de serm. Dom. loquens de non habentibus legem: citat illud Apostoli ad Rom. 2. v. 14. *Ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis contestante conscientiâ ipsorum: & inter se invicem cogitationum accusantium vel etiam excusantium.*

In hoc sibi ipsi constantissimus est S. Paul. tom. 4. de Gen. ad litt. lib. 1. c. 1. ubi ait: *Principium quippè creaturæ intellectualis est æterna sapientia: quod... nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis, loqui ei creaturæ ... ut convertatur.. ideò ... respondit (Principium qui & loquor vobis.)*

Huic subscripsit D. Thomas 1. 2. q. 106 a. 2 ad 2. ubi ait: legem novam quantùm est de se *Sufficiens Auxilium dare ad non peccandum.* Item in 1. sent. dist. 46. q. 1. a. 1. loquens de voluntate Dei Antecedente ait: *Hujus voluntatis effectus, est ipse ordo naturæ in finem salutis & promoventia in finem omnibus communiter proposita tàm nàturalia quam gratuita:* perpende hoc Amice Lector.

Confirmatur ex eod de verit. q 23. a. 1. ad 1. ubi ait: *Dionysius non intendit ex illis verbis excludere voluntatem & electionem à Deo: sed ostendere universalem ejus influentiam in res: non enim ita communicat suam Bonitatem rebus, ut quasdam eligat, quas suæ bonitatis participes faciat: quasdam verò à participatione suæ bonitatis omninò excludat: sed omnibus dat affluenter, ut dicitur Iacobi 1. quamvis quantum ad hoc eligere dicatur, quòd quibusdam plura, quam aliis dat ex ordine Sapientiâ.* Confirmari potest iterum ex lect. 2. in c. 1. Joan. Item lect. 3. in cap. 12. ad Hebræ. de verit. q. 14. a. ij. ad 1. Et lect. 3. in cap. ij. ad Rom. ubi loquitur de ipso, in sylvis inter bruta, enutrito.

Tantorum ergo Doctorum vestigia terentes, dicimus (salvo semper Doctiorum: & præcipuè S. R. Ecclesiæ judiciô) fidelibus & justis præter externa quibus pleni sunt Cœli & Terra, & quibus veluti tot vocibus, ad diligendum Deum homines invitantur: semper adesse internum Dei Auxilium, sive illud sit aliqua motio actualis habitui consentanea: sive sit ipse fidei habitus Gratię & Charitatis, quæ ritè dicuntur *Gratiæ sufficientes* non modò quia elevant animam, tribuútque potentiam proximam ad petendas omnes opitulationes proximas ad perseverandum necessarias: sed etiam quia Spiritus Sanctus per hos habitus Animam inhabitans, eam sæpius ad bonum incitat quibusdam motibus saltem imperfectis. Ita Divus Thomas 1. Thess. 5. lect. 2. in med. *Cùm*, inquit, *aliquis bonus motus insurgit, & ipse impedit: extinguit Spiritum Sanctum. Act. 7. (vos semper Spiritui Sancto restitistis.)* Item Opusc. 60. *Sancti habent*, inquit, *Gratiam sufficientem, ad merendam vitam æternam*

Injustis autem & infidelibus, præter externa Dei Auxilia: existimamus etiam quandoque aliqua interna non deesse pro loco & tempore, ut ex citatis D. Augustini & D. Thomę testimoniis colligimus; maximè ex infinita Dei Bonitate, ipsis sæpiùs offerente ad salutem necessaria; quę ipsi pro sua nequitia vel oblata respuant, vel accepta abjiciant. Quod si rebellibus & obduratis peccatoribus qui exultant in rebus pessimis, ut Herodi, Antiocho & similibus; specialia, & quæ Amicis suis, Deus servavit, gratiæ suę, deneget Auxilia: non est cur illi, aut Deum injustum causentur: aut ipsi apud Deum vel homines ulla ratione excusentur, ut per se notum est. Hic velim advertat Lector benevolus, me hac in re loqui ex ipso Sanctorum Patrum judicio: Aug. in ps. 6. post

medium: *dedit eos in reprobum sensum*: *nam ea est*, inquit, *cacitas mentis. In eam quisquis datus fuerit; ab interiore Dei luce secluditur: sed nondum penitus cum in hac vita est.* D. Prosp lib. 1. de vocat. Gent. c. 21. *Credimus*, inquit *nullis hominibus opem gratia in totum fuisse substractam.* D. Tho. de verit. q. 24. a. ij. in corp. ubi ait posse contingere, ut aliquis habeat voluntatem ita formam in malo, *quòd non insurgant motus ad bonum nisi debiles.* At illi motus boni etsi debiles non possunt non esse ab ipso Deo. Quòd verò rebelles prædicti excusationem non mereantur; patet ex D. August. lib. 1. Retract. c. 23. *Sicut legimus in Exod. Obduratum est cor Pharaonis, ut tam evidentibus signis non moveretur. Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat praceptis Dei; jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam.* Superest igitur (quidquid dicant Adversarii) amplissimus *Gratia sufficienti* campus, apud ipsos physicæ Præmotionis Propugnatores: nec est, cur, hoc prætextu, ullus à sequenda D. Thomæ doctrina, hac in parte retardetur.

FINIS SUPPLEMENTI.



INDICVLVS REMISSORIVS,

Ex selectis huius Operis compactus: In quo præcipuæ Patris de Henao Eventilationes Theologicæ; quinque supra quinquaginta Notis expunctæ, jam in antecessum sat confutatæ conspiciuntur.

Monitiuncula Lectori necessaria.



CANDIDE Lector, post primum hujus Authoris Tomum, quatuor argumentis supra confutatum; paulò serius quàm voluissem, secundus meas incidit in manus: sed transcursim volumen istud revolvens, obstupui; cùm hoc Opus tot præconiis buccinatum, totque encomiis à Suis celebratum, evidenter comperi ipsum ferè nihil novi continere, quod præsagâ mente (divina sic disponente providentiâ) non esset à me jam sufficienter occupatum, pro hujusmodi Eventilationibus Theologicis (ut ipse loquitur) etiam confutandis. Quare ex omnibus eius lucubrationibus, quinque tantummodò supra quinquaginta selegi illius Assertiones, (quę sunt in toto ejus Opere, non secùs ac ossa & nervi in corpore) quibus refutatis, totum Opus dicti Patris Henao, ruere necesse sit. Mihi sanè jucundissima fuit hæc brevis excursio in Opera hujus Authoris; rem miram diuque desideratam pollicientis *Pacem scilicet & concordiam.* Quis enim pacificæ tranquillitatis ac Religiosæ mansuetudinis studiosus (qualis ipse semper esse studui) non exoptaret frui tanto, quod ille promittit, munere; aut ex animo non cuperet rem habere cum homine; qui ut ipse spopondit pag. 13. n. 52. *jam canus, Scholam placare vult?* Quique solummodò id petat à nobis, quod tàm ipsi quàm aliis jam ultrò concessum sit. Etenim postquam hic venerabilis senex cum religiosa humilitate paginâ 7. n. 25. secundi sui voluminis, hæc verba Iobi c. 6. v. 24. retulit. *Docete me & ego tacebo, & si quid fortè ignoravi, instruite me,* magis instat ibidem ex Pineda hunc in modum: *Perfundite me temporaneâ & opportunâ doctrinâ quâ refrigerer, quâ defervescat ignis mearum hæsitationum: sed ne me percellatis conviciorum turbine: ne tonetis vocibus & clamoribus: ne fulguretis excandescentes adversus addubitantem hominem.* Verùm, nihil horum ex me est ipsi metuendum, qui hactenùs, cum ipsis, qui oderant pacem, fui pacificus.

Fateor tamen in ipso Ventilabri, patris de Henao, limine à me repentè in quidpiam impegisse, quod quamdam animi commotionem, nisi citò occurrisset ratio, excitare merito potuisset. Incipiens enim Henæo loqui de Scientia-Media, dixit in ejus ortu *anguineos sibilos insurrexisse, lethiferosque rictus immanè hiasse.* Quod sanè nedùm pungens, sed aculeatissimum est & injuriosum dictum de tot viris Religiosis, qui aut miraculis claruerunt, aut pro meritis in Ecclesia sacris decorati sunt Infulis: unò verbô, *quorum memoria in benedictione est.* Quales fuerunt illi, qui ut fatetur pagina 224. laudatus ipse Ripalda Societatis Iesu Author celeberrimus, *solò Catholicæ Doctrinæ retinendæ studiò ac zelò,* novitati scientiæ hujus Mediæ contradicebant. Cui scientiæ, ut alius eiusdem Societatis Scriptor subtilissimus Thyphanius asserit, non plus fidendum quàm somnio dormientis, quamque omnes qui sapiunt, semotô partium studiô, fatentur Deo Opt. Max. indignam, utpotè quæ faciat ipsum à creatura dependentem: præter cætera, quæ ipsam repulsâ dignissimam efficiunt.

Verùm, si hominibus durum sit comparari serpentum sibilis: durius profectò erit viris Religiosis accenseri hæreticis, prout factû legimus pag. 78. n. 133. & toto ferè primo volumine, dùm refert ac objicit Henao contra Thomistas, quæ scripta nunquam fuerè, nisi

contra hæreticos, quâ scribendi arte Lectorum simplicitati periculosè insidiatus est, nisi eidem occurramus. At his omnibus libenter obsurdescimus, propter viri resipiscentiam, qui in altero suo volumine religiosius scripsisse ac stylum prioremque differendi methodum temperasse videtur. Ad rem igitur pacificè accedamus.

ELENCHVS ANIMADVERSIONVM.

In quo 55. Notis expunguntur præcipuæ P. Henao Eventilationes Theologicæ.

Nota prima.

VTrum Sorbona Scientiæ-Mediæ adhæreat?

Hic præ oculis habendum D. Augustini Monitum to. 7. lib. 2. contra Donatistas, c. 1. *Si* (inquit) *necessitas præsentium quæstionum breviter quid iterare compulerit: ignoscant scientes, ne offendãtur nescientes: satius enim est, offerre habenti, quàm differre non habenti.*

Ait ergo fidenter Henao pag. 13. sui Ventilabri n. 20. id quod sequitur. *Testatur Petrus à sancto Ioseph accepisse se à fide dignis; ne unum quidem in Collegio Sorbonico, ex quo tempore excitata est controversia inter Dominicanos & Iesuitas, repertum esse qui Scientiæ-Mediæ non adhæserit. Quod adeò* (inquit) *perseverat. ut....Et ideò*, inquit Henao, *nostra hac est propria gloriatio in hac disputatione, quod Sorbonam sequatur, Scholarum omnium parentem.*

At, quid huic jactantiæ reponendum, quidve presagâ mente dictum sit suprà, hac de re, vide suprà paginâ 205. & 206.

Nota 2.

An admittenda suppositio facta ab ipsomet Henao? Paginâ enim 25. n. 41. in fine loquens de his qui vocant Bannesium, *primum parentem & assertorem Physicarum Prædeterminationum*, ait, *Sit hoc de Dominico Bannez mendacium: dummodò & mendacium sit quod Ludovicus Molina appelletur inventor Scientiæ-Mediæ.* Ita Henao.

Reipsa esse mendacium hoc de Bannez dictum fatemur; cum delecti Doctiores ex Societate ut Cursum Philosophicum componerent, palam fateantur præviam Dei Motionem esse ipsiusmet Divi Thomæ. Ita lib 2. Phys. q. 13. a 1. ubi aiunt. *Discutienda se offert celebris opinio D. Thomæ...*, 2. Effatum patris Henao non quadrat encomiis ipsi Molinæ datis hic in compendio in fin. pag. 2. 3. Minuit ipse famam Molinæ, qui in Domino gloriatur à se inventam fuisse Scientiam-Mediam: ut infra dicemus Nota 51. ipso teste Henao.

Nota 3.

Vtrum R. P. Generalis Turcus fuerit Præmotioni contrarius?

Affirmat Henao pag. 26. n. 42. in fin. quodque repetit in suo alio volumine.

At quàm falsum sit istud; vide supra pag. 210 & seq.

Nota 4.

Patres Dominicani (inquit Henao pag. 29. n. 45.) & *Patres Societatis ab anno 1594. ad hodiernum usque diem æque contendunt de mente S. Augustini & S. Thomæ, ac de ipsa re, id est Præmotione.*

℞. Thomistas nunquam contendisse de mente D. Thomæ circa Præmotionem hic pag. 282. proprio etiam nomine expressâ: & centies alibi quoad rem significatam.. Qui verò circa mentem D. Augustini & D Thomæ ancipites essent Thomistæ hac in parte, cum pro hâc, hos laudent supracitati Connimbricenses 2 Physic. licet eos non sequantur; & Molina ipse fateatur propter Præmotionem se recedere ab Angelico Doctore, ut supra diximus pag. 191 Legi poterunt supra D. August. & Doct. Angel. pag. 283. & à pag. 276. usq. ad pag. 301.

Nota 5.

Affirmat Henao pag. 27. ex Oratione Bastidæ factâ coram summo Pontifice, Prædeterminationem Physicam esse Scripturis sacris contrariam.

At tam apertę falsitati obviam processi. pag. 234.

Nota 6.

Prędeterminationem repugnare sacris Conciliis ibidem asseruit idem Henao.

Sed oppositum reperies pag. 285. & seq. Item pag. 295. pro Arausicano 2. cujus omnes canones stant pro hac veritate.

Nota 7.

Nullam hîc faciemus Bastidę aut ipsi Henao eum referenti, injuriam: si dixerimus ipsos non satis accuratè D. Thomam legisse: aut illius Doctrinam dissimulasse hac in parte, cum pag. 27. suarum Eventilationum asserunt, *per Præmotionem auferri Gratiam sufficientem*. Nam ad hoc refutandum opus est oculis tantùm, ut legas quę diximus hîc in fine pag. 8. Supplementi.

Nota 8.

Ita metuebat Henao, ne quis Bastidę fidem adhibere detrectaret asserenti pag. 27. *per Præmotionem auferri libertatem*, ut idipsum dixerit rursùm n. 935.

Verùm; utrique poteris sine negotio os obstruere, si legere volueris quæ supra diximus pag. 223. & 231. passimque toto Opere.

Nota 9.

Gravius est id, quod ex eodem Bastida loco supra citato refert, nobisque imponit idem Henao, scilicet *per Præmotionem* (quod absit) *Deum opt. æquè malorum ac bonorum authorem esse*.

At hoc falsissimum esse constat ex dictis pag. 129. & sequenti & magis expressè in Supplemento sub finem pag. 5, 6, 7. & 8.

Nota 10.

Deum præmovere creaturam ad bonum, iam fatentur multi: sed adhuc timet Henao locis supra citatis, ne Deus inde dicatur causa peccati.

Resp. Illius scrupulos satis removeri locis Nota 9. pręcedenti expressis.

Nota 11.

Pag. 30. sui Ventilabri asserit Henao ablatam esse maculam Doctrinæ Lessii illatam censurâ Duacenâ & Lovaniensi, per revocationem illius quam obtendunt factam fuisse ab eadem Facultate. Porrò quid de hoc subterfugio sentire debeas, vide suprà pag. 340.

Nota 12.

Paginâ 29. n. 49. & 1533. totum præsidium constituit sibi Henao in prævisione circumstantiarum ad quas conatur reducere totam gratiæ efficaciam.

Sed hoc quoque subterfugium sufficienter occupatum hîc reperies tanquam D. Augustino prorsùs contrarium. Quare vide supra pag. 241. 242. & 243.

Nota 13.

Paginâ 51. n. 97. ait Henao ex Bastida, *Gratiam & arbitrium esse causas partiales: esseque modum loquendi aptiorem ad rem explicandam, cautiorem & conformiorem modo loquendi Doctorum, & præcipuè S. Thomæ & Thomistarum*.

At quâm falsùm sit istud, vide primò hîc in supplemento quæ diximus, pag. 5. de insufficientia concursus simultanei: Item quæ antea dixeramus paginâ 284. & seq. ex Ecclesiæ orationibus, cum qua Deum sic alloquimur. *Deus virtutum cuius est totum quod est optimum*. Denique pag. 288.

Lege D. Bonaventurâ, & D. Thomam lib. 3. contr. Gent. c. 70. ubi ait, *Non sic idem effectus causæ naturali & divinæ Virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat*. Porrò concursum simultaneum explicat Molina (& cum eo nostri omnes adversarij) exemplo duorum hominum navim trahentium: ita lib. de lib. arb. Antuerpiæ M.D.XCV. edito, q. 14. a. 13. disp. 26. Verùm quia meminit Henao etiam Thomistarum, unus hîc pro aliis audiatur, scilicet Driedo Doctor celeberrimus Facultatis Lovaniensis lib. de captivit. & redempt. gener. humani tract. 2. p. 2. fol. verso 142. Edit. Lova. 1552. *Providus sanctus scripturæ Spiritus, omnibus obviat erroribus. Nam interdum exaggerando & inculcando Gratiam tacitâ liberâ voluntate, totum tribuit divinæ misericordiæ ne homo putet aliquid boni esse suum, quod non sit ex Dei munere. Interdum. tacitâ gratiâ totum tribuit homini, ne ita in Deum cuncta reijciat homo, ut se putet posse otiosum & segnem esse. Hæc est per omnem locum prophetica; Evangelica & Apostolica Doctrina, quæ nec superbos vult nos esse nec desides Unde Deus & liberum arbitrium simul ad opus bonum non perinde concurrunt atque duo homines ad navis motum, ubi uterque suis*

agens viribus trahit: ubi tametsi ipsius navis motus non fieret, nisi uterque traheret: tamen nec alter ab altero vim accipit agendi, nec impetum, inclinationem aut affectionem trahendi; sed concurrit ad opus bonum Deus cum homine, quemadmodum Sol cooperatur aëri ceram mollienti, per acceptum à Sole lumen & calorem: Quemadmodum & ductor concurrit viam monstrans & erigens ducit languidum & imbecillem...... & hac est (inquit) *plana omnium Ecclesiasticorum doctrina, ex Scripturis sacris evidentissimè demonstrata & præsertim Augustini multis in locis.* Quid clarius aut efficacius dici potest?

Nota 14.

Author quæstionis historicæ (inquit Henao pag. 61. n. 108.) totus occupatur ut Prædeterminationem Physicam protegat ab objectionib. quibus impetitur ex Trid. sess. 6. c. 5.

Sed tantùm abest, ut hanc quæstionem legisse sufficiat: verùm quia non est pervia omnibus Librorum copia: lege interim quæ diximus hîc pag. 285. & sequentibus, ut videas quomodo ex Tridentino & eius Catechismo specialiter stabiliatur Prædeterminatio, salvâ libertate creatâ non obstante efficaciâ gratiæ.

Nota 15.

Tam frequenter recurrit Henao ad Petrum à Sancto Ioseph tanquam ad sufficientem Præmotionis Expugnatorem, ut nimis prolixum & exosum foret loca sigillatim recensere.

Sed quàm immeritò hoc dixerit Henao lege judicium Censorium quinque Vniversitum, pag. 255. & seq. relatum: perpende singula, & obstupesces.

Nota 16.

Paginâ 66. n. 118. existimat Henao, *Nec asserere voluntatem liberam à Deo determinari ad unum certum modum agendi, perindè ac res naturales determinantur.*

Verùm & istud etiam falsum esse passim ostendimus, & nominatim pag. 310. n. 2. ex D. Thoma ibid. laudato. Lege eundem de Malo. q. 16. a 5. & 1. contr. Gent. c. 68. in fin. Sed de hoc fusiùs alibi cum de causis hallucinationum quib. Antithomistæ decipiuntur.

Nota 17.

Paginâ 79. col. 1. *Sicut homo* (inquit Henao) *sæpissimè alterum monet ad aliquid determinatè volendum: ut cum ei persuadet hoc vel illud charitatis opus: nec propterea dici potest, alterius hominis voluntatem ad hoc vel illud objectum physicè determinare &c.*

Satis patet his verbis, hunc loquendi modum non excedere modum Motionis moralis, cuius insufficientiam ostendimus in compendiario Supplemento sub finem pag. 3. Porrò si sufficiens fuisset hujusmodi motio, numquam damnatus fuisset Pelagius, ut jam omnes conveniunt.

Nota 18.

Eâdem paginâ 79. n. 134. ait Henao, *Competere Deo certam & infallibilem futurorum contingentium cognitionem non fundatam in ipsorum decreto*: quod scilicet Deus habuerit circa illorum futuritionem.

At falsum ac ruinosum esse hoc fundamentum suprà demonstravimus, paginâ 117. & sequentibus.

Nota 19.

Paginâ 85. n. 140. *Molina* (inquit Henao) *primus anno 1588. in publicum conspectum Orbis Christiani protulit concordiam Gratiæ, ex se sola non efficacis, cum libero arbitrio; beneficio scientiæ futurorum contingentium conditionatorum.*

Verum quantum ad futura contingentia plenè sufficiet id quod Nota precedenti dictum est pag 117. & seq. Vide etiam quid hac de re sentiat Typhanius suprà pag. 211. Verum verò Molina in rei veritate sit primus, qui Scientia Media usus sit ceu inventor illius, vide quid dictum sit ex Sorbona supra pag. 205. & seq.

Nota 20.

Nonnulli existimarunt aliquando gratiam non esse ex natura sua efficacem, sed modum efficaciæ non ausi sunt explicare. Verùm Henao audacior cæteris n. 354. & 355. fidenter asserit, *Gratiam ex se solummodò sufficientem, fieri efficacem,* per liberam creaturæ rationalis cooperationem.

Porrò huius Assertionis falsitatem, etiam in ipso statu innocentiæ sufficienter ostendimus pag. 291. Pro quo etiam legendum specialiter suadeo nobilem scriptorem Societatis Tannerum supra laudatum pag. 251. & sequentib.

Nota 21.

Nostra sententia (inquit Henao paginâ 82. n. 136.) *non parùm est plausibilis.*

Respondeo totam hanc facilitatem, (ipsis testibus Adversariis) fundatam esse in Scientia Media & in concursu indifferenti per voluntatem creatam determinabili : Et utrumque refutavimus. Primum quidem paginâ 221. & seq. judicibus Domesticis, & passim. Alterum verò sub finem in supplem. pag. 4. Sed ne Indiculi metas excedamus, legat qui voluerit D. Augustinum de gra. Christi. c. 47. Item de peccatorum meritis. c. 18. & lib. 2. contr. 2. Epist. Pelagia. c. 8. & ibid. lib. 4. c. 6. in fin. to. 7. lib. 1 Retract. c. 22.. lib. 2. contra Epist. Petilia. c. 82. de cor. & gra. c. 14. Sanctum Fulgentium de Incarn. c. 29. & nominatim D. Prosperum de vocat. Gent. c. 25. ubi fatetur, quì *per liberi arbitrij velle & nolle, ista quæstio non solvitur.*

Nota 22.

Inferimus contra Thomistas (inquit Henao pag. 112 *eum justum de cujus opere bono non habet Deus Decretum prædeterminativum, & quem ad ipsam Deus non prædeterminaret Physicè & intrinsecè; cariturum Auxilio Sufficiente, obligarique à Deo, ad impossibile, si de operatione bona imponat præceptum. Quæ secunda sequela damnata est expressè à Trident. sess. 6. c. 11. & can. 18. & ab Innocentio X. contra Iansenium.*

Verùm ut in his omnibus Patri Henao os obstruatur, lege quæ diximus in Supplem. p. 8. & seq. & D. Thomam nominatim, de verit. q. 24. art. 11. ad 5. item 1. 2. art. 114. a. 3. ad 3.

Nota 23,

Ex prædicto testimonio satis patet quomodo nobis imponat Henao convenientiam cum Iansenio.

At hoc ipsum sufficienter quoque refutatum reperies supra pagina 267. & sequentib. & ibid antea pag. 223.

Nota 24.

Ita frequenter repetiit Henao, *prædeterminatum ad quidpiam non posse oppositum efficere,* ut exosum sit loca annumerare. Vide tamen n. 114. 410. & 437.

At quàm alienum sit etiam istud à veritate, constat ex toto hoc Opere cui si detrahet Henao fidem adhibere, auscultet saltem id quod ait Cardinalis de Lugo pag. 223.

Nota 25.

Paginâ 122. n. 407. *Voluntas prædeterminata,* inquit Henao, *non aliam nec maiorem habet potestatem ad non amandum quàm habeat v. g voluntas Beati : ergo sicut amat necessariò,* ita & voluntas ad amandum prædeterminata.

Respondeo negando paritatem: quia cum Deus clarè visus, evidenter appareat id quod est, id est, bonus infinitus : tam impossibile est quòd voluntas feratur extra huiusmodi obiectum, quàm ut visus *v. g.* percipiat saporem aut auris odorem quare ait D. homas de verit. q. 22. a. 5. ad 2. *Ex perfectione boni alicujus contingere, quod voluntas determinetur ad illud inclinatione naturalis necessitatis.* Sed quid dicturus sit Henao, non video, cum teste Angelico Doctore, etiam in statu gloriæ, adhuc indigeat creatura Dei præmotione : quarè vide quæ diximus pag. 293. & nominatim ibid. Paginâ sequenti, locis illic citatis.

Nota 26.

Paginâ 123. n. 409. *Neque intelligimus* (inquit Henao) *quo pacto Doctrina Conciliorum Tridentini & Senonensis quadret sensui; qui non sit potestas componendi dissensum & resistentiam.*

Quamvis instrui humiliter petierit Henao, (ut retulimus in principio :) hoc tamen efficere non præsumo : sed hunc remitto ad virū, cuius instructionem fore ipsi iucundissimam existimo, cum ipsemet Henao sæpiùs ipsum faciat commendatum ceu virum doctissimum. Porrò hic est Tannerus Societatis Iesu Scriptor celeberrimus, pag. 512. n. 3. ubi ait, *Auxilium efficax, quò efficax est, & prout à sufficienti distinguitur, omnium Theologorum iudicio complectitur connexionem cum consensu & incompossibilitatem cum dissensu : nam locutio actualis est intrinsece incompossibilis cum silentio ; non verò cum potentia silendi.* Nota hoc Amice Lector, simulque recole quàm verè dixerimus nihil dictum ab Henao quod non fuerit occupatum, nec non iam confutatum. Quare vide suprà pag. 251. & 252. n. 9.

Nota 27.

Numero 411. malè cum pluribus intelligens, *Sensum divisum*, Henao ait, *Alioquin nullum esset discrimen potentiæ liberæ à necessariâ.*

Item numero 412 *Actus secundus potentiæ liberæ completæ & perfectæ suis cunctis prærequisitis, non est solùm consensus sed etiam dissensus*; inquit Henao.

Pro primo confutando vide quæ diximus pag. 232. & seq. & pro altero lege Tannerum nota præcedenti citatum.

Ritè ergo contra Calvinistas nobiscum explicent sensum compositum, quô nihil aliud significatur quàm incompossibilitas actuum contrariorum qui esse non possunt simul ac semel. At Sensus divisus est ipsa potentia quæ huic actui applicata, est adhuc in potentia ad alium, sicut materia quæ sub una forma, existens, & adhuc in potentia ad aliam. Itidem aër tenebrosus potest esse lucidus, (Quæ propositio est vera in sensu diviso) nusquam tamen in *sensu composito*, quia lux & tenebræ numquam simul ac semel possunt esse in aëre Vide hic pag. 233. quomodo adversarij rem poscant omnium iudiciô impossibilem, suôque si sapiant.

Nota 28.

Num. 412. perseverat Henao in prava explicatione *Sensus compositi & divisi*, ait enim *Sic vinctus catenis non est absolute liber ad ambulandum: nam quamvis ambulare possit, si à compedibus solvatur: tamen ipse non potest solvere, neque coniungere cum eis ambulationem.* Sic à Deo præmotum intelligit.

Verùm quomodo Scholam (ut spondebat) poterit Henao placare: cum non intelligat aut dissimulet statum controversiæ, nobisque omnibus affingat, quod nulli unquam nisi Calvinistis venit in mentem? Æquior tandem fuit R. P. Annatus hic pag. 234. & seq. legendus: hunc ergo resipiscentem sequatur potiùs quàm Lessium aut Molinam, qui opusc. de gra. effic. c. 3. n. 19. ait *Sensum compositum esse, quando potentia habet præmotionem: divisum quando eâ caret*, quod est omninò hæreticum: & ut tale à nobis impugnatum.

Nota 29.

Numero 114. non minus aberrat Henao ex transitu, *Sensus compositi ad divisum*, cum sic argumentatur, *Voluntas prædeterminata ad amorem, non manet expedita ad odium in sensu composito amoris, ut Thomistæ fatentur: ergo neque in sensu diviso*, (inquit Henao. Verùm hic modus discurrendi non minùs repugnat veritati etiam in sententia adversariorum: quare Patri Henao, non Thomistam sed amicum suum Ripaldam oppono. Lege igitur ipsum supra laudatum nota 26. & D. Thomam quod l. 1. a 7. ad 2.

Nota 30.

Numerò 415. ait Henao, *Voluntas prædeterminata ad amorem privatur potestate expedita ad odium etiam secundum se.*

Respondeo hoc falsum esse ut constat ex toto hoc opere: nec ad hoc refutandum alia arte opus est, quàm testimonio Tanneri supra relati nota 26.

Nota 31.

Numero 999. sic ait Henæo, *Vt se opponerent Thomistis*, scilicet Iesuitæ, *negarunt Deum movere voluntatem creatam per motum in ipsa receptum,* Quod velim notatum.

Itane Pater mi Henæo, sola voluntas contradicendi, tantam potuit inchoare controversiam ac adeò injustam tamdiù fovere discordiam? Deum influere effectivè & directè in voluntatem creatam centies reperies in doctrina D. Thomæ; & interim lege ea quæ supra diximus paginâ 278. quæ vel sola sufficient. At quia voluntatem creatam à Deo moveri physicè & directè jam ferè omnes fatentur: recurrunt scientiæ mediæ defensores ad concursum prævium quidem sed indeterminatum & indifferentem. Atqui huic subterfugio etiam occurri in supplem. pag. 4. quod dictum ab Henao non minùs etiam repugnat D. Augustino supra relato pag. 283.

Nota 32.

Numero 475. & 483. conatur Henao ostendere quomodo voluntas creata non esset primum principium & primum se determinans, quamvis ipsa non esset à Deo mota & determinata.

At oppositum docuit D. Thomas supra laudatus pag. 306. sub finem & seq. Quare adi ipsum, omnib. subterfugijs subtiliter occurrentem.

Nota 33.

Paginâ 139. n. 475. ait quidpiam Henao à quo magis cavendum est quàm

Musca Manichæorum, pro qua legi poterit D. Augustinus Tract. 1. in Ioa. circa medium to. 9. *Suppositâ*, inquit Henao, *indifferentia ad utrumlibet. à Deo acceptâ* (voluntas creata) *determinat unice hunc, ut concurrat potiùs ad unum extremum quàm ad aliud. & influxus ad unum extremum præ alio determinatur ab influxu voluntatis creatæ solius.* Interim hic nota *Ly Solius*, Non potest istud confutari efficacius quàm per id quod ex D. Augustino retulimus p. 193. Nam sequitur, id quod est ex nobis, esse melius quàm quod à Deo habemus, quod ille ait esse *absurdissimum*. Lege eumdem laudatum pag. 285. in medio.

Lege & D. Bernardum Tract. de Gra. ubi ait: *Nostra quippè voluntas bona* (quod fatendum est) *à bono Deo creata; perfecta tamen non erit, quo usque suo Creatori perfectè subiecta sit. Absit tamen, ut ipsi, suiipsius perfectionem, Deo autem creationem tribuamus: cum longè melius sit esse perfectam, quàm factam, & dictu nefas videatur, quod Deo minus, nobis verò quod excellentius tribuere.*

Huic suffragatur ratio: cum enim actualis determinatio voluntatis dicat gradum entis & perfectionis (quâ etiam iustus de condigno, cum divinæ gratiæ auxilio, æternam promeretur beatitudinem) hanc perfectionem non possumus sine iniuria Deo denegare: quæ tamen evidenter sequeretur deneganda ex eliminatione Præmotionis phisicæ, quam nequit supplere concursus indifferens prævius, nec simultaneus nec motio moralis ut legenti Supplementum patebit pag. 1. &c. In fine, dixi notandum, *ly solius*, quod est manifestè contra Scripturam dicentem, *Quid habes quod non accepisti?* & contra D. Augustinum qui Epist. 120. meritò invehitur in eos, *qui Deo denegare audent sibique arrogare quod boni sunt.* Quâ de causa to. 7. de peccatorum merit. c. 18. ait, *Sed laborant homines invenire in nostra voluntate quid boni sit nostrum, quod nobis ex Deo non sit, & quomodo inveniri possit ignoro,* Nam ut supra dictum est: *Quid habes quod non accepisti?* At quod non potuit invenire S. Præsul, iactant se nonulli invenisse, quia ut ille ait to. 7. lib. 4. ad Bonifacium c. 6. *Multum delectat impietatem superbam ut etiam id, quod cogitur confiteri à Domino datum, non sibi donatum videatur esse, sed redditum.* Necesse est ergo ut cum Apostolo fateatur Henao, *nos non esse sufficientes quidpiam boni vel cogitare sine Deo*, & proindè, longè minus id quod est indifferens ad bonum & malum; solâ voluntate nostrâ ipsum determinare ad bonum poterimus: quia ut ait D. Augustinus to. 3. in Enchir. c. 32. nihil omninò possumus, nisi Deus opt. *Voluntatem præparet adiuvandam & adiuvet præparatam..... nolentem prævenit ut velit, subsequitur ne frustra velit.* Voluntas enim bona vel ut ipse ait lib 1. Retract c. 9. *Bonus usus liberæ voluntatis, in magnis numeratur bonis,* nemo igitur sibi aduletur.

Nota 34.

Quò ulterius Henao progreditur, eò etiam magis & in gravioribus implicatur: ut patet paginâ 143. n. 490. ubi ait, *Mens sancti Augustini ea est, quod nos possimus sine voluntate Dei convertere nos ad ipsum.*

At iuxta omnes veros Theologos; istud non minùs sine Deo impossibile existimamus quàm quod possit mortuus se se ad vitam revocare. Sed quia sanctum Præsulem citat Henao ceu fidejussorem, ipsum audiamus rejicientem hanc propositionem tanquam hæreticam lib. de Gra. Christi ad Valent. c. 5. ubi ait. *Cum dicit Deus, Convertimini, ad me & convertar ad vos, horum unum videtur esse nostra voluntatis; id est. ut convertamur ad Deum. Alterum verò ipsius gratia: id est, ut etiam ipse convertatur ad nos. Vbi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam.... Talia, inquit, de Scripturis colligunt, quale est hoc unum, quod paulò ante dixi: convertimini &c. nec attendunt qui hoc sentiunt quia nisi Dei donum esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur, Deus virtutum converte nos, ps. 79.* Legendus etiam Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. a. 7. ad 3. ubi ait, *Non potest homo per se ipsum reparari: sed indiget ut denuò ei lumen gratiæ infundatur: sicut si corpori mortuo resuscitando denuò infunderetur anima.* Lege eundem ad 3. ibidem. Quare si novam cudere Theologiam Henao studuit, authoritate Doctorum Ecclesiæ abuti non debuit: verùm, si his non acquiescit, audiat saltem amicum suum Ripaldam celebrem Societatis Doctorem to. 2. lib. 5. disp. 113. sect. 9. pag. 512. n. 3. ubi ait. *Itaque in hac controversia ab utrisque (scilicet Iesuitarum & Dominicanorum) disputationib. ponendum est primò auxilium supernaturale gratiæ prævenientis: homini intrinsecum, necessarium esse ad consensum salutarem & supernaturalem voluntatis, nullâque ratione posse voluntatem creatam solis suis viribus efficaciam assequi ad salutarem*

consensum. Sed nota etiam quod ipse prosequitur ibidem, *Id quod de fide tradunt Sanctiones Ecclesiastica, Conciliorum & Patrum, qua adversus Pelagianos edita sunt.* Videat igitur Henao se omnibus destitutum; nam ut ait Conc. Arausic. 2. *Nulla facit homo bona, qua non prastet Deus ut faciat homo*, Quia testeS. præsule Augustino lib. 2. ad Bonifac. c. 8. *Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito veniat Dei adiutorium: & sic gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro dabitur.* Quâ de causâ Doctor Angel. *Ipsa* (inquit in 2 ad Corint. c. 2. l. 3. *praparatio mentis humana est ex virtute divina: nam licet facilitas quâ mentes praparantur sit causa conversionis: tamen ipsius facilitatis & praparationis causa est Deus.* Legendus etiam S. Doctor 1. 2. q. 109. a 2. ad 1. & ibid. q. 112. a 2. in corp. & ad 1. Itaque si aliquando dixit S. Augustinus to. 7. lib. de prædest. S. S c. 5. *Natura esse hominum posse habere fidem*, per illud, *posse*, nihil intelligitur nisi *sola non repugnantia ad fidem, seu excellentia rationis, qua non reperitur*, in brutis animantibus fidei incapacibus At vera potentia de qua loquimur est principium operationis meritoriæ, quæ non est talis sine auxilio gratiæ: quare prædicto Augustini testimonio non abutatur Henao, sicuti nec potentia naturali de qua non est sermo in moralibus, cuique aditum jam præclusimus pag. 89. & pag. 157. & seq. Eodem modo confutavit D. Augustinus to. 2. Epist. 105. Pelagium nomine gratiæ abutentem. *Abjiciatur* (inquit) *ista fallacia: nam omninò non istam gratiam commendat Apostolus, quâ creati sumus, ut homines essemus: sed quâ justificati sumus, ut homines justi essemus.* At Pelagius de sola perfectione naturali, quâ distinguimur à brutis, loquebatur: siquidem *gratia* vocabulum libero arbitrio tribuebat, quia *gratis* à Deo nobis concessum esse dicebat.

Nota 35.

Numerò 496. ait Henao, *Ne ad nomen Pradeterminationis per modum natura redigatur hoc punctum gravissimum, investigamus, num D. Thomas admiserit quidpiam sive extrinsecum, sive extrinsecum voluntati nostra.... Tale quippe, inquit, admisisse non comparet alicubi.*

Respondeo hæc omnia quæ ibidem ait Henao esse falsa ac meram crambrem centies recoctam: pro quibus confutandis legere sufficiet id quod supra diximus pagina 278. Legat adhuc qui voluerit D. Thomam in 2. sent. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 3. & dist. 29. q. 1. a. 1. ad 2. item 2. 2. q. 52. a 3 & 3. contr. Gent. c. 149. *Vbi ostendit quomodo motio moventis pracedit motum mobilis ratione & causâ.* Legatur etiam de verit. q. 22. a. 8. & 9. & in 3. sent. dist. 12. q. 2. a 1. & ibid a. 2. in corp. & ad 7. & 8

Nota 36.

Numerò 516. sub finem quærit Henao, *Quomodo Pradeterminatio ad velle, relinquat in voluntate potentiam ad nolle in genere causa materialis?*

Respondeo primo hoc sufficienter expositum esse vel ab ipsis Philosophis, exemplo flatus venti fenestram aperientis. Et ab ipso Cardinali de Lugo pag. 223. citato.

Dicto secundo D. Thomam præsaga mente huic dubitationi occurrisse 1. 2. q. cxi. a. 2. ad 2. ubi ait, *Deus non sine nobis, nos justificat: quia per motum liberi arbitrij dum justificamur Dei justitia consentimus: ille tamen motus, non est causa gratia, sed effectus: unde tota operatio pertinet ad gratiam.* Lege eundem ibid. q. 112. a 2. ad 1. neque ponderare obmittas id quod supra 361. retulimus ex censura Lovaniensi. Sed his omnibus prævalebit ut arbitror domesticum Tanneri iudicium to. 2. de gra. disp. 6. q. 2. dub. 5. n. 90. *Infallibilitas consensus futuri, inquit, non impedit quominus voluntas absolute & intrinsece possit, etiam stante vocatione efficaci dissentire: sed facit solùm ne re ipsa dissentiat: cum tamen alioqui liberè possit dissentire* Quid clarius?

Nota 37.

Pag. 167. multùm laborat Henao circa necessitatem concursus simultanei: ne scilicet Deus Optimus causa peccati esse credatur. Et numerò 1001. sufficientiam illius suadere nititur.

At tu amice Lector ne tamdiù aut tantùm insudes, lege quæ diximus hic sub finem in Supplemento pag. 5 & seq. ubi huiusmodi concursus insufficientiam demonstravimus: qui à præfata peccati suspicione, non valet ritè quempiam excusare, nisi utantur Adversarij, ijdem solutionibus, quas adhibere solent Thomistæ. Verùm ne de hoc anceps esse possis, perpende mecum quod illic dixi sub finem in Supplemento pag. 5. & sequentibus.

Nota 38.

Numerò 565. ait Henao, *voluntatem creatam moveri, determinari & constitui in actu, à Deo movente per concursum simultaneum.* Et idem repetit n. 572. At tu vide vel solam pag. 5. in Supplem. sub finem, quî per concursum simultaneum nihil horum fieri possit quæ facienda sunt in causis secundis per concursum causæ primæ. Hoc docent orationes Ecclesiæ.

Nota 39.

Numerò 601. *Potest Motio Moralis* (inquit Henao) *esse prædeterminativa ad unum.*

Verùm enim verò huiusmodi Motionis Moralis insufficientiam quoque supra ostendi pag. 320. sub finem in supplemento pag. 3. sed altius repetenda sunt quæ diximus pag. 318. & sequentibus.

Nota 40.

Quoniam novit tandem Henao Motionis Moralis insufficientiam; hanc n. 566. corroborare conatus est additione habituum infusorum : quasi verò ulterius nullo alio indigeamus auxilio ad agendum.

Respondeo habitus infusos non dari, ut ulteriùs non indigeamus Dei auxilio actuali : pro quo militamus ut patet ex dictis pag. 293. Legendus Doctor Angelicus 1. 2. q. 110. 111. & 112. cui manifestè contradicit Henao, nominatim, magisque expressè 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1.

Nota 41.

Numerò 567. ait Henao, *dependentiam immediatam causarum secundarum à Prima posse salvari absque Pramotione physicâ.*

Respondeo Molinam non aliâ arte usum fuisse ut recederet à doctrina D. Thomæ, (præsertim hac in parte) quàm dicendo Deum non influere immediatè in liberum arbitrium creatum, ut patet ex ejus commentariis in 1. P. D. Thomæ q. 23. a. 4. & 5. n. 6. ubi ait, *Concedendum est dari aliquid, quod sit à nostro arbitrio, & non aliter, eâ precisè consideratione à Deo, nisi tanquam à natura, ipsiusque liberi arbitrij Authore, qui eam facultatem nobis contulit.*

Verùm (quod maximè velim notatum) cum in Deo non sit distinctio virtutis & suppositi : si concedamus aliquem esse effectum, cujus Deus non sit causa immediata, supposito : concedendum quoque erit & necessariò, Deum non esse causam illius : sicque ostium apertum est hæresi Manichæorum, asserentium Deum non esse causam rerum corporalium: quam ob causam hîc breviter attingam quod fusiùs a D. Augustino refertur to 9. tract. 1. in Ioa. circa medium, *Vniversa creatura per ipsum facta est, major, minor .... nulla forma, nulla compages, nulla partium concordia .... nisi per illud verbum, est .... Nemo vos fallat ..... A iqui enim* (inquit) *à diabolo decepti sunt, & à musca capti .... Nam, nescio quis tadium patiebatur à muscis. Invenit eum Manichaus, tadio affectum : & cum diceret, se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille : Quis fecit hast Et quia tadio affectus erat & oderat illas, non ausus est dicere, Deus illas fecit : erat autem Catholicus. Ille statim subjecit, si Deus illas non fecit, quis illas fecit? planè ille ait, ego credo quod diabolus fecit muscas. Et ille statim, si muscam diabolus fecit, sicut video te confiteri, quia prudenter intelligis : apem quis fecit, quæ paulò amplior est muscâ? Non est ille ausus dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape ad locustam : à locusta ad lacertam : à lacerta ad avem : ab ave duxit ad pecus : inde ad bovem : inde ad Elephantem : postremò ad hominem : & persuasit homini, quia non à Deo factus est homo. Ita ille miser .... Quem diabolus possideret.* Ad prædictam igitur objectionem P. Henao confutandam, lege tantummodò paginam 278. lib. 2. sent. ad Annibald. dist. 1 q. 2. a. 1. ad 4. *Dicendum* (inquit) *quòd Deus non agit per actionem mediam quæ sit aliud à sua essentia.* Lege eumdem 3. contr. Gent. c. 70. de verit. q. 22. a. 8. Et de Malo q. 3. a. 3. ubi post quam D. Tho. docuit Deum esse causam immediatam, (non solùm in fieri sed etiam in facto esse) omnis entis creati, sic concludit, *Relinquitur ergo quod causa perficiens & propria actus voluntary, sit solum id, quod operatur interiùs : hoc autem nihil esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda : & Deus sicut causa Prima.* Cur ergo quærunt exempla in re singulari? Quâ in re, illud quoque D. Thomæ 1. 2. q. 80. a. 1. præ oculis habendum est. *Nihil post esse causa actus, nisi per hoc quod proprium principium illius movet ad actum.*

Nec mireris si utramque dixerit D. Thomas *Immediatam*, nam si duæ candelæ se se penetrarent, illuminatio esset ab utraque *immediatè*. Nec enim Deus distinguitur à crea-

tura penes *Mediatum & immediatum* sed penes *Universale & particulare*. Et solus Deus (qui est sua virtus) conjungitur animæ quantùm ad sua interiora, & solus habet *intrinseca n essentia operationem*, ut ait D Tho. in 2. sent. dist. 8. q. 1. a. 5. ad 3.

Sed unô verbô Molinam & Henao jam occupavimus pag. 279. Lege etiam D. Thomam lib. 1 contr. Gent. c. 13.

Nota 42.

Numerô 567. sub finem ait Henao, *Vt causalitas causarum secundarum procedat à Prima principaliùs: cur Physica Prædeterminatio?*

Respondeo me sufficientissimas assignasse rationes paginâ 5. sub finem in supplemento, ubi de insufficientia Concursus Simultanei. Item pag. 4. ibid. ubi etiam de Concursu indifferenti per voluntatem creatam determinabili.

Nota 43.

Eodem Numero 567. longo discursu satagit Henao, *Nomen Motionis & Præmotionis ad meram reducere Coëfficientiam.*

Respondeo, suppositô Divi Thomæ principio 3. contra Gent. c. 149 ubi ait. *Motio Moventis præcedit motum Mobilis ratione & causâ*, huic objectioni factum satis paginâ 279. & seq. ubi de dependentia essentiali sufficienter exposita exemplis Solis aërem illuminantis & speciei intentionalis in speculo existentis.

Nota 44.

Prosequitur Henao numero 644. & 646. ait se scrupulô laborare, nec bene capere quomodo voluntas ad amorem prædeterminata sit adhuc in potentia ad oppositum. quam numero 648. dicit esse, *cum odio insœderabilem.*

Respondeo jam pro me supra *Nota* 26. Tannerum laudatum huic satisfecisse: quare lege quæ ibidem retulimus: & nominatim paginam 237. denique satis testatur Henao his verbis, se nunquam legisse D. Thomam de verit. q. 6. a. 4. ad 8. Et ibidem q. 23. a. 5. ad 3. Item lib. 1. sent. ad Anibald. dist. 47. a. 4. ad 2. Et denique 1. p. q. 23. a. 6. ad 3.

Nota 45.

Numero 646. utitur Henao, *Potentia speculativa vocabulô*, seu *liberi arbitrij secundum sua prædicata essentialia considerati*. In quibus idem committitur abusus quem supra sub nomine *potentia naturalis*, contra Cardenam confutavimus pagina 88. & seq. Quare nihil addendum super est.

Nota 46.

Paginâ 189. n. 671. *Dico* (inquit Henao) *actus qui nobis proximâ libertate indifferentia activa ad utrumlibet sunt liberi: non debere, immò nec posse esse Deo liberos immediate & formaliter, etiam per modum effectus.* Verùm ad satietatem usque oppositum ostendimus supra paginâ 275. & sequentibus omninò legendis & in eo quod ait Henao Deum non esse causam immediatam actus liberi, incidit in opinionem Molinæ & Durandi, quam Bellarminus ait esse *falsam in hac parte, Scripturis & Patrib. contrariam. Eandem computat D. Thomas inter errores Originis. Non enim est in Deo suppositi & virtutis distinctio, cum sit actus purissimus.*

Nota 47.

Numerô 674. non erubuit Henao *asserere Deum Max. non habere tantum dominium in liberum arbitrium creatum, quantum in alias res.*

Sed istud falsissimum esse (ne dicam blasphemum) supra ostendimus pag. 234. & seq. & 243. & seq. Denique cum nihil sit in rebus creatis, nisi quod Deus Opt. Max. ipsis communicavit: indignissimè de Deo sentit, qui existimat quidpiam esse in agentib. liberis, ob quod, quando, ubi & quomodo voluerit ipsis prævalere non possit, *Omnipotentissima facilitate* prout loquitur incomparabilis Augustinus to. 7 lib. de cor. & gra. c. 14.

Nota 48.

Numerô 675. *Nego* (inquit Henao) *suppositâ nostrâ voluntate constituta in actu primo per divinam Gratiam, cæteráque prærequisita ut possit conducenter ad vitam æternam consentire vel ut possit dissentire abutens eo actu primo, proximoque: esse novum Beneficium divinum, quod ipsa in actu secundo consentiat potiùs quàm dissentiat.*

Respondeo his verbis tantummodò significari præter gratiam sufficientem nihil aliud requiri, sed illam fieri efficacem solâ voluntate creatâ, homine consentiente vel dissentiente. At hoc damnatum est pag. 255, Deinde contradicit Patri Henao D. August. to. 2.

Epist. 105. *Sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quib. Deus dat incrementum. Cur autem ille credat, ille non credat cum ambo idem audiunt & si miracu um in eorum conspectu fiat, ambo idem vident: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei cujus inscrutabilia sunt judicia.* Tertiò vide quæ supra nota 26. diximus, ubi ait Tannerus *Gratiam efficacem esse beneficium speciale ac majus quàm Sufficientem .... quod apud Augustinum* (inquit) *frequens est & à nullo disputatum.* Vide etiam D. Bernardum supra Notâ 33.

Nota 49.

Numerô 756. *Recurrit Henao ad congruitatem, ita ut gratia non sit efficax effectu, nisi quia data est tali locô & tempore, & in hac vel illa corporis aut animi dispositione prævisâ.*

At constat testimonia ex sancto Augustino citata & relata ab Henao esse deprompta ex iis, quę ad Simplicianum ipse scripsit ut libertatem creaturæ exprimeret; sed ut loquitur Sanctissimus præsul, *Sine præjudicio diligentioris inquisitionis* id est sine præjudicio gratiæ cujusdam per se effi acis: to. 7. lib. de peccat merit. c. 17. prout ipse semetipsum explicuit. Desinat igitur Henao Sanctum nobis objicere Augustinum, contra expressam illius doctrinam: & ne tu ipse Lector anceps esse possis hac in re, Lege quæ diximus supra pag. 241. & duabus sequentib. & pag. 222.

Nota 50.

Numerô 840. Multùm insistit Henao. *Quòd numquam Deus deserat hominem, quin ipse priùs ab homine deseratur.*

At istud libentissimè concedimus: & ne hoc in dubium revocare possit Henao, legat quæ supra diximus pag. 223. Quibus adjeciat id quod sequitur ex Scriptura, in qua ferè nunquam fit mentio de denegato efficaci Auxilio Dei, quin talis denegationis justa causa exprimatur ex parte creaturæ provenientis: v.g.: *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Item si quæras quomodo Iudæi magis tenebras quàm lucem dilexerint? Respondebit Evangelista. *Quia erant mala eorum opera.* Itidem cum Sapient. 14. v. 30. quæritur unde tot scelera in semetipsos patrarint homines? protinùs ratio sequitur. *Quoniam malè senserunt de Deo.* Idem patet Ieremiæ septimo & passim in Scripturis, etiam in nono Testamento ut in resurrectione Filiæ Principis Synagogæ, *Turba omnis* (inquit Hilarius in Mathæum) *expulsa est, quam utique Dominus salvare optasset, sed irridendo dicta, gestaque eius* (id est Christi) *Resurrectionis non fuit digna consortio.*

Nota 51.

Numerô 1550. ait Henao *Molinam fuisse primum, qui Scientiam-Mediam repertam in Monumentis Scripturæ, Patrum Ecclesiæ, Theologorumque antiquorum, & fundatam in rationibus veteris Theologiæ protulit typis & communicavit Theatro litterario.*

Resdondeo primò hunc Patronum suo Clienti contradicere; ait enim Molina ipse oppositum in sua Concordia q. 23. a.4. & 5. *Quia hæc nostra ratio conciliandæ libertatis* (sc. per Scientiam-Mediam) *cum divina Prædestinatione, à nemine quem vidimus, fuit huc usque tradita, ideò paulò fusiùs est exponenda.*

Secundò, Falsum est id quod dicit Henao, teste Sorbonâ pag. 205. & 206. relata.

Tertiò, Eidem patri Henao authenticè contradicunt Patres Carmelitæ supra laudati pag 216. & sequentib. studiosè legendi, utpotè qui possint omnem dubitationē submovere. Ex quibus constat, quomodo Doctiores omnes Societatis, toto quinque annorum spatio, quibus durarunt disputationes de Auxiliis coram Summis Pontificib. Clemente VIII. & Paulo quinto, nihil horum quæ dicit Henao potuerint ostendere: quamvis ad ipsos ex omnib. ferè Mundi partib. scripta & libri mitterentur ab Amicis & aliis Patribus totius eiusdem Societatis ad hoc probandum, pro quo non fuit segnius disputatum aut minor contentio, quàm si controversia fuisset de lucrando utroque Imperio.

Nota 52.

Numero 1553. ait Henao *Scientiam-Mediam esse Medium divinitùs inventum ad evertendas hæreses Pelagij & Massiliensium ....*

Sed ne fucata hac specie falsâ decipiaris, Amice Lector vide supra pag. 205. quid hac de re sit propugnatum in Sorbona. 2. Lege paginam 217. in principio. 3. In prædictorum confirmationem lege & Thyphanium pag. 350. in fine & seq.

Nota 53.

Numerô 1580. fucum conatur efficere Henao *supercomprehensionis verbô: ut fundere possit saltem à remotis Deum opt. futura contingentia ex se ad essendum cognovisse, ante ullum voluntatis suæ decretum.*

Sed hoc subterfugium est sufficientissimè supra occupatum pagina 117. & sequentib. Legendus etiam D. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. Item Sap, 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quomodo à te vocatum non esset, conservaretur?* Vocat autem ea quæ non sunt (id est possibilia) tanquam ea quæ sunt. Denique Thren. 3. v 37. *Quis est iste qui dixit, ut fieret, Domino non jubente?* Legendus D. August. to. 5. lib. 5. de Civit. c. 9. sub finem: & ibid. lib. 11. c. 10. Item to. 1. lib. 13. Confess. c. ultim. & to. 3. lib. 6. de Trinit. c. ulti. & lib. 15. c. 13. Legendus etiam D. Thomas 1. p. q. 14. a. 8. & de verit. q. 23. a. 5. & de Malo q. 16. a. 7. & ad 15.

Nota 54.

Numerô 1859. nullum non movet lapidem Henao, ut Bellarminum reducere possit in suum consortium.

Verùm enim verò frustra jacitur rete ante oculos pennatorum: quid ergo hac de re prudenter sentire possis ac debeas, vide supra paginâ 333. & seq.

Nota 55.

Denique totâ ferè 167. sectione, Suis Henao blanditur, hos invitat & adhortatur, *ut in re tanti momenti doctrinæ Societatis penitùs se conforment: nec à tritis Patrum suorum semitis ut filij degeneres recedant.*

At ipsius Henao hìc coram Deo conscientiam obtestor, an ipse id efficere possit, reclamantibus in contrarium Sanctis Patribus, præsertim Augustino, Doctore Angelico, D. D. Hieronimo, Prospero, cæterisque in hoc opere laudatis. Quòd si Patrum suorum vestigiis jam insistere exoptent; a nostris quoque stabunt partibus: ac facilè id sibi persuadebit quicumque legere voluerit paginam 366.

Quid ad hæc Amice Lector? Nonne mecum mirraberis, quanta sit vis & virtus veritatis, quæ si aliquandiu in nonnullis quandoque latet, *per ea tamen ipsa quæ ei adversantur, elucet,* ut D. Hilarius ait: ita ut (eodem judice) *in natura sua immobilis manens, firmitatem naturæ, quotidie dùm attentatur acquirat.*

Voluit adhuc hac vice Henao quasi ex latere Præmotionem impugnare: factâ ferè Apotheosi Scientiæ Mediæ, quam per fas & nefas conatus est propugnare, fabricatâ & evulgatâ ad placitum hoc fine historiâ, non obstante Summi Pontificis prohibitione (quam ipse non ignoravit, cum de illa mentionem fecerit) Idque (contra omnes leges) ex domesticorum testimoniis, exquibus integrum ferè primùm suum volumen composuit, cui proinde nullus possit prudenter ullam fidem adhibere, hoc solo titulo, quod partes (ut diximus) non admittantur in testes.

Me per injuriam & contemptum, vocabet aliàs fictus Empistinus, *Infelicem Astrologum,* quòd non benè ominatus essem circa tempus & mortem Bellarmini: cum tunc temporis & dum scriberem, divinatione aut astronomiâ non opus esset, sed vel solo sensu communi non carere sufficeret circa veritatem in eiusdem Bellarmini operibus, sufficientissimè & meridiana luce evidentius expressam. Possum tamen (ni fallor) mihi ipsi utcumque gratulari, quòd antequam libri R. Patris de Henao, meas in manus pervenirent, hosmetipsos in refutatione aliorum satis fœliciter occupaveram.

At jam tot, tales tantosque in illis detexi nævos, ut vel unus sufficere possit, quò omnem ipsis fidem deinceps denegent. Si enim Doctrinâ libri alicujus iure merito reijcere possimus, ubi primùm aperuimus hanc infirmo niti fundamento, aut ex falsis suppositionibus educi: quis nôs judicet magnum istud Patris Henao (ut ipse loquitur) Ventilabrum, ex his in supplemento sub finem paginâ 1. & 2. prænotatis, meritissimè iam unco suspensum esse: omnesque eiusdem patris Theologicas (in quibus plures supra quinquaginta deprehendimus falsitates) iam satis etiam esse exsufflatas? Nolim tamen mihimetipsi sic adulari, ut non exoptem copiosiorem aliam & efficaciorem à Doctioribus fieri, dicti patris Henao confutationem: quæ ut existimo non diu tardabit, ut os obstruatur evanidæ cujusdam gloriationi, qui asserere non dubitavit, nos non habere quid respondeamus Antithomistis, sæpius responsione indignissimis.

Quare id quod ab initio petivit Henao *ut scilicet quiescamus, ne hoc saxum in ævum volvatur* libentissimè concedimus, & ex animo: dummodò hæc quies nostra sit in secura possessione & custodia depositi nobis ab Angelico Doctore concrediti: qua in re, nullus debet præsumere Thomistas perturbare, àquorum partibus (præter jus commune) stat specialis æquitas causæ. Cum aliunde nobis non desint & æquissimæ expostulationes, non solùm adversùs ipsum Patrem Henao, sed & contra omnes qui ante aut post illum, ejus

exemplo hac in parte nobis adversantur, objectis nempè ex falsa suppositione, multorum Authorum testimoniis (quibus eorum intumescunt volumina) quæ constat, nunquam fuisse scripta nisi adversus hæreticos, quibuscum Thomistæ nihil commune habent, ut satis patet ex dictis, etiam authentico testimonio Authorum contrariæ partis.

Præmotionem igitur ritè (& ut par est) intelligant; eo videlicet in sensu, quo illam hîc cernunt expositam: & certissimus sum, nullum jam fore qui eam libentissimè non amplectatur, ceu necessariam tùm ad exprimendum & exequendum supremum Dei in causas secundas dominium, tùm ad explicandam creaturæ dependentiam, primam basim ac firmum Christianæ humilitatis fundamentum, atque æternum nostræ in Deum gratitudinis monumentum. Quod si nolint, & tàm apertæ veritati acquiescere detrectent, semper voluntariè monstra fingentes, ut ea à semetipsis contrita esse glorientur: per me licet, quid ad nos? immò, sit (ut vult Henao) Scientia-Media, *quasi tessera, decus insigne ac ornamentum Scholæ Iesuiticæ*; non inficior nec invideo: dummodò nobis imponere desinant eius defensores, nec deinceps præsumant à nostris partibus Angelicum Doctorem eripere & ipsum reluctantem & invitum ad se pertrahere, illius abutentes Authoritate, ut tot falsa Mundo obtrudant, quæ per ipsos disseminata ostendimus, & unicumque legenda in hoc opere exposuimus.

Hinc sufficienter innotescit, quàm appositè omnia Adversariorum subterfugia occupaverimus: siquidem insufficientiam Motionis Moralis paginâ 321. & seq. & pag. 3 in supplemento sub finem: Item & Concursus simultanei aut alterius prævij quidem, sed indifferentis per voluntatem creatam effectivè determinabilis sat fecimus manifestam in eodem supplemento pag. 4. & seq. ubi etiam ostendimus Deum Opt. esse remotissimum ab omni suspicione peccati in doctrina Divi Thomæ, & magnum ex illa locum relinqui Gratiæ sufficienti; suumque superesse libertati creatæ, pag. 223. 231 & seq. Depulsa est etiam pag. 267. 268. 270. & seq. convenientia cum Iansenio: sicut & tam falsa quàm iniuriosa comparatio doctrinæ D. Thomæ cum placitis Calvinianis: pro quibus vide quæ diximus paginâ 223. & seq. 231. Porrò hæc erãt octo præcipua Antithomistarũ subterfugia, vel potiùs spatia quibus veritatem obtegebant: pro quibus detrahendis unus sufficit D. Augustinus toties laudatus & nominatim to. 1. lib. 1. retract. c. 9. ubi ait. *Omnia bona a Deo sunt .... & ipse bonus usus liberæ voluntatis, in magnis numeratur bonis.* Item Tract. 1. in Ioa. circa medium: nihil enim aliud propugnatur a Thomistis nomine Præmotionis, nam sine illa, invictissimè probatur aliquid esse à creatura quod non sit à Deo, ut ipse fatetur Molina citatus, nimirùm, *Liberum hominis consensum, qui non est à Deo* (inquit) *nisi quatenùs hanc facultatem Deus contulit.*

Ex prædictis non minùs facile fiet satis cuidam Neoterico quærenti, quid sit Præmotio, *est enim Prævius Dei influxus in causis secundis verè receptus, quò Deus ad agendum physicè & realiter eas præmovet iuxta earum modum.* Et illum centiés quoad rem reperies expressum apud Doct. Angelicum: immò & quantùm ad ipsum nomen ut dictum est, pag. 281 Legantur Augustinus Epist. 28 D. Thomas 1. p. q. 19. a. 3. ad 1. & ibid. q. 32. a. 2. ad 1. D. Epiphanius hæres. 69. & disces ab illis *cum de re constat, non esse litigandum de nomine.* Præmotionem aliter fuisse definitam à Nazario. 1. p. q. 22. a. 4. A Tiphanio lib. de Priori, ab Estio in 2. sent. dist. 24. sect. 14. dicentib. *Esse ipsam voluntatis actionem, prout est à Deo prius influente prioritate naturæ & voluntatem applicante ad volendum, ad eum ferè modum quo, nutu vel solo voluntatis imperio, illicò movetur vg: oculus ad videndum, sive aliquem ei imprimat influxum, sive non.* Hanc definitionem non reijcimus: Sed longè meliùs ab aliis Thomistis exprimi nomine *motionis virtuosæ* cum ipso Doct. Angel arbitramur de pot. q. 3. a. 7. ad 7. ubi ait *Virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione, collata; inest eis ut quædam forma habens esse ratum & firmum in natura: sed quòd à Deo fit in re naturali, quò actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Quibus verbis & exemplis, ritè exprimitur hæc Dei Præmotio tàm in agentibus naturalibus quàm in liberis: cum enim sit permanenter in naturalibus, ut patet in igne vg: appositè affertur ab Angelico Doctore similitudo colorum qui assiduè seu permanenter sunt in aëre. Quia verò non semper actu confertur liberis agentibus; rectè utitur Doct. Angelicus comparatione artificis, cujus virtus non est in instrumentis, nisi quatenùs & quando actu illis utitur.

Denique præcipuas hallucinationum causas, quas patiuntur extranei circa Doctrinam D. Thomæ, & præsertim hâc in parte, aliò remittimus compendiosiori methodò aperiendas.

Finis Indiculi hujus Remissorij.

Decem Animadversiones in libellum, cui titulus est Tetrapla Theologica *per Dionysium Lachalin Clericum, in Collegio Claromonferradensi 1676. propugnata.*

LECTORI.

AMICE Lector, hîc potuissem omnibus palam, tot ferè positiones ob oculos ponere; quot in præcedenti Indice notas exhibui, omnesque etiam convictas falsitatis apertæ: sed quia decrevi, nihil novi huic Indiculo inserere, nisi quod in libro præcedenti jam confutatum reperiatur: decem tantummodò selegi harum Thesium Assertiones, ut ex illis conjicias quid de cæteris sentire possis aut debeas: ac denique cognoscas istos Doctrinæ D. Thomæ desertores, in eadem navi versari totamque illorum contra Thomistas Doctrinam, nihil esse, nisi meram crambrem millies recoctam, totiesque confutatam: Elenchus eorum quæ nunc subjiciam, fidem faciet sufficientem. Quare sit

Animadversio 1.

Sicut Cardenas *Probabilitatem*, tanquam Numa Pompilius Faunam colebat & venerabatur: ita & Magister Thesium, *Scientiam-Mediam*, quam vocat *purissimam Virginem.* At tu, quid de ea secundum rei veritatem sentire debeas: vide supra pag. 205. 206 & 221.

Animad. 2.

Pagina 4. ait Magister ore Discipuli, *Ideò præsciri futura, quia futura sunt: non autem è converso.* Verùm enim verò, quàm falsa sit ista positio vide pag. 220. & si per tempus licet, tres paginas præcedentes: illic enim reperies oppositum huic positioni demonstrativè probatum: cum ex infinitis rebus possibilibus, illæ tantùm fuerint, sint aut futuræ sint, quas Deus inde voluit liberè & ex solo suæ voluntatis beneplacito extrahere, aliis relictis in statu puræ possibilitatis: & cum aliundè veritas rerum supponat esse illarum: sitque scientia nostra à rebus causata (Ex eo siquidem quòd res est vel non est, oratio est vera vel falsa) Impossibile est quod sit quidpiam determinatè verum, nisi priùs naturâ sit & ab eadem causa ens determinatum: itaque cum Adversarij (pro suo ultimo subterfugio) dicunt esse aliquem formalem conceptum (cui nullus correspondeat objectivus) ex se determinatum; merum est figmentum, & vana chimera: cui tamen tota jam innititur hac in parte illorum doctrina, totius veræ & ab omnibus receptæ Philosophiæ, eversiva.

Animad. 3.

Iam satis patet ex dictis, quî maximè ambiant omnes antithomistæ, Scientiam-Mediam appendere in eadem statera cum Præmotione physica, quare per Lachalin aiunt pag. 5. *Non objiciant* (scilicet Thomistæ) *novitatem Scientiæ-Mediæ: nisi parati sint Prædeterminationis suæ genealogiam texere, quæ tamen in Bannesi stipite, desinat esse, necesse est.*

At ambæ non æquâ lance ponderantur: siquidem nemo potest dubitare de Antiquitate prædeterminationis physicæ, nisi qui ignoraverit illam esse fundatam in dependentia essentiali creaturæ à Creatore: pro quâ vide pag. 279. Quid verò sentire debeas de novitate vel antiquitate Scientiæ-Mediæ vide supra locis citatis Notâ 51.

Animad. 4.

Pag. 5. *Assignet Bannez* (inquit Lachalin) *discrimen inter illud decretum horribile Calvini: & illud suum prædeterminans.*

Verùm ne hac tam falsâ quàm iniusta comparatione movearis, vide supra pag. 223.

Animad. 5.

Pag. 8. *Non sufficit* (inquit Lachalin cùm Sociis) *flexibilitas voluntatis ad bonum & malum: nisi etiam habeat voluntas in sua potestate utramque operationem, malam & bonam.*

At ex hac positione sequeretur 1. nec Christum fuisse liberum, nec Beatos. 2. positionem hanc, apertam involvere contradictionem reperies pag. 232. n. 9. & seq. 3. Hoc est formaliter contra D. Thomam centies asserentem, potentiam peccandi, ad essentiam libertatis minimè pertinere, Ita de Malo. q. 16. a. 5. ubi ait *Non autem pertinet ad ratio-*

nem alicujus potentia visiva, quod aliquis obscurè videat, ideò nihil prohibet inveniri liberum arbitrium, quod ita tendit in bonum, quod nullo modo potest tendere in malum, vel ex natura sua sicut in Deo: vel ex perfectione Gratiæ sicut in hominibus & Angelis beatis. Legendus etiam de verit. q. 22. a. 6. Et ibid. q. 24. a. 7. ad 4. & a. 9. ad 5. Item in 2. Sent. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 2. Itidem 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. & passim.

Animad. 6.

Pag. 9. ex Tridentino perperam intellecto, ludit Lachalin contra Thomistas ex falsa *Sensus compositi & divisi* intelligentia: quam aut ignorat aut dissimulat. At pro hoc confutando vide pag. 285. & seq. 232. & nominatim 235.

Animad. 7.

Pag. 11. *Admittimus* (inquit Lachalin) *Gratiam efficacem, quæ non est intrinsecè efficax.* Verùm quid tu sentire debeas vide pag. 252.

Animad. 8.


Pag. 12. si fidem adhibeamus eidem: *Gratia non est efficax nisi ex prævisione nostri futuri consensus, quia Deus eam dat homini, quomodo scit ei congruere ut vocationem non respuat.* Citatque pro hoc Augustinum lib. 1. ad Simplicia.

Respondeo mirum esse, quî audeant Adversarij vel sancti Augustini meminisse hâc in parte, aut ipsum citare contra propriam ejus mentem, quam ipsemet exposuit to. 7. lib. de peccat. merit. c. 17. & to. 2. Epistolâ 105. Interim vide quæ diximus cum Baëza pag. 222. & cum Cornelio à lapide & Mendoza, pag. 238. & 239.

Animad. 9.

Eâdem pag. 12. *Prædeterminationem physicam .... rejicimus* (inquit Lachalin) *ut libertatis indifferentiæ inimicam.*

Verùm: hunc, falsitatis convincendum cum Asseclis remittimus ad suum protectorem & Amicum Dominum Caramuelem, legendum pag. 197. Vide etiam pag. 233. Nec omittitur id quod ait D. Augustinus to. 3. de spirit. & litt. c. 30. in fin. ubi contra negantes summum Dei dominium in voluntatem creatam, Dei Præmotione propugnatum invehitur & petit, *An ita sunt liberi, ut nec illum* (sc. Deum) *velint habere Dominum?*



Animad. 10.

Pag. 12. *Quis non existimet* (inquit Lachalin) *nostrum esse rogare: & Dei esse ulteriores illas gratias, quas rogamus ad conversionem, ad vincendas tentationes &c.*

Respondeo nostrum quidem esse rogare, sicut & velle: sed sicut Deus operatur in nobis, velle: ita & orare: nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed Spiritus postulat (id est, postulare facit) pro nobis, & ut ait D. Augustinus *Oratio ipsa computatur inter Gratiæ munera.* to. 2. Epist. 105.

Hic quoque multa mihi dicenda forent ad repellendos cavillos quibus Author hujus thesis jocatur adversus eos, quos per ironiam Antiprobabilistas vocat & temerè irridet ceu jurantes in verba Divi Thomæ: qui re verâ vel unus sufficeret ad reprimendam nimiam Probabilitatis laxitatem, quam ipse cæco modo ruetur, ut satis patet ex supradictis: quibus nihil addendum existimo, nisi quod ex eodem legitur in 2. sent. dist. 3. q. 3. a. 4. ubi ait *Sicut impossibile est, corpus secundum eandem partem diversimodè figurari diversis figuris: ita impossibile est, unum intellectum diversis simul speciebus ad diversa intelligibilia actu informari.* Quibus si addere placeat, id quod antea ibidem dixerat q. 2. a. 1. *Secundum Augustinum* (inquit lib. 2. contr. Academicos) *non potest aliquis judicare verisimile, nisi verum sit cognitum: ergo oportet ut intellectus veri boni præcedat intellectum verisimilis boni: & ita appetitus æstimati boni, quo malus fit Angelus, non potest sequi primum actum intellectus secundum quod considerat verisimile bonum: unde cum impossibile sit intellectui creato simul plura intelligere, non potuit in primo instanti creationis appetitus Angeli esse malus.* Quo uno S. Doctoris testimonio, dealbantur duo Adversariorum parites unicâ fideliâ, scilicet Angelum non potuisse peccare in primo instanti: alterum (quod caput est) Probabilitatis cardinem penitùs divelli contra eos qui dicunt rem aliquam esse probabilem sive verisimilem, quamvis illius veritas cognosci non possit, prout contra Cardenam supra demonstravimus pag. 136.

Hæ sunt Epidipnidæ quibus Magister ille insontes pueros pavit, vel ut verius loquar, exiguum specimen falsitatum quibus ipse sua infarcit *Tetrapla Theologica*, ne contra se, veritas præscribere videatur; quasi verò ipsa, illius indigeret suffragio. Quod si teste ipso Suario, peccet mortaliter Scholarum Magister, qui minùs probabilia docet discipulos; quia (inquit) non satisfacit officio, ad quod à Rep. electus est: quod est *veritate animos*

imbuere: Vide Amice Lector quid sentire debeas de eo, qui de industria, in rebus maximi momenti, (quales sunt omnes ad Theologiam spectantes) tot edocet & tuetur falsa?



